TRACTATVS
SECVNDVS
DE SACRIS BENEDICTIONIBVS,
DEQVE
REBVS AB ECCLESIA
BENEDICI SOLITIS,

In quò de Benedictionibus, tùm in genere, tum in specie accuratè disseritur: Et explicatur singularum Benedictionum,

I. ORIGINES, ET CAVSÆ.
II. MYSTERIA, ET DOCVMENTA.
III. VIRTVTES, & EFFECTVS.

Tandèm, & præcipuè Doctrina moralis, & Dubia conscientiæ circà eandem materiam Benedictionum.

Opus apprimè vtile Episcopis, & Parochis, Concionatoribus, & Confessarijs; alijsque pijs Christi Fidelibus.



VENETIIS, Apud Valuasensem, *Superiorum permissu, & priuilegio, 1665.*

SERIES BENEDITIONVM

Quæ in hoc Tractatu explicantur.

BENEDICTIONES SOLEMNES.

1 Benedictio Cinerum feria 4. in capite ieiunij.
2 Bened. Rosæ in Dominica Lætare.
3 Bened. Palmarum in Dominica in Ramis.
4 Bened. Noui ignis in Sabbato Sancto.
5 Bened. Incensi.
6 Bened. Cerei Paschalis.
7 Bened. Fontis baptismalis.
8 Bened. Agnorum Dei.
9 Bened. Candelarum in die Purificationis B.V.
10 Bened. Ecclesiarum.
11 Bened. Cœmeterij, & Sepulchri Fidelium.
12 Bened. Campanarum.
13 Bened. In fine Missę.

BENEDICTIONES SIMPLICES

1 Bened. Aquæ lustralis.

INDEX
TITVLORVM, ET SECTIONVM
Huius Tractatus.

ITEM PRÆLVDIORVM, ET DVBIORVM,
Quæ sub singulis titulis continetur.

TITVLVS PRIMVS
DE BENEDICTIONIBVS IN GENERE.

SECTIO I.
De Essentia Benedictionis.

SECTIO II.
De materia, & subiecto benedictionis.

SECTIO III.
De forma benedictionis.

DV-

INDEX.

SECTIO IV.

De causa efficiente benedictionis.

SECTIO V.

De causa finali, & effectibus benedictionum.

SECTIO VI.

De benedictionum duratione, & desitione.

TITVLVS SECVNDVS DE BENEDICTIONIBVS Solemnibus.

PRAE-

DOCTRINA MORALIS.
De charitate per ignem significata.

SECTIO V.
De benedictione Incensi.

DOCTRINA MORALIS.
De eadem benedictione, & de oratione sub typo incensi repræsentata,

SECTIO VI.
De benedictione Cerei Paschalis.

DV-

PRAE.

SE-

SECTIO IX.
De benedictione domorum.

DOCTRINA MORALIS.

De eadem benedictione, & de peccatis abutentium suis domibus.

SECTIO X.
De benedictione nouę nauis.

DOCTRINA MORALIS.

De casibus occurrentibus in nauibus, & triremibus.

SE-

TI-

TITVLVS PRIMVS DE BENEDICTIONIBVS IN GENERE.

SECTIO PRIMA

De Essentia Benedictionis.

DVBITATIO I.

Quid significet Verbum Benedicere.

RESpondeo hoc verbum benedicere, tria potissimùm significare. Primò enim significat benè loqui de aliquo, seu aliquem laudare, & commendare. Psal. 33. Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo. Secundò benedicere significat bona, & prospera alicui precari, & fausta ominari. Genes. 27. Benedicat tibi anima mea, & Psal. 3. Super populum tuum benedictio tua: Sicut enim maledicere est alicui malum imprecari, ita benedicere est bona precari, videlicet a Deo omnium honorum largitore. Hinc preces, seu formulæ precandi, benedictiones dicuntur. Tertiò, benedicere significat consecrare, & sanctificare, seu conferre aliquod esse sacrum rei, quæ benedicitur, vt fiat conueniens, & apta materia Sacramenti, vel sacrificij; vel fiat instrumentum salutis, siuè animarum, siuè corporum; ad quod pertinet illud Apost. 1. Thim. 4. Omnis creatura sanctificatur verbo Dei, & oratione. Sic benedicitur Chrisma, Oleum, Aqua baptismalis: Itèm benedicuntur paramenta sacerdotalia, calices, & cætera huiusmodi ad sacrificium: & ad hoc etiam genus pertinet benedictio aquæ lustralis, candelarum, palmarum, &c. Plura videri poterunt apud Marsilium Columnam in sua Hydragiologia sect. 2. cap. 1. Dusaussay in Panoplya Sacerdotali p. 2. lib. 2. cap. 1. Gretserum de benedict. lib. 1. cap. 1.

DVBITATIO II.

Quid sit benedictio, & quotuplex.

RESpondeo, & Dico primò, Benedictio propriè dicta, potest sic definiri. Est cæremonia ecclesiastica, qua per inuocationem diuini nomininis aliquid boni confertur, vel postulatur. Dicitur primò, Cæremonia ecclesiastica loco generis, in quo benedictio conuenit, cum alijs ritibus ab Ecclesia institutis, vel in cultum Dei, vel ad instructionem Fidelium. Reliquæ particulæ ponuntur loco differentiæ, ita colligitur ex DD. agentibus, vel de sacris Ritibus, vel de Sacramentalibus. Raban. lib. 1. de instit. cler. cap. 27. Hugo Victor. lib. 2. de Sacram. p. 4. Bellar. lib. 2. de Sacram. in genere cap. 29. Suar. to. 3. p. disp. 15. sect. 1. Conink de Sacram. q. 71. ar. 3. dub. vnic. & alijs.

Dico secundò circa secundum quæsitum. Quotuplex sit benedictio. Primò diuidi solet a nonnullis, in eam, quæ sit immediatè a Deo, & eam quæ fit ab homine. Benedictio Dei semper est efficax: dicere enim Dei est facere, ipse dixit, & facta sunt Ps. 148. Sicuti Christus Matth. 14. benedixit panes in deserto, & benedictio illo multiplicauit.

cauit. Benedictio verò, quæ fit ab homine, potest diuersimodè impediri, præsertim quoad effectus, qui ex impetratione pendent, vt fusius explicabimus sect. 6. quam diuisionem attingit D. Thomas par.1.q.73.ar.3.

Secundo diuidi solet benedictio, in ecclesiasticam, & laicam. Ecclesiastica vim habet ex meritis, & intercessione Ecclesiæ; & ex institutione eiusdem Ecclesiæ competit solùm ministris sacris, videlicèt Episcopis, vel alijs Sacerdotibus. Benedictio verò laica vim habet ex merito personali eam conferentis: vndè peti solet benedictio a viris sanctis: vel etiam fundatur in auctoritate naturali, sicut ea, quæ confertur a parentibus suis filijs; & vtraque dici solet benedictio priuata, quatenùs confertur priuata auctoritate: è contra, benedictio ecclesiastica dicitur publica, quatenùs confertur publicè Ecclesiæ auctoritate, quæ diuisio sumitur ex D.Th.in 4.dist.19.q.1.ar.2 quæst.1.ad 2.

Cæterùm prædictæ diuisiones non congruunt benedictioni propriè dictæ, quam suprà definiuimus, & quæ fit nomine Ecclesiæ, à Ministris per ipsam Ecclesiam deputatis, & sub Ritibus ab ea præscriptis. Propius ergò ad rem nostram,

Primò diuiditur benedictio, ex parte Ministri, in Episcopalem, & Sacerdotalem: quia ex institutione Ecclesiæ quædam benedictiones sunt adnexæ ordini Episcopali, & ad solos Episcopos pertinent: vt communitèr sunt illæ, in quibus interuenit vnctio olei sacri, &c. vt fusiùs infrà dum de Ministro benedictionum. Aliæ benedictiones sunt adnexæ ordini sacerdotali, & possunt perfici à quolibet Sacerdote, vt benedictio aquæ lustralis, &c. ità Syluester verb. benedictio n. 2. Marsilius Columna in sua Hydragiologia lect.2.cap.1.& alij communitèr.

Secundò diuiditur, ex parte materiæ, seu subiecti, cui applicatur benedictio, in eam, quæ confertur personis, & in eam, quæ confertur alijs rebus inanimatis: siquidèm benedicitur populus, vel solemnitèr ab Episcopis, vel priuatim à Sacerdotibus in fine Missæ, & benedicuntur vestes, candelæ, cineres, &c.DD.sup.citati.

Tertiò, diuiditur, ex parte formæ, in Verbalem, & Realem. Prima solis verbis, & signis perficitur absque vnctione. In secunda verò interuenit sacra vnctio Olei, vel Chrismatis. Syluester sup.nu.1.

Quartò, diuiditur ex parte finis, vel effectus, ad quem ordinatur; in benedictionem constitutiuam, & inuocatiuam, quæ est celebris diuisio, quam tradit Caet.in 2.2.q.88.ar.11.m ex eo Nauar.in comment. de spol. Cler. §. 18. n. 9. Laymàn lib. 5. tract.9 cap.13. cum alijs Benedictio constitutiua est, qua efficiuntur, seu constituuntur res sacræ, vt sint proportionatæ ad vsum sacrificij, & Sacramentorum permanenter; itaut conuerti non possint ad vsus profanos. Sic benedicuntur Ecclesiæ, Altaria, Calices, Vestes sacerdotales, &c. quæ ideo in sensu composito, seu quandiù retinent esse sacrum, neque auctoritate Papæ ad vsum prophanum adhiberi possunt: cum id repugnet iuri naturali, vt notat Laymàn suprà. Benedictio inuocatiua, non confert esse sacrum rebus, quibus applicatur, sed solùm munimen extrinsecum diuinæ protectionis, vt Fideles rebus illis rectè vtantur, & absque periculo animarum, vel corporum, sic benedicuntur res comestibiles, domus, naues, &c.

Quintò diuiditur, ex parte Ritus accidentalis, in solemnem, & simplicem, seu priuatam. Solemnis fit maiori apparatu, & pompa, & pluribus adhibitis Ministris, vt benedictio populi, quæ fit ab Episcopo, præmissis versiculis, adiutorium &c. Item benedictio candelarum in die Purificationis B.Virginis: benedictio Palmarum &c. Simplex verò benedictio fit absque apparatu prædicto, à solo Sacerdote cum vnico Ministro, vt benedictio in fine Missæ, benedictio aquæ lustralis, &c. Syluest.ver.benedict. n. 1. & alij Summistæ communitèr.

DVBITATIO III.

An Sacræ Benedictiones inter se differant essentialitèr, seu specificè. Et an possit vna substitui loco alterius.

IN hac quæstione videtur primò certum, benedictionem episcopalem, seu rigorosè adnexam Ordini tantùm Episcopali, differre speciè morali à benedictione, quæ perfici potest à simplici Sacerdote: nec posse vnam substitui loco alterius; quia hoc ipso, quod sunt diuersi ordinis, seu gradus, sufficit ad diuersitatem specificam in genere moris.

Secundò videtur certum, si res benedictæ, vel consecratæ, vna, & eadem benedictione sanctificentur in ordine ad eundem finem, eas quatenùs benedictas, vel consecratas, non differre speciè morali: quamuis inter se differant specie phisica: sed sub genere Sacramentalium esse eiusdem rationis, e.g. plures calices consecrati, quorum vnus est aureus, alter argenteus, item vestes sacerdotales, ex serico, vel ex panno confectæ, itèm rami diuersarum arborum; quæ simul, & eadem benedictione in die Palmarum benedicuntur: quià specificantur ab eadem forma morali, seu ab eadem benedictione. E contrà si materiæ, quibus applicatur benedictio, sint specie phisica diuersæ: & benedictiones diuersi Ritus; certum etiam videtur, res benedictas esse sacramentalia diuersæ speciei, quia posita ea diuersitate in partibus componentibus, necessè est, composita differre essentialitèr specie morali, de qua loquimur, e. g. aqua lustralis est sacramentale essentialitèr diuersum ab oleo simplici benedicto, &c.

Controuersia igitùr est quando benedictiones ipsæ sunt diuersæ, & diuersis ritibus, & precibus perficiuntur, quamuis ab eodem Ministro: vtrum si cadant super materiam eiusdem speciei phisicæ, differant essentialitèr, & an possit vna substitui loco alterius: e.g. oleum oliuarum, diuersis ritibus benedicitur ab Episcopo, tùm in ordine ad Sacramentum Confirmationis, tum in ordine ad Sacra-

mentum Extremæ Vnctionis: itèm in ordine ad Cathecumenos. Quæritur, an hæ benedictiones differant essentialitèr, &c.

Prima sententia sustinet, posita identitate specifica eiusdem ordinis in Ministro, & eiusdem materiæ, cui applicatur benedictio, vt in exemplo allato olei, quod diuersimodè benedicitur ab Episcopo; tunc benedictiones non differre essentialitèr, posseque validè vnam substitui loco alterius.

Probatur, quia tota vis benedictionis pendet ex inuocatione diuini nominis, qua inuocatione sanctificatur res illa, quæ benedicitur, & eleuatur ad causandos effectus suprà suam naturam: sed inuocatio diuini nominis est eadem in omni benedictione: atque diuersitas precum, & rituum, quibus perficitur, est accidentalis, ergò posita eàdem materia, eodemque Ministro, benedictiones sunt eiusdem speciei, & virtutis.

Pro hanc sententia citari possunt DD. asserentes, validè conferri Sacramentum Extremæ Vnctionis, quocumque oleo benedicto ab Episcopo, videlicèt, vel Chrismate, in quo maior pars est oleum; vel oleo Cathecumenorum &c. ità Tannerus, Granadus, & alij, quos citat, & sequitur Quintanaduennas in suis singularibus tract. 2. singul. 3. & Layman lib. 5. tract. 8. cap. 2. num. 3. Itèm DD. asserentes forè validum Sacramentum Confirmationis collatum cum oleo infirmorum, hi sunt Nauar. Angles, Victorin Sotus, & alij apud Quintan. suprà. Quamuis fateantur omnes, forè peccatum mortale, sic variare materias Sacramentorum.

Secunda sententia longè probabilior, docet benedictiones varias, terum eiusdem speciei in ordine ad fines diuersos, differre essentialitèr specie morali sub genere Sacramentalium, nec posse vnam substitui loco alterius; atque adeò in exemplo posito, non posse validè conferri Sacramentum Extremæ Vnctionis cum Chrismate, vel oleo Cathecumenorum.

Probatur, quià actus morales, & consequentèr benedictiones in casu nostro specificantur ex fine, ad quem ordinantur; ergò si fines sunt essentialitèr diuersi, etiam benedictiones ipsæ erunt essentialitèr diuersæ in genere moris, seù in esse Sacramentali; sed fines in casu posito olei, & in similibus sunt essentialitèr diuersi; ergò, &c. ità DD. communitèr in tractatu de Sacramento Confirmationis, & de Sacramento Extremæ Vnctionis, & videri potest Auersa de Sacr. Extremæ Vnctionis sect. 2. §. non autèm, & Marsil. Columna in sua Hydragiologia sect. 3. cap. 6. num. 6.

Confirmatur, quià ritus diuersi ab Ecclesia præscripti pro varijs benedictionibus, constituunt diuersas benedictionum formas, quià solemnitas statuitur pro forma, quæ dat esse actui in genere moris, & sine ea actus est nullus, vt probat Suarez de legib. lib. 5. cap. 32. nu. 6. ergò non potest validè vna benedictio substitui pro alia: quod maximè verum est de benedictionibus, quæ sunt meri iuris ecclesiastici, ita DD. communitèr, & nos iterùm de hac re dicemus sect. 3. de forma benedictionum, plura de hac materia videri possunt apud nostrum Doctiss. Verricelli de apostolicis missionibus tit. 7. q. 127.

SECTIO II.

De Materia Benedictionis, seù de subiecto, cui applicatur benedictio.

DVBITATIO I.

An Deus possit esse subiectum benedictionis, & qualitèr creaturæ benedicant suum Creatorem.

Ratio dubitandi est, quia ex Apost. ad Heb. 6. quod minùs est à meliori benedicitur, & non è contra; ergò nemo potest Deum benedicere, qui est supremus omnium Dominus.

Respondeo, & dico primò, si sumatur ly benedicere, prout significat laudare aliquem, & glorificare, vel ei gratias agere, sic omnis creatura, & præsertim rationalis conuenientissimè Deum benedicit, imò tenentur Angeli, & homines id præstare: sicur sæpissimè ad hoc munus nos inuitat Psalmista, Confitemini Domino, quoniàm bonus est, & sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc, & vsque in sæculum &c. vt per se patet & docet D. Thomas in psal. 27. Imò id competit omnibus creaturis, etiam inanimatis, quatenùs potentiam, & gloriam Dei manifestant: vt patet ex cantico trium puerorum.

Dico secundo, si ly benedicere sumatur, prout significat bona communicare, vel auctoritatiuè precari; sic nulla creatura potest benedicere Deum. Tum quià Deus nulla re indiget: tùm in hoc sensu, quod minùs est à meliori benedicitur; nulla autèm creatura potest esse melior Deo, qui est infinitè perfectus, & infinitè superat omnem creaturam, tùm bonitate, tùm dignitate, vt dictum est in ratione dubitandi.

Neque obstat, quòd Sacerdos in Altari videatur benedicere Christum realitèr existentem in hostia consecrata; quia Sacerdos formando signum Crucis super hostiam, verè non benedicit Christum, sed repræsentat sacrificium Crucis, & mysteria passionis ipsius Christi; vel dici potest, quòd Sacerdos non vt persona priuata, sed quatenùs repræsentat personam Christi summi Sacerdotis, benedicit ipsum Christum, quatenùs est victima sacrificij: itaque ipse Christus sub diuersa ratione, est benedicens, & benedictus, vt alibi explicauimus in comment. ad rubricas Missalis p. 2. tit. 9. sect. 1. dub. 2.

DVBITATIO II.

An res inanimatæ conuenientèr benedicantur.

Ratio dubitandi est, quià vel benedicuntur, vt indè accipiant, seu acquirant aliquod esse facrum; & hoc non videtur verum; quia cum sint incapaces gratiæ spiritualis, non apparet, quid possint ex benedictione acquirere; vel benedicuntur,vt ex illicitis fiant licitæ, & hoc est apertè falsum; quia benedicuntur panes, domus,fructus, naues, &c. quas, constat, seclusa benedictione esse licitas, & hac ratione huiusmodi benedictiones deridentur ab Hæreticis.

Respondeo. Nihilominus, vsum harum benedictionum esse religiosum, & conuenientissimum, vt patet ex vsu Ecclesiæ: Ratione etiam declaratur, quià res inanimatæ per benedictionem destinantur ad cultum Dei, & ad maiorem ornatum sacrificij, & Sacramentorum; e. g. vestes, & vasa sacra, aqua baptismalis, &c. quod vtique pertinet ad cultum Dei, & virtutem Religionis. Vel secundò benedicuntur, vt per inuocationem diuini nominis constituantur sub speciali Dei protectione, & assistentiâ; qua fideles excitentur ad licitum, & moderatum earum vsum, cum gratiarum actione, &c. Itém benedictione muniuntur contrà fraudes diaboli suggerentis illarum abusum, ex quibus patet, quàm religiosas, & vtilis sit prædictarum rerum benedictio, vt fusiùs ex Concilijs, & PP.probat Suarez tom. 3.in 3.p. disp. 15.sect.2.

Ad rationem dubitandi, quòad primam partem, respondetur, Res prædictas benedici, vt fiant sacræ, non per gratiam, aut qualitatem aliquam phisicam illis inhærentem: sed per habitudinem specialem ad Deum, seu ad Sacramenta, & sacrificium, atque illud esse sacrum, esse quid morale, non phisicum. Quòad secundam partem respondetur, Res comestibiles, & alias, non benedici, vt ex illicitis fiant licitæ: sed vt piè, & virtuosè illis vtamur DD.citati.

DVBITATIO III.

Vtrum in lege noua sint licitæ benedictiones illarum rerum, quæ olim benedicebantur in lege veteri.

E.G.ex præscripto legis Mosaycæ, olim benedicebantur incensum,& aqua lustralis,Agnus paschalis, & primitiæ fruguin. Quæritur, an res prædictæ, & similes, modò in Ecclesia licitè, & conuenientèr benedictione lanctificentur.

Ratio dubitandi est, quia le. vetus iam fuit abrogata, factâ promulgatione Euangeli; imò cæpit esse mortifera, quoad cœremonialia: eò,quià cœremoniæ veteris legis erant figuræ, & prognostica Christi venturi; consequentèr illarum vsus, modò est illicitus, quià falsam haberet significationem: siquidèm illis, protestaremur, Messiam nondùm venisse, sed expectari; quod est apertè falsum: sicut cum D. Thoma 1.2.q.98.& sequentib.docent omnes DD,communitèr.

Respondeo licitè, & religiosè res prædictas modò in Ecclesia benedici, proprio ritu ab Ecclesia præscripto; Non posse autèm benedici ritu illo antiquo veteris legis. Prima pars probatur; quià res illæ, quibus applicatur benedictio secundùm se bonæ sunt, & à Deo creatæ; nec aliquid mali, vel falsi continent, ergò semper possunt Deo offerti, & in eius cultum destinari, sicuti fit per benedictionem. Secunda verò pars declaratur ex ratione dubitandi supra allata: quià ritus ille antiquus, quo in lege veteri, pleraque benedicebantur, quamuis antè Christi aduentum, & mortem, fuerit verus Dei cultus, & veram tùnc habuerit significationem Messiæ venturi; Modò tamen esset cultus falsus, & mendax, consequentèr illicitus: quià Christus iàm venit. Cùm ergò ritus ab Ecclesia præscripti, tùm in administrandis Sacramentis, tùm in conficiendis benedictionibus, & Sacramentalibus, ordinentur ad significanda mysteria Redemptionis iàm per acta, & consummata per Christum, sequitur vsum benedictionum prædictarum rerum valdè religiosum, & pium esse.

Confirmantur prædicta testimonijs SS.PP.& primò ex D.Leone serm.4.de ieiunio 7.mensis, vbi sic ait: Cùm vos dilectissimi ad quædam, quæ etiam in veteri testamento instituta sunt exhortamur; non iudaicæ vos obseruantiæ iugo subdimus; nam si quid nobis, & illis commune est: in temporibus; non concordat in moribus, &c.Nanzianzenus etiam orat 44.in Pentecos.inquit: Diem Hæbreorum more colimus, & alios nonnullos eorum ritus obseruamus; qui apùd illos quidèm typicè celebrantur, apùd nos verò mysticè; idest apùd illos olim in typum futurorum, apùd nos ob iam peracta mysteria,&c Plura ad hanc rem pertinentia legi possunt apùd Marsilium Columnam in Hydragiologia sect.2.cap.2.

DVBITATIO IV.

An res benedicendæ debeant esse præsentes Ministro, à quo fit benedictio.

PRæmittendum est non repugnare benedictionis naturæ eam conferri personæ; vel rei absenti: quia sicut potest fieri oratio pro absentibus: ità etiam possent benedici personæ, vel res absentes: quià benedicere est benè precari alicui. Quæstio ergò in præsenti est non de possibili, sed de facto; & cùm benedictiones ipsæ, & omnia requisita ad eas omninò pendeant ex institutione Ecclesiæ; viden-

videndum est, an ex vi institutionis prædictæ ad valorem benedictionis requiratur præsentia rei benedicendæ coràm Ministro benedictionis, & qualis præsentia requiratur.

Respondeo, & dico primò, Benedictiones, quæ fiunt, seu dantur sub certa forma verborum ab Ecclesia præscripta, & sub certis ritibus ab Ecclesia determinatis, requirunt ad sui valorem præsentiam rerum benedicendarum coràm Ministro benedictionis: & subindè collatæ rebus absentibus nullius momenti sunt:

Ratio est; quia id omninò requiritur ex vi institutionis Ecclesiæ, ex qua pendet valor benedictionum. Quod probatur primò, ex formulis benedictionum, quæ in Missali, & in Rituali Romano habentur, in quibus semper dirigitur sermo ad res præsentes per pronomina, quæ solùm cadunt super res præsentes, e.g. benedic Domine hanc creaturam aquæ, hæc indumenta, hos fructus, &c.

Secundò probatur quòad benedictiones, quibus res consecrantur, in quibus adhiberi debet vnctio olei sacri, vel insufflatio, vel aspersio, &c. quæ constat fieri non posse, nisi circà res præsentes: ergò, &c.

Dixi benedictiones, quæ fiunt sub certa forma ab Ecclesia præscripta; quià benedictiones, quæ liberè dantur ab Episcopis, e.g. absque prædicta formula possunt conferri, & de facto sæpe conferunt absentibus; sicuti constat ex praxi, e. g. Romæ, personæ insigniores in articulo mortis constitutæ, mittunt internuntium ad Summum Pontificem supplicantes, vt dignetur eis benedicere antè discessum ex hac vita, quibus idem Pontifex benedicit, & indulgentiam plenariam concedit. Itèm per internuntium, vel per epistolam petitur benedictio ab Episcopis. Cæterùm quando Summus Pontifex, vel alij Episcopi solemnitèr benedicunt populo sub certa formà in Pontificali præscripta, solis præsentibus benedicunt. Itèm Sacerdotes in fine Missæ benedicunt existentibus in Ecclesia, qui sacrificio interfuerunt.

Dico secundò. Quandò ad valorem benedictionis requiritur præsentia personarum, vel rerum, quæ benedicuntur; sufficit præsentia moralis: videlicèt quę morali modo sufficit ad veritatem verborum, & executionem rituum, quibus vtitur Minister in conficiendis benedictionibus.

Probatur, quia res morales moralitèr pensari debent, & non metaphisico rigore; sed sacramentalia, & benedictiones sunt res morales ergo &c.

Confirmatur: quia etiam in Sacramentis sufficit simultas, & præsentia moralis inter materiam, & formam, inter ministrum, & subiectum, maior, vel minor iuxtà naturam Sacramentorum; ergo à fortiori in Sacramentalibus.

Quod si adhiberi debeant vnctiones, & similes ritus; tùnc certum est requiri contactum phisicum materiæ, quæ benedicitur, & consequentèr immediatam propinquitatem. Difficultas consistit in eo, vtrùm determinari possit in particulari quanta propinquitas inter ministrum, & materiam benedicendam, sit necessaria ad valorem benedictionis; & quæ distantia obstet eidem valori.

Respondeo non posse determinari omninò certam mensuram: sed consideratis circumstantijs, id esse definiendum; sicuti in simili diximus in comment. ad rubricas Missalis p.3. tit.2. sect.2. dub. 2. agentes de præsentia materiæ Sacramenti Eucharistiæ coràm Sacerdote. Nihilominùs assignari congruè possunt sequentes regulæ.

Prima regula est; Quando benedicuntur res inanimatæ, e.g. aqua lustralis, vestes sacerdotales, candelæ, &c. eas validè benedici, si fiut coràm Ministro intra viginti passus; quia moralitèr sunt præsentes, vt in simili docent Bonacina de Euchar. disp.4. q.2. punc.6. & Auersa de Euchar. q.2. sect.2. & quamuis materia Eucharistiæ validè, sed non licitè in ea distantia consecrari possit, quia debet consecrari in Altari sub ritibus, qui cadunt sub rigoroso præcepto; Nihilominùs Sacramentalia, nedùm validè, sed etiam licitè benedici possunt; prolata in ea distantia formula precum, & orationum, quia mitiùs in eis proceditur. Dixi prolata formula orationum, quia si adhiberi debeant ritus vnctionum, insufflationum, & similes; tùnc certum est requiri propinquitatem immediatam, interim dum prædicti ritus exercentur.

Secunda regula. Quando fit solemnis benedictio populi, seù benedicuntur personæ solemni ritu, vt fieri solet ab Episcopis, & præsertim Romæ à Summo Pontifice in die Paschæ, Ascensionis, &c. multò maior distantia admittitur, vt posint fideles etiam longè distantes, frui benedictione; ità vt omnes in publico foro existentes: & etiam in fenestris domorum circumcirca sitarum, & ta idèm omnes confluentes etiam si per milliare distent a Summo Pontifice benedictionem conferente, omnes inquam, recipiant benedictionem, & fructus illius, quia ad moralem præsentiam satis est, si confluentes possint aliquo modo aduertere quid agatur, quamuis plures ob aliquod impedimentum nihil discernant: Itèm ad moralem præsentiam sufficere videtur, vt confluentes remotiores sint pars illius multitudinis, quam Summus Pontifex intendit benedicere.

Quod si benedictio fiat in Ecclesia, extendi solùm videtur ad existentes intra Ecclesiam. Benedictio verò, quæ fit a Sacerdote in fine Missæ requirit illam præsentiam, qua satisfit præcepto audiendi Missam; Cùm autèm probabile sit satisfieri posse eidem pręcepto ab existẽtibus extrà Ecclesiam, etiam in fenestris domorum, quæ sunt è regione, vnde aduerti possit, quid agatur a celebrante (vt videri potest apud Dianam par.10. tract.14. res.47.) consequentèr est probabile ab ijsdem obtineri fructum benedictionis.

DVBI-

DVBITATIO V.

Vtrum si materiæ iam benedictæ, vel consecratæ superaddatur noua materia non benedicta eiusdem tamen speciei; totum illud mixtum censendum sit benedictum.

E.G. Si oleo sacro superinfundatur oleum non consecratum, vel aquæ iam benedictæ infundatur noua pars aquæ non benedictæ; An totum oleum sit sacrum, & tota illa aqua sit benedicta.

Prima sententia simpliciter affirmat, siuè pars de nouo addita sit maior, siuè minor, altera iam benedicta; Itèm siuè simul, & vna vice fiat admixtio nouæ quantitatis maioris, siuè paulatim, & distinctis vicibus.

Probatur ex eo principio, quia semper digniùs trahit ad se minùs dignum.l. quæ Religiosis ff. de rei vendit.ita Summa Angelica, & Rosella apud Syluest.ver.aqua benedicta, n. 3. sequitur Marsil. Columna in Hydragiologia sect. 3.cap.4. qui alios citat.

Secunda sententia sustinet materiam superadditam fieri etiam benedictam, quandò minor est præexistenti benedicta; secùs vero si maior sit, seù excedat materiam à principio benedictam; tùnc enim deperditur benedictio, & totum illud mixtum est quid prophanum, siuè simul, & vna vice, siuè paulatim, & successiuè distinctis vicibus fiat additio, e.g. si oleum à principio benedictum iuxta præscriptos Ritus fuerit vnius libræ, & paulatim superinfundatur oleum non benedictum; perditur benedictio, tunc quandò oleum superinfusum excedit quantitatem libræ, non verò antè excessum.

Probatur hæc sententia. Eatenùs illud mixtum ex oleo benedicto, & non benedicto censetur totum benedictum, quatenùs oleum præexistens, seù à principio benedictum trahit ad sui identitatem illud nouum non benedictum, quod superinfunditur; & sic absolutè censetur idem oleum, idemque indiuiduum; sed quandò oleum non benedictum, quod superinfunditur (etiam paulatim, & successiuè) excedit, & superat quantitatem olei præexistentis à principio benedicti, non potest dici idem indiuiduum, seù idem oleum, ergò tunc illud mixtum non est ampliùs oleum benedictum, sed potiùs prophanum. Maior probatur: quià benedictio cùm sit accidens quoddam morale, non potest transire de subiecto in subiectum: atque adeò tandiù durat, & conseruatur, quandiu manet idem subiectum, cui à principio adhæsit. Minor verò probatur, quia oleum à principio benedictum, dici non potest, quod absolutè permaneat, quandò minor pars illius remanet; vel est minima pars totius mixti, quia denominatio sumitur à potiori; Itèm dici non potest, quod trahat ad se partem superadditam, à qua exceditur, se potiùs à parte excedente vincitur, & trahitur ad sui conditionem; ergo posito excessu olei non benedicti; totum mixtum est prophanum, & non benedictum.

Nec refert, siuè maior quantitas olei prophani simùl, & vna vice superinfundatur oleo sacro; siuè paulatim, & distinctis vicibus, modò tandem excedat quantitatem olei sacri à principio consecrati; quia hoc, quod est addi simul, vel successiuè non variat conditionem materiæ superadditæ, quæ in vtroque casu verè excedit oleum sacrum ab initio consecratum; & sic variat illud mixtum, & est nouum indiuiduum morale, ita mordicus tenet Quintanaduennas in singul.tract. 5. sing. 1. citans Zambranum Armillam. Mendon. & alios.

Ex qua doctrina infert idem Quintanad.singular.2.teneri locorum ordinarios sub graui culpa consecrare oleum, &c. in ea quantitate, quæ sit futura sufficiens vsque ad finem anni, vt non sit opus addi nouam partem olei non benedicti; vel saltèm, vt exigua additio sufficiat; quia tenentur ipsi ordinarij curare, vt validè, & securiori modo administrentur Sacramenta.

Tertia sententia media, communis, & probabilior, duo asserit. Primum est. Si oleo ab Episcopo consecrato (& idem est de alijs rebus benedictis) addatur simul, & semèl aliud oleum non benedictum, maioris quantitatis; tùnc deperdi benedictionem, & totum illud mixtum esse oleum profanum.

Secundò asserit hæc sententia, si oleo à principio benedicto, seù ab Episcopo consecrato (& idem est de alijs materijs benedictis) addatur alia pars olei non benedicti, exigua tamen, & minoris quantitatis, præexistente iam consecrata; tunc illud mixtum totum esse benedictum, seù consecratum; etiam si paulatim, & distinctis vicibus, tanta fiat additio, vt tandem partes superinfusæ excedant quantitatem olei, quod à principio fuerat immediatè ab Episcopo consecratum.

Prima pars probatur, argumento adducto in fauorem secundæ sententiæ, quod solum conuincit deperdi benedictionem, quando, oleo benedicto superadditur aliud non benedictum maioris quantitatis simùl, & semèl non verò paulatim, vt constabit ex dicendis.

Confirmatur ex Rituali Romano tit. de extrema vnctione, vbi dicitur, si fortè oleum intra annum deficiat, reparari potest, superfuso modico oleo non benedicto, in minori quantitate: ergò à contrario sensu non reparatur, sed destruitur, si fiat additio in maiori quantitate. Et ratio à priori est: quia maior pars trahit ad se minorem: non è contra, quod est axioma fundatum in iure, cap. quod in dubijs de consecrat.Eccles.& alijs iuribus.

Secunda item pars conceditur ab omnibus, si totum id, quod additur non excedat quantitatem olei à principio benedicti, & immediatè ab Episcopo consecrati: ex principio adducto, quod maior pars trahit ad se minorem. Quoad vltimum verò punctum, de quo loquitur controuersia.

Probatur primò. Quia oleum benedictum constans ex partibus olei ab initio, & immediatè ab Episcopo consecrati, & ex alijs nouis olei superfusi mini-

in minori quantitate; verè totum est benedictum absque discrimine inter partes prædictas; atque adeò totum est eiusdem virtutis, & efficaciæ, ac si totum fuisset immediatè ab Episcopo consecratum: ergò si fiat illi noua additio olei non benedicti, in minori tamen quantitate; eodem modo transfunditur benedictio ad partes additas, ac quandò prima vice fit additio; quia non est maior ratio de prima additione, ac de secunda; ergò si paulatim tot fiant additiones, vt partes superfusæ superent quantitatem olei a principio benedicti, vel in eo mixto minor pars sit illius olei, quod fuerat ab Episcopo consecratum; adhùc totum illud mixtum est æquè benedictum, ac illud primum, quod fuit immediatè ab Episcopo consecratum.

Probatur secundò, quia facta paulatim superfusione modici olei, itaut singulis vicibus oleum superfusum sit minoris quantitatis oleo præexistente; semper est idem oleum saltèm moralitèr, idemque morale indiuiduum: ergò semper in eo manet benedictio, & virtus ei ab initio indita, quandò fuit consecratum ab Episcopo. Consequentia est manifesta: Antecedens verò probatur, tùm in naturalibus, tum in moralibus. Nàm idem censetur corpus hominis, & cuiuslibet animalis in toto vitæ progressu; quamuis tempore natiuitatis sit exiguum, & deindè alimentis augeatur, itaut quantitas superaddita excedat totam quantitatem corpusculi tempore natiuitatis. Itèm Ecclesia semèl constructa, si paulatim per modicas partes corruat, & statim reficiatur, eadem Ecclesia censetur, & permanet benedicta, etiamsi successu temporis partes de nouo additæ superent partes antiquas; ergò pariter in casu nostro, ita Syluester verbo aqua benedicta q.3. Tabiena, Panormitanus, & alij, quos citat, & sequitur Henriquez lib. 3. cap. 8. nu. 2. lit. L. docent etiam Layman lib.5. tract.9. cap.13. n.13. Gretserus de benedic. lib.2. cap.2. & communiter.

Consulendum est tamen, vt non superfundatur oleum non benedictum iam consecrato, (& sic de alijs) nisi in casu necessitatis, & tunc solum, quandò aliud benedictum haberi non potest; sicuti constat, ex Rituali Romano, suprà allegato, & monent citati DD.

Ad opposita. Ad fundamentum primæ sententiæ, Respondetur, illud axioma dignius trahit ad se, &c. vt sit verum, requirere plures conditiones, & inter alias, vt cætera sint paria; alioqui in casu nostro, si minima pars aquæ benedictæ iniiceretur in mare, aqua totius maris fieret benedicta, quod est ridiculum.

Ad argumentum secundæ sententiæ, concessa maiori, neganda est minor, quandò non simùl, sed successiuè, & semper in minori quantitate fit additio: tùnc enim semper censeri idem indiuiduum morale, vt suprà explicauimus.

Ex quibus tamen inferre non licet, si vino consecrato misceatur gutta vini non consecrati, illam guttam fieri consecratam, & conuerti in sanguinem Christi; Non inquam sequitur: nam vinum non transubstantiatur in sanguinem Christi, nisi ex vi verborum consecrationis, ergò non sufficit sola mixtio, quæ in casu nostro fit cum solis accidentibus prioris vini consecrati: non verò cum sanguine Christi.

SECTIO III.

De Forma tùm essentiali, tùm accidentali Benedictionis.

DVBITATIO I.

In quo consistat forma essentialis benedictionis.

Respondeo. Forma benedictionis, & cuiuslibet Sacramentalis, consistit in Ritibus ab Ecclesia præscriptis, ad benedictionem ipsam conficiendam: videlicèt, in precibus, & exorcismis, in signis Crucis, & alijs Ritibus in Missali, & Rituali Romano expressis; materia verò est res illa, quæ benedicitur. Probatur, quia res benedictæ, seu Sacramentalia habent aliquam proportionem cum Sacramentis, ad quæ viam parant, & disponunt fideles: & ad instar Sacramentorum sunt instituta ex materia, & forma, ergò sicut materia Sacramentorum consistit in rebus, & forma in verbis, ità in Sacramentalibus materia, est res, quæ benedicitur, e.g. aqua; forma verò consistit in verbis, seu precibus, quibus fit benedictio cum signis, & ritibus simùl adhibendis cum verbis.

Præcipuè verò in omni benedictione adhibetur pro forma signum Crucis, quia, vt inquit D. Leo serm.8. de passione, Crux est omnium fons benedictionum: omnium causa gratiarum: atque hic Ritus, & mos benedicendi per signum Crucis ab ipso Christo introductus creditur: præsertim quandò ascensurus ad Cœlum, eleuatis manibus benedixit suis discipulis, & ferebatur in Cœlum; quem posteà imitati sunt Apostoli, & ex Apostolica traditione idem ritus ab Ecclesia modò seruatur; sicuti testatur D. Basilius lib. de SpirituSancto cap.37.

Nec obstat, quod etiam in verbis, & signis distingui potest materia à forma: siquidèm sonus verborum est materia: significatio verò se habet loco formæ; & paritèr in Ritibus, &c. non inquam hoc obstat, quia licet facta ea comparatione, significatio sit vltima, & nobilior forma: nihilominus facta comparatione inter verba, & res, quæ benedicuntur; verba, quæ meliùs, & expressiùs significant, sunt, quid perfectiùs in genere signi, & dant esse sacrum rebus benedictis, & hac ratione obtinent locum formæ, ità DD. communitèr agentes de Sacramentalibus, Henriquez quod lib. 8. q.35. Suar. tom.3. in 3. par. disp. 15. Conink de Sacra. n. q. 71. art. 3. num. 2. & expressiùs tradit Marsilius Columna in Hydragiologia sect. 2. cap. 7. n. 8. Sed hic emergunt nonnullæ difficultates, quas explicare oportet.

Prima

Prima difficultas est. De illis Sacramentalibus, quæ habent esse permanens, e.g. oleum consecratum, vestes sacerdotales benedictæ, aqua lustralis, &c. quæ retinent benedictionem, & sunt vera Sacramentalia, etiam diù post verborum prolationem: seù quandò non ampliùs existunt verba, quæ cum ipsa prolatione euanescunt: ergò non possunt verba esse forma essentialis, & constitutiua prædictorum Sacramentalium. Probatur consequentia, quia non potest dari constitutum sine constitutiuo essentiali: sed datur verum Sacramentale, e.g. oleum consecratum, túnc quando non existunt verba, quibus fuit benedictum, seù consecratum; ergò verba prædicta non sunt forma essentialis, seù constitutiua Sacramentalium.

Respondeti potest dupliciter: primò, preces, & verba, quibus benedicuntur res prædictæ, oleum aqua, &c. esse quidem formam absolutè necessariam eorundem Sacramentalium: cæterùm non esse formam intrinsecam constitutiuam, sed extrinsecam, & effectiuam, qua conficiuntur, non qua constituuntur, formam verò intrinsecam, consistere in illo esse sacro, quod rebus confertur per benedictionem, &, vt supra dicebamus, est quid morale non phisicum.

Secundò, & meliùs respondeti potest verba, seù preces, quibus fit benedictio, quamuis prætereant, & cum ipsa prolatione euanescant, secundum esse phisicum: Nihilominùs permanent, & durant cum ipsis rebus benedictis quoad significationem, & secundùm esse morale, & hac ratione sunt forma essentialis intrinseca Sacramentalium: quod sufficit ad compositum morale, vt in simili diximus de forma consecrationis Sacramenti Eucharistiæ in Comment. ad rubr. Missalis p.3. tit. 5. sect.1. dub.5.

Secunda Difficultas. An ad valorem benedictionis sufficiant verba mentalia, seù interna: Vel requirantur necessariò verba sensibilia, & voce prolata?

Respondetur requiri necessariò verba externa, & voce prolata. Probatur; quià Sacramentalia, vt supra dicebamus, sunt instituta ad instar Sacramentorum, ad quorum valorem requiruntur verba sensibilia, & voce prolata: siquidèm vtraque sunt composita moralia sensibilia ad vsum, & captum hominum viatorum accommodata; qui per sensibilia excitantur ad spiritualia, ità Marsil. Columna loc. suprà cit. & DD. communitèr de Sacramentalibus.

Tertia Difficultas: Cùm aliquæ benedictiones fiant orationibus, & exorcismis, vt patet in benedictione aquæ lustralis, Dubium occurrit, quod nàm sit discrimen inter orationes, & exorcismos, & an conuenienter exorcizentur res inanimatæ, e.g. aqua, & sal, &c. Ratio dubitandi est, quià creaturæ inanimatæ, & rationis expertes, nequeunt percipere vim adiurationis, & exorcismi, ergò ineptè exorcizari videntur. Pro Resolutione.

Respondeo, & dico primò. Exorcismus idem est, ac adiuratio, quæ definitur à D.Th. 2.2.q.90. ar.1. Est inductio alicuius personæ ad faciendum, vel omittendum aliquid per inuocationem Dei, vel alicuius rei sacræ, cuius exemplum habemus apud Apost. ad Rom. 12. Obsecro vos per misericordiam Dei, &c. & docent Syluest. & alij Summistæ communitèr, verbo adiuratio, Sanchez in sum. lib. 2. c.42. nu.1. Suar. de Relig. tom.2. lib.4. cap.1. Ex quibus constat ad adiurationem tria concurrere, videlicèt adiurantem, seù exorcistam, adiuratum, seù personam, quam intendimus inducere ad aliquid faciendum, & tandèm id, per quod fit adiuratio, nempè Deus, & res sacræ, vel Sancti, in quibus diuina virtus relucet, DD. citati.

Differt autèm adiuratio ab oratione, quia per orationem aliquid à Deo petimus; per adiurationem verò aliquid petimus proptèr Deum. Quod si aliquid à Deo petamus adiuncta rei sacræ inuocatione, e. g. cum aliquid petimus à Deo Patre, Per Christum, per Crucem, & passionem eius; tunc coniungitur oratio cum adiuratione; Quandò verò aliquid petimus ab homine per Christum, vel Sanctos, &c. tùnc ea petitio dicitur mera adiuratio, non autèm oratio, quia oratio propriè est, qua aliquid petimus ab ipso Deo, non a creaturis, Sanchez sup. cum alijs cit.

Tandèm aduertendum, adiurationem esse duplicem; quædam enim est deprecatiua, quæ fit cum submissione, & supplicitèr precando, & potest fieri ad Deum, & Sanctos; quædam verò est imperatiua, & hæc fit imperando, & præcipiendo, nec potest fieri ad Deum, sed per Deum, vt cum cogimus dæmones exire de corporibus obsessis, inuocato diuino nomine, vel rebus sacris; atque in hoc sensu vsurpatur communitèr nomen exorcismi pro adiuratione contra dæmones. Hinc Isidor. de Eccles. offic. cap.20. definit exorcismum. Est sermo increpationis contra immundum spiritum, &c.

Dico secundò: Quandò in exorcismis verba adiurationis diriguntur ad creaturas irrationales vel inanimes (sicut contingit in benedictione aquæ lustralis) non est intentio Ecclesiæ, vel Ministri eas alloqui, quasi ædem conniuere debeant adiurationi, vel sensum verborum capere (hoc enim esset vanum, & superstitiosum:) sed ad denotandum ipsam adiurationem operaturam suum effectum in prædictis rebus, vel tanquàm in subiectis, vel per ipsa tanquàm per instrumenta: Principalitèr autèm verba diriguntur vel ad Deum, quandò adiuratio est deprecatiua, vt ipsis creaturis vtatur in bonum fidelium, vel ad Dæmonem, quandò adiuratio est imperatiua, nè per eas noceat &c. ità D.Tho. 2.2.q.90. art.3. quem sequuntur communitèr, vide Sanchez sup.

DVBI-

DVBITATIO II.

Qualitèr forma benedictionis vitiari possit, vel fieri irrita, & inualida.

RESpondeo id posse triplicitèr contingere; videlicèt, Primò Omissione. Secuodò Additione, Tertiò Mutatione rituum, nempè verborum, & signorum, quæ sunt ab Ecclesia præscripta ad res benedicendas, & consecrandas.

Quoad primum: si dùm res aliqua benedicitur, omittantur a ministro, vel integræ orationes, aut exorcismi; vel tot verba, & signa, vt destruatur significatio principalis quoad præcipuos effectus ab Ecclesia intentos; tunc nulla erit benedictio, neque res illa, cui applicatur erit verum Sacramentale, Ratio est, quià cùm tota vis benedictionis in significatione consistat; consequens est, vt destructa significatione, nulla sit benedictio.

Confirmatur, quià in moralibus enormis, mutilatio æquiualet destructioni; sed prædicta mutilatio verborum, & Rituum formæ est enormis, ergò, &c.

Si verò omissio non sit tanta, vt destruat significationem præcipuam formæ; sed solùm quoad effectus aliquos secundarios ab Ecclesia intentos; benedictio erit valida; quamuis mutila, & imperfecta, quià omnia verba, omnesque ritus, ex quibus constat ipsa forma benedictionis ad eiosdem pertinent integritatem. Ad huius rei confirmationem adduci potest illud Apos.2.ad Timot.1. formam habe sanorum verborum, quæ à me didicistis; quem locum interpretatur B.Vincentius de Valentia dist.1.de verbis integræ prolatis absque mutilatione. Ita Marsil.Columna in Hydragiolog. sect. 2. cap.7.o. 14.Suar. tom.3.iu 3.p.disp.15. sect.4.§.vnde.

Quoad secundum de Additione similitèr asserendum, si talis fiat additio, qua destruatur principalis significatio precum, & rituum, quibus perficitur benedictio; tùnc irritari formam; & benedictionem fore nullam. Secùs verò si destruatur significatio minùs principalis iuxtà supradicta. Quod si addatur aliquid superstitiosum,& loco diuini nominis inuocetur quid vanum, & diabolicum; manifestum est in hoc casu verti benedictionem, in maledictionem, & execrationem,DD.citati.

Quoad tertium de Mutatione; Distinguendum est: Si enim fiat mutatio accidentalis in alia verba synonyma; tùnc non fit irrita benedictio, quià non destruitur significatio: quamuis malefaciat minister recedendo ab vsu Ecclesiæ; seù à verbis communitèr adhiberi solitis. Si verò fiat mutatio in alia verba diuersæ significationis, & tanta fiat mutatio, vt destruatur principalis significatio ab Ecclesia intenta, modo supra explicato in omissione; tunc destruitur forma, & consequentèr ipsa benedictio; secùs verò, si integra remanente principali significatione, fiat aliqua variatio in reliquis, vt colligitur ex DD.citatis.

DVBITATIO III.

Qualitèr peccent; qui formas Sacramentalium in benedictionum confectione irritant, vel mutilant.

RESpondeo, & dico primò. Qui formas prædictas irritant; vel omissione verborum, & rituum, vel additione, &c.modis explicatis in dubio præcedenti; qui, inquàm, formas irritant in benedictionibus illarum rerum, quæ, vt benedictæ sunt de necessitate alicuius Sacramenti; peccat mortalitèr, e. g. si Episcopus aliquo ex prædictis modis inualidè benediceret Chrisma, vel oleum infirmorum. Probatur. Qui est causa, vt Sacramentum aliquod inualidè ministretur, & fiat irritum, graue sacrilegium committit, vt fatentur omnes DD.de Sacramentis in genère; sed benedicens inualidè Chrisma &c.est causa, vt posteà Sacramentum Confirmationis, &c. inualidè conferatur, ergò,&c.

Quod si benedictio non sit irrita, sed mutila, & imperfecta propter omissionem aliquorum verborum, vel rituum pertinentium ad integritatem formæ, non verò ad essentiam; Tùnc distinguendum est; si enim mutilatio, & deformitas leuis esset, minister non committeret nisi peccatum veniale ratione paruitatis materiæ; Si verò mutilatio esset notabilis, peccaret mortalitèr; quià ritus benedictionum in casu prædicto cadunt sub præcepto; ergò posita materia graui, violatio est peccatum mortale.

Dico secundò, Benedicens, vel consecrans inualidè res illas, quæ licèt non sint de necessitate alicuius Sacramenti; Nihilominùs sunt de necessitate præcepti in ordine ad conficiendum sacrificium, vel Sacramentum aliquod, grauitèr peccat, e. g, si quis inualidè consecraret Altaria, vel Calices, vel inualidè benediceret corporalia, aut vestes sacerdotales, vel aquam baptismalem, &c.

Probatur, quià conficiens sacrificium absque altari consecrato, vel absque vestibus benedictis, &c.grauitèr peccat; ergò etiam grauitèr peccat, qui est causa; vt conficiatur sacrificium absque requisitis prædictis; qui autèm inualidè benedicit Altare &c.est causa, vt offeratur sacrificium absque altari consecrato, sicuti diximus in comment. ad rubr.Missalis p.2.tit.1.sect.4.ergò &c.

Quod si benedictio prædictarum rerum validè fieret; quamuis imperfectè, & cum aliqua mutilatione non videtur damnandus minister peccati mortalis, sed solùm venialis; quià posito valore benedictionis; non sequitur graue inconueniens; sed leue. Neque asserenda est obligatio sub peccato mortali, nisi de ea manifestè constet, ex doctrina D.Thom.1.2.q.107.ar.4.

Dico tertiò, Benedicens inualidè ea, quæ ne-

que sunt materiæ Sacramentorum, neque ordinantur ad vsum sacrificij, sed solum ad vsum fidelium, & ad excitandam eorum deuotionem non peccat mortalitèr per se loquendo, sed solum venialitèr, e.g. si quis inualidè benedicat aquam lustralem, domos, naues, comestibilia, & cætera huiusmodi. Probatur, quia hæc Sacramentalia sunt in infimo genere rerum sacrarum: ergò eorum irritatio non videtur opponi grauitèr, sed leuitèr virtuti Religionis, & consequentèr non videtur graue sacrilegium. Dixi per se loquendo, quia fieri potest, vt quis indigeat rebus huiusmodi benedictis ad auertendum graue damnum, e.g. indigeat aqua benedicta ad auertendum grauem infestationem dæmonum; vel petat benedici nauem ad vitandum naufragium in periculosa nauigatione; quæ mala facilè auerterentur ex vi benedictionis; & alias minime: tunc enim inualidè illas benedicens, vel tradens res non benedictas pro benedictis, censetur causa damni, quod sequitur ex ea deceptione, & sic grauitèr peccet.

DVBITATIO IV.

De forma accidentali benedictionis.

HActenùs diximus de forma essentiali benedictionis, quæ vt supra dicebamus consistit præcipuè in illis precibus, & signis, quibus perficitur benedictio superest, vt aliqua dicamus de forma accidentali eiusdem.

Respondeo, Forma accidentalis benedictionis (quatenùs distinguitur à forma essentiali, & à precibus eam integrantibus, videlicet à precibus & signis supra explicatis,) consistit in modo, quo recitari debent ipsæ preces, & fieri signa; & in apparatu, & habitu adhibendis a ministro, videlicèt, quod verba proferantur latino idiomate, cum cantu, vel sine cantu; à ministro induto pluuiali, vel stola interuenientibus vno, vel pluribus, & alijs huiusmodi. Probatur; quia modi, vel circumstantiæ prædictæ possunt adesse, & abesse sine læsione essentiæ, vel partium integrantium ipsam benedictionem.

An autèm, & qualitèr peccet Minister benedictionis, si omittat, vel mutet ritus accidentales prædictos: Dicendum videtur, eum venialitèr solum peccare ratione paruitatis materiæ, & quia non apparet grauis deformitas.

SECTIO IV.

De causa efficiente Benedictionum, seù de earum Auctore, & Ministro.

DVBITATIO I.

De Auctore Benedictionum, seù à quo sint institutæ benedictiones.

REspondeo: Benedictiones, & aliæ cæremoniæ, seu Sacramentalia, quæ sunt extra substantiam Sacramentorum, institutæ sunt ab Ecclesia. Probatur, quia non fuerunt instituta immediatè à Christo; id enim neque ex Sacra Scriptura, neque ex traditione colligi potest; ergò instituta sunt ab Ecclesia, cui certum est collatam fuisse a Christo hanc potestatem. Videlicèt, vt in dispensatione Sacramentorum salua eorum substantia, ea statueret, quæ vel Sacramentorum venerationi, vel vtilitati fidelium magis expedire iudicaret: sicuti expressè habetur ex Trid. sess. 21. cap. 2. vndè a fortiori constat, idem esse dicendum de benedictionibus, & alijs ritibus, quibus extra Sacramentorum administrationem Ecclesia vtitur, paritèr ad diuinum cultum, & vtilitatem fidelium.

Ex quibus colligitur benedictiones, de quibus agimus, & similes ritus, seù cæremonias; & Sacramentalia, partim ab Apostolis originem ducere: partim ab Apostolorum successoribus; videlicèt à Summis Pontificibus, & Episcopis; sicuti ex Concilijs, & PP. fusè probat Suarez tom. 3. in 3. par. disputat. 16. sect. 1. & nos infra dicemus, dum de singulis benedictionibus in particulari.

Dubitari potest hic primò. An Episcopi in suis Diœcesibus possint instituere particulares benedictiones, vltra eas, quæ in Missali, & in Rituali Romano habentur?

Respondeo affirmatiuè: dummodò ritus, & cæremoniæ, quas introducunt nihil omninò contineant contra vniuersalis Ecclesiæ leges, aut traditiones; sicuti probauimus in comment. ad rubric. Missalis quæst. procem. sect. 1. punc. 4. & qualitèr ibi diximus, hanc facultatem Episcoporum fuisse limitatam quoad ritus Missæ, quibus Episcopi nihil addere, vel in eis mutare possunt; nihilominus quoad alios ritus, & benedictiones extra sacrificium, & Sacramentorum administrationem, integra manet illorum potestas, & auctoritas, videri potest, Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 15. sect. 3. circa medium.

Dubitari potest secundo: Quarum benedictionum institutio, & origo tribuenda sit Apostolis.

Respondeo. Quandò benedictiones sunt antiquæ, nec constat de earum origine, & principio; tunc iuxta regulam communitèr receptam D. Au-

gust.lib.4.de baptismo contra Donatistas, earum institutio tribuenda est immediatè Apostolis; sic enim ait S. Doctor, quòd vniuersa tenet Ecclesia; nec est à Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate apostolica traditum, rectissimè creditur: qua regula sæpius vtemur in sequentibus titulis de benedictionibus in particulari, vbi de singularum benedictionum origine disseremus.

DVBITATIO II.

De Ministro benedictionum, seu à quo possunt legitimè fieri benedictiones.

RESpondeo. Quælibet benedictio non potest, nec validè, nec licitè fieri, nisi ab eo, qui ad tale munus designatur ab Ecclesia.

Probatur; Electio, seu designatio ministri cuiuslibet sacræ functionis non potest legitimè fieri, nisi ab eo, ad quem pertinet institutio eiusdem; est enim pars quædam institutionis; sed institutio benedictionum pertinet ad Ecclesiam, vt supra diximus; ergò etiam designatio ministri legitimi; quarè si ab alio fiat, non erit valida, ita Suar.tom. 3.in 3.par.disp.15.sect.3.& alij DD.communitèr.

Ex designatione autèm Ecclesiæ aliquæ benedictiones pertinent ad simplices Sacerdotes; non verò ad alios inferioris ordinis, aliqua ad solos Episcopos; aliæ tandèm ad Summum Pontificem, vt benedictio agnorum Dei, &c.

Ratio huius institutionis est; quia Sacerdotes consecrantur, vt sint præcipui Christi ministri, & dispensatores mysteriorum Dei, ex Apost.1.Cor. 4.Cum ergò per benedictiones dispensentur gratiæ; & dona Dei; merito Ecclesia adnexuit ordini Sacerdotali munus benedicendi; itaut soli Sacerdotes sint ministri benedictionum. Quarè dum quis ordinatur Sacerdos, eiusque manus consecrantur; sic ei dicitur ab Episcopo consecrante. vtquæcunque benedixerit benedicantur; & quæcunque consecrauerit consecrentur: sicuti constat ex Pontificali Romano tit. de ordinatione præsbyteri.

Confirmatur: quià Sacerdotes sunt veluti patres fidelium, quos per Sacramenta regenerant,& spiritualitèr alunt, ergò sicut ad patres carnales pertinet munus benedicendi suos filios benedictione laica, ita ad Sacerdotes, & patres spirituales pertinet munus benedicendi fideles benedictione spirituali, & sacra; quæ omnia à fortiori militant in Episcopis, ita Suar.loco sup.citato, Marsil.Columna in Hydragiologia lect.2.cap.5.nu.9. Dusaussay in Panoplya Sacerdotali p.3.lib.2.cap.2.& alij DD.communitèr.

DVBITATIO III.

An Minister benedictionis debeat esse melior eo, qui benedicitur, & explicatur illud dictum Apost. ad Hæbreos 7. Sine vlla contradictione, quòd minus est a meliore benedicitur.

AD pleniorem intelligentiam eorum, quæ dicturi sumus de Ministro benedictionum, opere pretium videtur hic explicare citatum locum Apostoli, in quo vniuersalitèr asserit, minorem à maiori, seu inferiorem a superiori benedici debere; & non è contra. Ex qua regula manesse videntur aliqua decreta Ecclesiastica. Primò enim in Constitutionibus S. Clementis Romani lib.8.cap.28.sic habetur Episcopus benedicit,& nō benedicitur; Præsbyter autèm benedicit, & benedicitur; idest benedicit populo, & benedicitur ab Episcopo. Secundò in rubricis Missalis, (de quibus nos alibi diximus) præcipitur, vt Sacerdos celebrans coram Summo Pontifice, vel coràm Episcopo in sua Diœcesi, illis non benedicat, sed potiùs inclinatus, quasi licentiam benedicendi petens benedicit alios adstantes à parte, vbi non est Pontifex, vel Episcopus, &c. & alia similia legi possunt in Cærem. Episcoporum. In oppositum verò est, quià viri ancti, & amici Dei, etiàm si mendici sint, & vilis conditionis, nec vllo sacro ordine insigniti benedicunt Regibus, & Imperatoribus, vt legitur in historijs ecclesiasticis. Secundò Patriarchæ, & Episcopi audientes Missam extra suam Diœcesim, benedicuntur à simplici Sacerdote celebrante Missam. Tandèm Cardinalis Episcopus consecrat, & benedicit Papam, & suffraganei consecrant Archiepiscopum: & tamen sunt minores.

Huic difficultati aliqui satisfacere arbitrantur; dicendo, illud dictum Apost. intelligi debere, vt plurimùm, & regularitèr loquendo. Cæterùm posse quandoque maiorem benedici a minori, ità Durand. in Rationali lib.4.cap.59.

Alij volunt Apost.ibi loqui de benedictione solemni, non de alijs, ita Ioannes Ferdinandus in suo thesauro. Sed verè non satisfaciunt; quia ve legenti patet Apost. indefinitè loquitur, atque adeò vniuersaliter, & de omni benedictione;

Respondeo; Dictum Apost. intelligendum esse vniuersalitèr, & de omni benedictione; atque adeò semper in eo, qui benedictionem confert esse aliquid maius, & excellentius ratione cuius præfertur alteri, quem benedicit. Loquitur ergò Apost. de benedicente formalitèr, & de eo, qui benedicitur sub ea ratione, qua benedictione indiget. Cum igitùr is, qui benedictionem petit eam petat, vel tanquam peccator a viro iusto, & amico Dei; vel vt Christianus a Ministro Christi, quem idem minister repræsentat; vel tanquam subditus à suo superiore, semper verum est minorem a meliore benedici, atque ita citatum locum Apost.

interpretatum D. Thom. lect. 1. in cap. 7. ad Hebr. & ex eo Gretser. de benedic. lib. 1. cap. 7.

Ex quibus patet ad rationes dubitandi in oppositum adductas. Siquidem Imperatores, & Reges considerantes se peccatores esse, benedictionem petunt à viris priuatis amicis Dei, & Sanctis; qua ratione, quod minus est à meliore benedicitur. Similitèr Episcopi extrà locum suæ iurisdictionis audientes Missam considerantur, vt personæ priuatæ; qua ratione benedicuntur à celebrante; qui tùnc repræsentat personam Christi. Tandem Cardinalis consecrans Papam, non consecrat illum, vt Papam formalitèr, sed consecrat hunc hominem, vt sit Papa; sicùt in terminis docet D. Thomas loco citato. Idemque dicendum de suffraganeis, respectu Archiepiscopi.

DVBITATIO IV.

Quænam benedictiones pertineant ad Sacerdotes Episcopo inferiores.

QVamuis Sacerdotes, seù Præsbyteri ex vi sui ordinis facultatem habeant benedicendi res, & personas, vt sup. dicebamus; hoc tamen intelligendum est intrà limites ab Ecclesia præscriptos: à qua iuxtà diuersos ordines Sacramentalium, & sacrarum functionum; diuersorum ordinum ministri designantur. Siquidèm hyerarchia militantis Ecclesiæ hyerarchiam cœlestem suo modo imitatur; sicuti testatur D. Dionysius de cœlesti hyerarchia; quarè sicut in Cœlis iuxtà varios Angelorum ordines, varia sunt munera singulorum; atque Angeli inferiorum ordinum minima nuntiant: Archangeli verò suprema, ex D. Gregorio hom. 34. in Euangelium, & sic diuersimodè dona Dei dispensant; ità proportionalitèr in Ecclesia militante, simplices Sacerdotes, veluti Angeli inferioris ordinis, ad conficiendas simplices benedictiones sunt destinati: Episcopi verò tanquam Archangeli habent facultatem conficiendi benedictiones, sacratiores, & magis solemnes. Hinc in Rituali Romano tit. de benedict. in regulis generalibus sic habetur. Nouerit Sacerdos, quarum rerum benedictiones ad ipsum, & quæ ad Episcopum pertineant, nè maioris dignitatis munera temerè, aut imperitè vsurpet, &c. Quarè in gratiam Sacerdotum, breuitèr hic declarare intendimus, ad quas benedictiones faciendas, ipsorum facultas, se extendant; & in sequenti dubio dicemus de illis, qua pertinent ad Episcopum.

Respondeo: Ad Sacerdotes Episcopo inferiores pertinent benedictiones solùm verbales, seù simplices, in quibus non interuenit vnctio Chrismatis, vel sacri olei: non tamen ad omnes benedictiones huiusmodi extenditur facultas prædictorum Sacerdotum, (seclusa delegatione) sed ad illas, quæ non reseruantur Episcopis, iuxta regulas, & rubricas Missalis, & Ritualis Romani.

Probatur, & explicatur; quià hæc facultas benedicendi omninò pendet ex determinatione Ecclesiæ, vt supra dicebamus Dub. 2. ergò nequit extendi vltrà limites ab Ecclesia præscriptos in regulis, & rubricis prædictis. In his autèm aliquæ benedictiones statuuntur faciendæ simplicitèr à Sacerdotibus absque vlla restrictione; aliæ verò cum restrictione, vt non nisi de licentia Episcopi, vel ex priuilegio Summi Pontificis a Sacerdotibus fiant. Quæ vt melius intelligantur.

Aduertendum primò, tàm in Missali, quàm in Rituali primo loco positas esse nonnullas benedictiones faciendas a Sacerdotibus absque alio addito sub hoc titulo ordo ad faciendam aquam benedictam; vbi etiam successiuè ponuntur formulæ aliarum benedictionum, quæ paritèr ad Sacerdotes simplicitèr pertinent, vt infrà. Secundò locò ponuntur alterius ordinis benedictiones, sub hoc titulo: Benedictiones ab Episcopo, vel alijs facultatem habentibus faciendæ: quæ id circò fieri non possunt a simplice Sacerdote, nisi ex delegatione Episcopi, vel ex priuilegio Summi Pontificis.

Ex quibus colligitur, a Sacerdotibus benedici posse absque vlla licentia aquam lustralem, candelas, domos, naues, esculenta, & res similes, quarum benedictio ponitur sub primo titulo, vt suprà diximus. E contrà non posse ab ijsdem benedici indumenta sacerdotalia, linteamina Altaris, & cætera huiusmodi, quæ ponuntur sub secundo titulo suprà explicato, nisi ex delegatione, de qua dicemus Dub. seq.

Aduertendum secundò; Aliquas ex benedictionibus sub primo titulo contentas, & a Sacerdotibus Episcopo inferioribus faciendas pertinere ad solos Parochos, seù ad iura parochialia, quæ subindè non possunt licitè fieri ab alijs Sacerdotibus, nisi de licentia ipsius Parochi, ad quem pertinent; vel de licentia Ordinarij; Huiusmodi sunt; primò benedictio nuptiarum, quæ ex Concilio Triden. sess. 24. in decreto de reformatione matrimonij cap. 1. ad solum Parochum pertinet: cui etiam acquiritur eleemosyna, quæ ea occasione dari solet, vt cum Sanchez, Guttierez, & alijs tradit Barbosa de officio Parochi p. 2. cap. 21. num. 99. Secundò, benedictio fontis baptismalis ad Parochum pertinet ex eodem Barbosa sup. p. 1. cap. 12. num. 2. Tertiò, benedictio domorum in Sabbato Sancto, & functio parochialis, & tandèm quando in Rituali notatur, vt benedictio fiat a Parocho; Quod si addatur, vel ab alio Sacerdote intelligendum id erit, vt fiat ab alio Sacerdote ex consensu, vel de licentia Parochi.

DVBI-

DUBITATIO V.

De benedictionibus pertinentibus ad Episcopum, & de earundem delegatione.

RESpondeo, & dico primò: Benedictiones rerum, quæ; nonnisi vt benedictæ; sunt materia alicuius Sacramenti, iure diuino pertinent ad solum Episcopum; quarè nec auctoritate Summi Pontificis possunt delegari alijs Episcopo inferioribus. Huiusmodi sunt benedictio Chrismatis, & olei infirmorum, vt fusè probant DD. agentes de Sacramento Confirmationis, & extremæ Vnctionis, ad quos remittimus Lectorem; neque enim propriè spectant ad nostrum institutum.

Dico secundò: Benedictiones reales, quæ sacra vnctione perficiuntur ex institutione Ecclesiæ pertinent ad solum Episcopum, atque strictò iure ità sunt adnexæ ordini episcopali, vt non possint ab ipso Episcopo delegari Sacerdotibus inferioribus, huiusmodi sunt benedictio, seù consecratio altaris, calicis, campanarum, &c. Ratio a priori est institutio Ecclesiæ, ad quem pertinet designare ministros sacrarum functionum; atque ita in casu nostro statutum fuisse, constat ex cap. Nemo de consecr. distinct. 1. & cap. Tua fraternitas de consecrat. Ecclesiæ, vel Altaris, & alijs iuribus, & docent Syluest. ver. benedic. q. 1. & 2. Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 81. sect. 5. & 7. Layman lib. 5. tract. 9. cap. 13. num. 7. Barbosa de potestate episc. p. 2. alleg. 27. An verò possit Episcopus hanc functionem exercere extra propriam diæcesim diximus in Comment. ad Rubric. Missalis par. 2. tit. 1. sec. 3. dub. 3.

Dico tertiò: Inter benedictiones verbales plures sunt, quæ pertinent ad simplices Sacerdotes, de quibus supra diximus; Aliquæ tamen sunt reseruatæ Episcopis, e. g. benedictio corporalium, indumentorum sacerdotalium, & similium, quæ ad vsum, & ornatum sacrificij destinantur, & ad maiorem decentiam, & reuerentiam sacrificij, eorum benedictio fieri præcipitur ab Episcopis, non tamen ita rigorosè, & strictò iure est adnexa ordini episcopali, quin sæpiùs delegetur inferioribus Sacerdotibus, saltèm ex priuilegio Summi Pontificis, sicuti constat ex priuilegijs Regularium. An autèm delegari possit ab ipsis Episcopis, quibus de iure competit, dicemus in fine huius dubij.

Dico quartò: Benedictio personarum, quæ dicitur super populum, quandò fit solemnitèr, præmissis versiculis Adiutorium nostrum, Sit nomen Domini benedictum, &c. prout in Pontificali; pertinet ad Episcopum, & intèr pontificalia computatur: vt constat 26. q. 6. ministrare, & alibi, & docent Sylu. ver. benedictio nu. 1. cum alijs communitèr, quos affert, & sequitur Barbosa de potest. Episc. p. 2. alleg. 27. n. 63.

Quandò verò fit priuatim, & absque solemnitate, pertinet etiam ad inferiores Sacerdotes, præsertim in Missa; nam extra Missam non datur a Sacerdotibus publicè, vel præsente Episcopo: immo etiam in Missa, si Episcopus sit præsens, signo aliquo, videlicèt inclinatione, celebrans veluti petit ab eo licentiam benedicendi, vt alibi diximus.

Difficultas præcipua hic examinanda est. An benedictiones verbales, de quibus diximus conclusione 3. & quæ iure ordinario pertinent ad Episcopum; an inquam, possint, ab ipso Episcopo committi, seù delegari Sacerdotibus sibi subditis: vt benedictio indumentorum sacerdotalium &c.

Prima sententia ferè communis negat. Fundamentum est, Quia, vt communitèr asserunt Canonistæ non possunt delegari ea, quæ sunt ordinis, sed solùm ea, quæ sunt iurisdictionis, vt videri potest apud Panormitanum in cap. Aqua de consecr. Eccl. & Syluest. ver. benedictio q. 2. num. 3. sed munus benedicendi spectat ad ordinem, non ad iurisdictionem, vt contra Angelum fatentur omnes apud Syluest. sup. ergò delegari non potest. Et ideò hanc sententiam sustinet Panormitanus, & Syluester sup. citati, Vgolin. cum alijs, quos citat, & sequitur Barbosa de potest. episc. alleg. 27. nu. 42. Tabiena, Auersa, Gauantus, & alij, quos adduxi in comment. ad rubr. Missalis par. 2. tit. 1. sect. 4. dub. 3.

Opposita tamèn sententia non est improbabilis, quam defendi loco suprà citato in rubr. Missalis, & ad pleniorem intelligentiam, hic breuitèr addo, videlicèt, benedictiones, quæ iure ecclesiastico sunt annexæ ordini episcopali, esse in duplici differentia; quædam enim sunt ordinis episcopalis strictò iure; sicuti sunt benedictiones reales, quæ sacra vnctione perficiuntur; & idcircò non possunt delegari Sacerdotibus, qui non sunt Episcopi, nisi à Summo Pontifice; Aliæ benedictiones verbales, quæ fieri præscribuntur ab Episcopo, non ità strictè sunt annexæ ordini episcopali, sed minùs propriè, vndè possunt præscribi ab inferioribus, vt cōcedit Syluest. ver. benedictio nu. 3. & nu. 6. quamuis neget, eas posse delegari. Cæterum dicendum videtur, eas posse delegari ab Episcopo Sacerdotibus inferioribus.

Probatur hæc nostra sententia ex Rituali Romano tit. de benedictionibus, vbi primo loco ponuntur benedictiones, quæ pertinent ad simplices Sacerdotes. Deindè ponuntur benedictiones episcopales; de quibus est quæstio; sub hoc titulo; Benedictiones ab Episcopo, vel ab alijs facultatem habentibus faciendæ. Ex quibus verbis sic argumentor. Facultas benedicendi indumenta sacerdotalia, & alia, quæ sub eodem titulo continentur, potest competere alijs Episcopo inferioribus, videlicèt Sacerdotibus, & hoc non iure ordinatio, seù propria auctoritate; ergò ex delegatione, ergò hæc facultas est delegabilis; quod est contra auctores primæ sententiæ, sed satis colligitur ex verbis Ritualis; ergò potest delegari ab Episcopo, cui de iure ordinario competit, & non solùm à Summo Pontifice.

Probatur hæc vltima consequentia; quià secundùm omnes, Ordinatius potest delegare, nisi ei fuerit expressè prohibitum; de qua prohibitione non constat in casu nostro.

Confirmatur primò, quià sub eodem titulo benedictionum episcopalium, de quibus loquimur

in ipso Rituali Romano, plures sunt benedictiones, de quibus exprefsè habetur, eas posse committi, seu delegari ab Episcopo simplici Sacerdoti, e.g. benedictio primi lapidis pro Ecclesia ædificanda; Benedictio simplex nouæ Ecclesiæ; Benedictio noui Cœmeterij, quæ non sunt minoris momenti benedictione indumentorum sacerdotalium & aliarum, de quibus est controuersia; ergò si munus benedicendi Ecclesiam, quod est proprium Episcopi, potest ab eo delegari simplici Sacerdoti, potest etiam delegari munus benedicendi indumenta sacerdotalia, &c. non obstante, quod vtrumque munus sit ordinis, & non iurisdictionis.

Confirmatur secundò, quià vbi opus est delegatione, seu priuilegio Summi Pontificis, id exprefsè declaratur in eodem Rituali Romano, e.g. vbi præscribitur ritus reconciliandi Ecclesiam violatam, sic in finè habetur, simplex Sacerdos, tantùm ex priuilegio Summi Pontificis potest Ecclesiam ab Episcopo consecratam reconciliare: cæterùm si nondum erat ab Episcopo consecrata, potest reconciliatio fieri per Sacerdotem ab Episcopo delegatum; sicuti habetur in eodem Rituali in principio eiusdem benedictionis; ergò in alijs etiam benedictionibus, quæ delegari possunt simplici sacerdoti, si non exprimatur pro delegatione, recurrendum esse ad Sedem Apostolicam, ea potest fieri ab Episcopo; consequentèr potest ab Episcopo delegari facultas benedicendi sacerdotalia indumenta, & similia, de quorum benedictione nullibi exprimitur, eam non esse delegabilem, vel pro delegatione recurrendum esse ad Sedem Apostolicam. Et ideò hanc sententiam defendunt Posseuinus, & Niger, quos citaui in comment. ad rubricas Missalis p. 2. tit. 1. sect. 4. dub. 3. quibus addi potest Angelus sup. allegatus, si mitius interpretetur, quatenùs asserit benedictionem indumentorum sacerdotalium non esse ordinis episcopalis, idest strictè, & rigorosè: & ideò posse fieri a Sacerdote inferiori, videlicèt ex delegatione facta ab ordinario; videri etiam potest Layman lib. 5. tract. 9. cap. 13. à num. 10. vbi citat Nauar. in fauorem huius sententiæ, & docet à fortiori Pellizzarius in manuali Regul. tom. 2. tract. 8. cap. 5. num. vbi asserit hoc munus posse delegari à Superioribus Regul. quià competit illis iure ordinario.

Quamuis autèm delegatio prædicta, vt probauimus, possit fieri ab Episcopo, non potest tamèn fieri ex priuilegio stabili, & permanenti, sicuti fit à Summo Pontifice Prælatis Religionum, & alijs, sed solùm per modum licentiæ singulis vicibus concedendæ; vel ad summum ad aliquos actus determinatos, vel ad breue tempus, sicuti alibi notauimus in comment. loc. sup. cit.

Ad fundamentum primæ sententiæ, Respondetur, verum esse, ea, quæ sunt ordinis delegari non posse; quandò, vel iure diuino pertinent ad talem ordinem vel saltèm iure ecclesiastico rigoroso, & stricto; secus est de illis, quæ iure quidem ecclesiastico sunt annexa tali ordini, e. g. episcopali, vt in casu nostro, sed minus strictè, & ex quadam decentia, vel ex maiori reuerentia erga sacrificium: tùnc enim delegari possunt ex sup. dict.

DVBITATIO VI.

De facultate benedicendi, qua gaudent Abbates.

PRæmittendum, Abbates medium locum tenere inter Episcopos, & simplices Sacerdotes: eò quià habent aliquid commune vtrique. Cum Episcopis quidèm, quià vtuntur insignibus episcopalibus; & habent iurisdictionem quasi episcopalem in suos subditos; cum Sacerdotibus verò; quià & ipsi Abbates sunt Sacerdotes (loquimur enim de Abbatibus iam promotis ad Sacerdotium;) sed ratione dignitatis præferuntur simplicibus Sacerdotibus, sed sunt minores episcopis, vt fusiùs explicat Tambur. de iure Abbatum disp. 11. q. 3. Insupèt recolenda est hæc diuisio benedictionis in eam, qua benedicuntur personæ; & eam, qua benedicuntur res aliæ inanimatæ: quæ rursus diuiditur in realem, & verbalem. His positis.

Respondeo, & dico primò quoad benedictionem personalem possunt Abbates, more Episcoporum benedicere solemnitèr populo in Ecclesijs proprijs: non verò in alijs, neque per vias, aut Ciuitates, & Villas, vt patet ex cap. Abbates de priuileg. in 6. & docent Syluest. ver. benedic. nu. 1. & pluribus allegatis Barbosa de potest. episc. p. 2. alleg. 27. nu. 67. & Tamb. de iur. Abb. disp. 23. q. 2.

Dico secundò, quoad benedictiones rerum, in quibus non interuenit sacra vnctio, & dicuntur verbales, possunt Abbates benedicere res illas, quæ iure communi pertinent ad Episcopum, e. g. indumenta sacerdotalia, corporalia, &c. non solùm pro suis Ecclesijs; sed etiam pro alienis, ex priuilegio Sedis Apostolicæ, de quo testantur Barbosa, & Tambur. locis citatis.

Dico tertiò: quoad benedictiones reales, quæ videlicèt sacra vnctione perficiuntur, possunt Abbates consecrare Calices, & Altaria: benedicere campanas, & cætera huiusmodi, etiam pro Ecclesijs alienis ex priuilegio Summi Pontificis, vt probant citati DD. & Diana pat. 3. tract. 2. resol. 15. vide ri potest Tamburinus supra, qui fusè differit de hac facultate Abbatum.

DVBITATIO VII.

De Priuilegijs Regularium circà munus benedicendi.

RESpondeo, & dico primò, Prælati Regulares, etiam Locales, videlicèt Præpositi, Rectores, &c. possunt solemnitèr benedicere proprias Ecclesias, Oratoria, ac Cœmeteria sine licentia proprij Ordinarij, ex indulto concesso Minoribus de Obseruantia; relato in compendio Mendicantium verbo benedicere num. 14. quod tamèn non videtur esse in vsu (nisi Ordinarij abessent) ad vitandam ipsorum Ordinariorum offensionem.

Non possunt tamèn Regulares prædicti ędificare Ecclesias absque cõsensu proprij Ordinarij, nec possunt benedicere primum lapidem: sed hæc benedictio pertinet omninò ad Episcopum ex cap. auctoritate de priuileg. in 6. cap. cum olim 2. de priuileg. & cap. nemo de consecrat. dist. 1. & videri potest Barbosa de offic. episc. alleg. 26. nu. 2. & Pellizarius in Manual. Reg. tom. 2. tract. 8. cap. 5. a nu. 62.

Dico secundò: Possunt Prælati Regulares, etiam Locales sine licentia proprij Ordinarij reconciliare proprias Ecclesias pollutas, si ipsæ Ecclesiæ solùm sint benedictæ, & non consecratæ, sicut docet Portel. de dub. reg. ver. Ecclesia in addit. nu. 1. quę benedictio fit aqua ab ipsismet benedicta iuxta cap. vlt. de consecr. Altaris.

Quod si Ecclesia sit consecrata, potest etiam reconciliari a Prælatis Reg. cum onere tamèn adhibendi aquam benedictam cum vino, & cinere, benedictam inquàm a proprio ordinario, si is non distet duabus diætis; idest 40. milliaribus. Si autèm distet vltra duas diætas; potest adhiberi aqua benedicta ab ipsomet Prælato Regulari ex priuilegio concesso à Leone X. & adducto à Casarubio in compend. priuil. nu. 15. & videri potest Diana par. 4. tract. 4. resol. 91. Ac supra dicta locum habent, etiam quoad Ecclesias Monialium Regularibus subiectarum, vt probat Pellizarius in Manual. Reg. tract. 10. cap. 9. nu. 38.

Dico tertiò: Prælati Regulares possunt benedicere corporalia, vestes sacerdotales, & ecclesiastica paramenta, ex priuilegio Leonis X. sup. cit. in præcedenti conclusione, de qua re tractaui in commentarijs ad Rubric. Missalis par. 2. tit. 1. sect. 4. dub. 3.

Dico quartò: Non possunt Prælati Regulares, qui non sunt Abbates benedicere altaria, calices, & campanas, & alia huiusmodi, in quibus interuenit sacra vnctio, nisi in aliquo raro casu, quandò degunt in partibus remotissimis infidelium; vbi Catholicus Episcopus non potest facilè inueniri, de qua re videri potest Pellizarius in Manuali Reg. tom. 2. tract. 8. cap. 5. num. 102. & Lezana qq. Reg. verb. altare.

DVBITATIO VIII.

De Benedictionibus laicis, & Ministris earum.

REcolenda hic est diuisio benedictionis sup. tradita sect. 1. dub. 2. in eam, quæ datur ex vi ordinis episcopalis, vel sacerdotalis, & in eam, quæ datur ex vi bonitatis, & meriti personalis, & peti solet à viris sanctis, & eximiæ virtutis, etiam si laici sint, quam ideò laicam appellamus. Alij vocant priuatam ad differentiam prioris, quæ fit publica auctoritate Ecclesiæ, vt videri potest apud Layman lib. 5. tract. 9. cap. 13. sed maioris claritatis gratia, melius laica dicitur, laicos autèm vocamus, non promotos ad ordines clericales, etiam si aliqui statum religiosum profiteantur; de qua benedictione, innumera suppetunt exempla in vitis Sanctorum, præsertim S. Hilarionis, S. Simeonis Stilitæ, & aliorum, ad quos frequens erat populi concursus, pro obtinenda ab illis benedictione: & ad hunc ordinem etiam reducitur benedictio parentum super suos filios, quamuis autèm hę benedictiones laicæ, non pertineant propriè ad nostrum institutum, quo solum prosequimur benedictiones an Ecclesia ordinatas, & sacris ordinibus annexas; nihilominus propter affinitatem; opere pretium est, pauca de illis dicere.

Respondeo, & dico primò: Benedictiones huiusmodi a viris sanctis collatæ, sunt valdè vtiles, & meritò æstimari debent. Ratio est; quia benedicere ex supradictis, est bona, & salutaria alicui precari; ergò illorum benedictiones magni æstimari debent, qui efficacius, & facilius a Deo impetrant, quæ alijs precantur; sed viri sancti, & amici Dei, efficacius impetrant, quæ a Deo postulant, & alijs precantur; ergò &c. hinc venerabilis Beda lib. 3. histor. Eccles. cap. 26. in magna, inquit, erat veneratione, tempore illo Religionis habitus, itaut vbicumque Clericus aliquis, aut Monachus adueniret, tanquàm Dei famulus, ore illius se benedici gaudebant. Idemque confirmat S. Hieronymus, in vita D. Hilarionis, & Theodoretus in historia Patrum cum alijs Scriptoribus.

Non negamus, benedictiones ab Ecclesia institutas, & sacris ordinibus annexas, maiores esse momenti, & efficaciæ; quippè, quæ nituntur meritis, & intercessione omnium iustorum; sed asserimus etiam illas benedictiones, quas laicas appellamus, valdè vtiles esse.

Dico secundo: Ministri harum benedictionum, sunt viri sancti, seu eximiæ bonitatis; qui tanquàm amici Dei, per benedictiones, eiusdem Dei bona dispensant; quibus, & ipsi abundant; vnde S. Basilius can. 27. ad Amphilochium, sic ait; Benedictio est sanctificationis communicatio; qui autèm eam non habet, quo modo alijs communicabit, &c.

Dubitari hic posset. An hæc facultas benedicendi, de qua loquimur, competat etiam fœminis? & respondendum videtur affirmatiuè; quia

cum

cum hæc facultas fundetur in ſanctitate, & amicitia Dei, non eſt cur negetur ſanctis mulieribus; vndè ſi quæ mulier opinione ſanctitatis commendabilis eſt; benedictionem ab illa, tàm viri, quàm fœminæ poſſunt non immeritò petere. Nec deſunt exempla, nàm S. Brigitta Dariam Virginem a cœcitate ſua benedictione liberauit, vt refert Surius tom. 1. & S. Hildegardis, quendam caduco morbo laborantem, ſua benedictione liberum reddidit, & ſimilia legi poſſunt apud Gretſerum de benedictionibus lib. 1. cap. 8. Inter has antèm benedictiones laicas, frequentiſſima eſt, quæ dari ſolet a parentibus ſuis filijs, de qua dicemus infrà de benedictionibus in particulari tit. 3. ſect. 17. cui ſimilis eſt benedictio, quæ dari ſolet a Monialium Abbatiſſis, ſuis ſubditis, quarum domeſticam gerunt curam, atque earum ſunt matres, titulo, & officio. Modo reuertimur ad benedictiones eccleſiaſticas, de quarum miniſtris ſuperſunt nonnulla inquirenda.

DVBITATIO IX.

De Requiſitis ex parte Miniſtri ad valorem benedictionis.

NON loquimur hic de poteſtate ordinis, vel epiſcopalis, vel ſaltèm ſacerdotalis, neceſſario requiſita in miniſtro ad valorem benedictionis, de qua ſupra iàm diximus; ſed ea præſuppoſita, quærimus hic, an ex parte miniſtri ſint neceſſariæ conditiones aliæ.

Prima difficultas eſt. An ad valorem benedictionis, requiratur intentio miniſtri, & qualis intentio ſit neceſſaria.

Reſpondeo: Requiri omninò intentionem miniſtri, vel expreſſam benedicendi, e.g. Altare, corporale, &c. vel ſaltèm implicitam, & virtualem faciendi, quod facit Eccleſia :] eo modo, quo in conficiendis Sacramentis, ſimilis intentio requiritur.

Probatur, quià id eſt commune omnibus actibus humanis, qui, neceſſariò quoad eſſe morale, pendet ex intentione agentis, vt cum D. Thoma 1. 2. q. 6. art. 1. & ſequentibus, docent communitèr Theologi, neque enìm actus agentium operantur vltrà finem eorum l. non omnis, ff. ſi certum petatur, ergò ſi miniſter benedictionis in caſu noſtro, nolit rem aliquam benedicere, vel conſecrare, ſed deluſoriè agere; benedictio erit nulla; & irrita ex defectu intentionis.

Confirmatur a ſimili; nàm ſi recitans officium, non habeat intentionem orandi, ſed legat pſalmos, ſtudij, vel recreationis cauſa, hic non ſatisfacit præcepto orandi, & ea recitatio eſt irrita, in ordine ad finem ab Eccleſia intentum, quæ præcipit actum orationis; ergò paritèr in caſu noſtro, ſi quis legat orationes, in formula benedictionis præſcriptas, abſque animo orandi, vel benedicendi; benedictio erit inualida ex defectu intentionis; ità DD. communitèr, & in caſu noſtro de benedictionibus, docet expreſſiùs Marſil. Columna in Hydragiol. ſect. 2. cap. 6. num. 2.

Secunda difficultas: An ad valorem benedictionis requiritur ex parte Miniſtri attentio ad ea, quæ legit, & facit, & qualis attentio ſufficiat.

Reſpondeo eodem modo hic eſſe philoſophandum, ac de attentione requiſita ad recitationem diuini officij; cum ergò iuxtà probabiliorem DD. ſententiam, ad ſatisfaciendum præcepto horarum canonicarum ſit neceſſaria attentio externa ad verba, ita vt integrè proferantur abſque notabili abſciſſione, vel mutilatione; non autèm attentio interna ad ſenſum, vel ad myſterium, de qua rè diximus in comment. ad Rubric. Miſſalis par. 1. tit. 17. dub. 5. idem proportionalitèr dicendum in caſu noſtro, de attentione requiſita ad valorem benedictionis, & docet Marſilius Columna loco citato num. 22.

Colligitur. Conſulendum omninò eſſe, vt miniſter benedictionis attentè, paritèr, & deuotè, proferat orationes ab Eccleſia præſcriptas, quibus conficitur benedictio, concurrendo ſuo priuato affectu, & meritò ad petitiones, quæ in illis fiunt; Cœterùm hoc non eſſe abſolutè neceſſarium ad valorem benedictionis, Quià ſicut in adminiſtratione Sacramentorum, effectus non pendet ex merito, vel deuotione miniſtri, qui non in ſua, ſed in Chriſti perſona operatur; ità neque in conficiendis Sacramentalibus; quorum effectus, & efficacia pendet ex merito, & interceſſione Eccleſiæ; Nec miniſter in ſua, ſed in perſona Eccleſiæ, ſeù nomine Eccleſiæ operatur. Non negamus, miniſtri ſanctitatem, & deuotionem nonnihil etiàm conferre ad effectus benedictionum, exorciſmorum, & Sacramentalium; ſed dicimus, eam non eſſe cauſam principalem, nec neceſſariam ad valorem, & effectum Sacramentalium huiuſmodi, vt cum D. Thoma 3. par. q. 71. ar. 3. docent communitèr DD. Palud. Durand. Soto, & alij, quos citat, & ſequitur Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 15. ſect. 4. §. non explicant, & Marſil. Columna ſup.

Tertia difficultas. An miniſter excommunicatus, vel ſimili cenſura irretitus, validè conficiat benedictiones, & Sacramentalia.

Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt, quia actus benedicendi, & conficiendi Sacramentalia, eſt actus ordinis, non iuriſdictionis, ex dictis ſuprà; ergò validè fit ab excommunicato etiàm vitando.

Probatur conſequentia; quià per excommunicationem, & cenſuras Eccleſia non aufert poteſtatem ordinis; quamuis ſæpè auferat poteſtatem iuriſdictionis. Peccat tamen excommunicatus hunc actum exercens illi prohibitum, vt dicemus infrà, ità Sylueſt. ver. conſecratio ſecundo num. 6. Tabiena eodem verbo nu. 8. Sayto de cenſuris lib. 2. cap. 1. n. 11. Suar. de cenſuris diſp. 11. ſect. 2. Bonacina de cenſuris diſp. 2. punc. 2. §. 4. & communitèr.

DVBI-

DVBITATIO X.

De Requisitis ex parte Ministri ad licitam administrationem benedictionum, & Sacramentalium.

Respondeo; Cùm res sacræ sanctè, & reuerentèr tractari debeant, ipso naturali lumine sic dictante, manifestum est ministrum benedictionis, vt licitè, & absque culpa hoc ministerium benedicendi exerceat, & Sacramentalia conficiat; teneri id facere cum debita reuerentia aliàs peccabit; sicuti eruditè explicat Marsilius Columna in Hydragiolog.sect.2.cap.6.Quarè examinandum est, in quibus casibus peccet, & qualitèr delinquat minister benedictionis, si minùs reuerentèr hoc munus exerceat.

Prima difficultas. An qui exercet hoc munus benedicendi in statu peccati mortalis peccet, & qualitèr peccet? Prima sententia sustinet eum peccare mortalitèr.

Probatur ex regula generali, quam tradit D. Thom.in 4.dist.24.q.1.ar.3 quæst.1. videlicèt peccat mortalitèr, qui exequitur in peccato mortali aliquod sacrum officium quod sibi ex ordinatione competit; sed munus benedicendi competit ex ordinatione, seù est actus ordinis; ergò, &c.ita Nauar.de horis canon.cap.6.nu.41.& Sayr.lib.2.cap. 7.q.1.ar.5.loquentes de benedictione aquæ lustralis. Alij quoque, quamuis non ità vniuersalitèr id affirment; sustinent tamen eandem sententiam quoad benedictiones sacratiores, & dicunt peccare mortalitèr Episcopum conficientem sacrum Chrisma in peccato mortali; vel benedicentem oleum infirmorum ità Medina cod.de pœnit.tract. 1.q.6. Nugnus in 3.p.q.64.art.6.diffic.2.& alij.

Secunda sententia probabilior, docet ministrum prædictum, vel nullo modo peccare, vel ad summum venialitèr. Quia obligatio se constituendi in statu gratiæ, vrget solùm in administratione Sacramentorum ob excellentiam talis functionis, qua immediatè Sacerdos concurrit ad sanctificationem animarum, tanquàm organum Spiritus Sancti, quæ ratio non militat in benedictionibus, & in administratione Sacramentalium; & ideò ministris benedictionum non est, cur imponatur idem onus, ita Caietanus tom. 2. opus. tract. 10. Suar.tom.3.in 3. par. di p. 16.sect.3. Vasquez in 3. p.disp.136.Pitigianus, & alij communitèr agentes de sacram.in genere, & agentes de benedict.Barbosa de potest.episc.p.2.alleg.27.num.61.Genuensis in manuali pastorum c.63.num.2.& alij.

Ad fundamentum primæ sententiæ. Respondetur exercentem in statu peccati mortalis officium ordinis sacri peccare mortalitèr ex genere suo; quarè in materia graui eum in specie committere peccatum mortale; secùs si materia leuis sit; materia verò grauis consistit in administratione Sacramentorum, & oblatione sacrificij; sicuti colligitur ex eodem D.Thom.3.p.q.64. ar. 6.non verò in benedictionibus, de quibus loquimur, vel in administratione Sacramentalium.

Secunda difficultas. An excommunicatus, vel alia censura irretitus, grauitèr peccet benedicendo aliquid, seù conficiendo Sacramentalia, & quam pœnam incurrat.

Respondetur, eum peccare mortalitèr, & incurrere in irregularitatem.

Probatur ex regulà generali, quam tradunt DD.in tract.de censuris, videlicèt, excommunicatum, & exercentem actum ordinis sacri, peccare mortalitèr, & fieri irregularem, vt constat ex cap.is cui de sententia excommun. sed munus benedicendi, est actus ordinis sacri, vt aliàs diximus, ergò, &c.atque ità loquentes in casu nostro de benedictionibus, docent Syluest.verbo benedict. nu.4.Bonacina de Sacramen. disp. 1. q. 3. punc. 2. num.8.Vgolin.de censur.tabul.1. cap.14. num.12. Barbosa de potest. episc. loc. sup.cit.Marsil.Columna in Hydragiol.sect.3. cap.1.nu. 28.& communitèr.

Tertia difficultas. Qualitèr peccet vsurpans munus benedicendi maioris dignitatis, e.g. Diaconus, vel alius inferior benedicens ea, quæ pertinent ad Sacerdotem; vel Sacerdos, ea, quæ pertinent ad Episcopum.

Respondetur, eum peccare mortalitèr, & fieri irregularem, posito, quod scientèr, & tanquàm ex officio id faciat.

Probatur: Clericus ministrans in ordine sacro, quem non habet, peccat mortalitèr, & fit irregularis, ex cap.1.& 2.de Cler.non ordinato ministrante: ità est in casu nostro; ergò, &c.ità Soto, Vgolinus, Sayr.& alij communitèr agentes de irregul. vt videri potest apud Bonacinam de censuris disp. 7.q.3.punct.6.& apud Suar.de censur.disp.41.sect. 3.& disp.42.sect.4.

Quarta difficultas. Qualitèr peccet minister benedictionis, si recitet preces benedictionis cum voluntaria distractione.

Respondeo in hoc casu committi a ministro peccatum veniale ob irreuerentia ergà Deum, ad quem diriguntur preces illæ, sicuti in simili diximus in comment.ad Rubricas Missalis p. 1. tit. 16. dub.5.Non peccat verò mortalitèr; quia attentio interna non præcipitur ab Ecclesia; neque eius defectus infert grauem iniuriam Deo, vt ibidem probauimus.

Quinta difficultas, an Minister benedictionis peccet omittendo ritus ab Ecclesia præscriptos.

Respondeo, si omittat ritus essentiales, & necessarios ad valorem benedictionis, quandoque peccat mortalitèr, vt supra explicauimus sect. 3. dub.3.In omissione verò rituum accidentalium non contingit, nisi culpa venialis, vt ibidem probauimus, dub.3.agentes de forma benedictionum.

SECTIO V.

De causa finali Benedictionum, deque earum effectibus.

DVBITATIO I.

In quem finem instituta sint ab Ecclesia Benedictiones.

RESpondeo: Benedictiones, & Sacramentalia instituta fuisse ab Ecclesia, ob duplicem finem: quorum primus est Cultus Dei, ad quem reducitur maior decentia, & ornatus in administrandis Sacramentis, & sacrificio offerendo: praeuijs benedictionibus ad hunc finem accomodatis. Secundus est, Vtilitas fidelium; qui per benedictiones, & res benedictas, quamplura beneficia consequuntur in salutem animarum, & corporum.

Probatur, quia finis Ecclesiae colligitur ex vsu, ad quem benedictiones, & res benedictae ab ipsa Ecclesia destinantur, & applicantur; sed vt constat ex praxi destinantur ad alterum ex praedictis finibus; ergò &c.

Probatur minor, quia benedictiones partim destinantur, & ordinantur, vt cum maiori pompa, & decentia offeratur sacrificium, & administrentur Sacramenta, in quem finem benedicuntur, & consecrantur altaria, calices, indumenta sacerdotalia, chrisma, oleum, & caetera huiusmodi. Partim in vsum pium fidelium, & ad obtinenda varia dona à Deo, in quem finem benedicuntur, aqua lustralis, cineres, comestibilia, &c. sicuti constat ex formulis singularum benedictionum, ergò, &c. atque ita docent Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 15. sect. 2. ConinK de Sacram. q. 71. art. 3. dub. vnic. Bonac. de Sacram. disp. 1. q. 7. punc. vnic. & communiter.

DVBITATIO II.

De effectibus prouenientibus ex Benedictionibus, & rebus benedictis.

CIrcà primum finem diuini cultus, ad quem destinantur benedictiones, & Sacramentalia, nihil hic dicendum occurrit; per se enim constat, tàm benedictiones, quàm alias caeremonias fuisse ab Ecclesia conuenientissimè institutas, vt fideles excitentur ad maiorem deuotionem, & reuerentiam erga Deum, & Sacramenta: & magis constabit ex dicendis de benedictionibus in particulari tit. 2. & 3. vbi explicabimus mysteria, quae singulis benedictionibus repraesentantur. Circà alterum verò finem vtilitatis fidelium, explicare oportet benedictionum effectus, & quos fructus, quaené emolumenta percipiant fideles ex illis.

Constat autèm inter omnes, Sacramentalia, seù res benedictas, non posse vi sua, & ex opere operato, conferre gratiam sanctificantem, quod est proprium Sacramentorum: Neque enim Christus reliquit potestatem Ecclesiae, instituendi Sacramenta qualia ipse immediatè instituit; sed solùm Sacramentalia minoris virtutis: Quaerimus ergò, quos effectus producant Sacramentalia ab Ecclesia instituta: e. g. aqua lustralis, cineres benedicti, &c.

Respondeo, ex rebus benedictis, seù ex Sacramentalibus prouenire fidelibus quinque praesertim effectus; quorum primus est, remissio peccatorum venialium. Secundus, collatio gratiarum excitantium, seù praeuenientium. Tertius, remissio poenarum. Quartus, ex. ulsio, vel compressio Daemonum. Quintus, tandem operatio sanitatum, & similium donorum temporalium, vt communitèr tradunt DD. agentes de Sacramentalibus. Non quod singula Sacramentalia, vel benedictiones, aut res benedictae omnes effectus praedictos operentur, sed aliquos ex illis, plures, vel pauciores, secundum Ecclesiae institutionem, quod ex formulis singularum benedictionum, & ex ritibus, a c precibus, quibus constant; colligendum est. Fundamentum huius doctrinae est; Quia verè Ecclesia habuit potestatem a Christo, instituendi Sacramentalia praedicta, & attribuendi illis aliquos effectus, vt probauimus supra sect. 3. dub. 1. quod autèm illis attribuerit effectus explicatos, colligitur manifestè ex formulis, vt dicebamus, quibus eadem Sacramentalia conficiuntur. Itèm in formulis praedictis Ecclesia precatur a Deo effectus praedictos suis fidelibus conferendos ex vi Sacramentalium; ergò asserendum est, verè conferri, quia orationes Ecclesiae sunt efficaces apud Deum; & impium esset opinari in hac re, ipsam Ecclesiam vel falli, vel vanitate duci, ita DD. communiter, D. Th. 3. p. q. 87. ar. 3. Syluest. & alij Summistae verb. Sacramentale, Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 25. sect. 4. ConinK de Sacram. q. 71. ar. 3. Delrius disquis. mag. lib. 6. cap. 3. Marsil. Column. in Hydragiol. sect. 3. cap. 2. & alij communitèr; Qualitèr autèm Sacramentalia huiusmodi effectus operentur, videbimus in sequentibus dubijs, agendo de singulis in particulari.

DVB.

DVBITATIO III.

Qualitèr per Sacramentalia, & benedictiones remittantur peccata venialia.

CErtum est, Sacramentalia, seù benedictiones, de quibus loquimur, & res benedictas, aliquam vim habere ad hunc effectum remittendi peccata venialia, ex communi sensu Fidelium, & Theologorum, & constat ex cap. aquam de consecrat.dist.3.ex cap.benedictio 1.q.1.& alijs, & ex DD.sup.cit.dub.præcedenti. Difficultas est circà modum, quo influunt in hunc effectum, e.g. An aqua lustralis vim habeat remittendi prædicta venialia, ex opere operato, vel solùm ex merito operantis.

Prima sententia sustinet: Sacramentalia remittere peccata huiusmodi ex vi propria, & ex opere operato, modò ex parte subiecti non sit obex, e.g.complacentia alicuius peccati:& posito,quod, quis piè,& religiosè vtatur ipsis Sacramentalibus, tanquàm rebus sacris.

Quod dupliciter explicatur. Aliqui enìm dicunt id fieri immediatè per Sacramentalia,absque vlla interna renouatione, & absque actu interno attritionis, quo formalitèr deleantur peccata: sed ex vi applicationis, e.g.aspersionis aquæ lustralis, à Deo remitti per extrinsecam condonationem, ità Caetanus, Victoria, Soto, Ledesma, & alij apud Suar.de pœnitentia disp. 12. sect. 2. & fauet Fillincius to.1.tract.6.cap.5.num.129.cum alijs.

Alij asserunt per Sacramentalia, remitti venialia, non immediatè, sed mediatè: quatenùs ex vi illorum, excitatur in suscipiente actus internus,e. g.attritionis, quo immediatè delentur; sed quià per eadem Sacramentalia excitatur infallibilitèr prædictus actus internus ex opere operato;idcircò dicuntur Sacramentalia causare hunc effectum remissionis ex opere operato, ità Gabriel Soto, & alij, quos citat Filliucius loco citato.

Probatur hæc sententia: Quià potuit Christus dare Ecclesiæ potestatem instituendi hæc remedia in remissionem venialium; itàut absque infusione gratiæ habitualis delerentur;siquidèm peccata venialia non opponuntur gratiæ habituali, & sanctificanti; ergò satis probabile est, de facto eam potestatem collatam fuisse, & Ecclesiam ea vti per Sacramentalia prædicta.

Probatur consequentia, quià sufficientèr id colligi videtur ex communi sensu fidelium, & ex citato cap.Aquam, vbi Alexander 1. dicit aquam benedici, vt ea cuncti aspersi sanctificentur, & iustificentur, vtique à peccatis venialibus.

Ex quibus colligitur semper, & infallibilitèt à fidelibus obtineri hunc effectum remissionis, si non ponatur obex; videlicèt si Sacramentalibus vtantur, tanquàm Rebus sacris; & tanquàm remedijs ab Ecclesia institutis, in remissionem venialium.

Secunda sententia probabilior docet, Sacramentalia non habere vim remittendi peccata venialia immediatè, & ex opere operato; neque infallibilitèr, sed solùm remotè, & per modum impetrationis, quatenus aliqua ratione ex meritis, & intercessione Ecclesiæ, excitant in nobis attritionem, & displicentiam peccatorum: atque adeò remissio obtinetur ex merito operantis, ita D. Th. 3.p.q.87.art.3.Suarez loc.cit.Layman lib.5.tract.9. cap.13.ConinK de Sacram.q.71.art.3. Bonacina de Sacram.disp.5.q.6.sect. 2.punc.2. & alij plures, quos citant.

Probatur prima pars; primò, quià probabiliùs est extrà Sacramenta non fuisse collatam Ecclesiæ aliam potestatem,remittendi venialia immediatè, vel ex opere operato; cum ergò sacramentalia, longè differant à Sacramentis, & omnem vim suam habeant ex institutione Ecclesiæ; sequitur; non posse habere eam vim remittendi venialia ex opere operato, & independentèr à merito operantis.

Antecedens probatur, quià plùs est posse Ecclesiam aliquibus rebus, eam vim annectere,quam per se immediatè exercere; sed extrà collationem Sacramentorum nulli Prælati Ecclesiæ possunt immediatè alicui remittere venialia; ergò neque possunt Sacramentalibus eam vim adnectere.

Probatur secundò, peccata venialia relinquunt in anima quandam maculam: ergò saltèm lege ordinaria tolli, & deleri non possunt; absque interna hominis renouatione per actum pœnitentiæ, quo formalitèr ea macula deleatur; ergò non possunt tolli immediatè per Sacramentalia iuxta primum modum dicendi primæ sententiæ. De secundo autèm dicendi modo disputabimus in sequenti dubio.

Secunda verò pars facilè probatur, quia Sacramentalia ex omnium consensu habent aliquam vim remittendi venialia: nec apparet alius modus aptior suprà explicato, videlicèt, per excitationem ad detestationem eorundem peccatorum per modum impetrationis; ergò ità asserendum est.

Antecedens probatur; quia hic modus est magis conformis eorum institutioni, & consecrationi, quæ fit per preces Ecclesiæ, quibus eadem Ecclesia nobis tales motus,seù actus pœnitentiæ precatur; ergò remissio prædicta non obtinetur, nisi mediante gratia excitante, quam nobis impetrat Ecclesia, posita applicatione Sacramentalium; ergò neque obtinetur infallibilitèr, neque ex opere operato, sed ex merito operantis, vt magis patebit in sequenti dubio.

Ad argumentum primæ sententiæ respondetur: Potuisse Christum, eam potestatem dare Ecclesiæ, sicùt etiam potuisset illi concedere potestatem instituendi Sacramenta; cœterùm de facto neutram potestatem contulit, sed sibi reseruauit iustis de causis.

Quandò autèm Sacri Canones, & SS. PP. indicant fideles mundari, & iustificari à venialibus per sacramentalia; intelligi debent remotè,& per modum impetrationis,vt sup.explicauimus: quemadmodùm etiam eleemosyna dicitur extinguere peccatum, & sic de alijs.

DVBITATIO IV.

Qualitèr per Benedictiones, & Sacramentalia excitentur in nobis gratiæ præuenientes.

Secundus effectus nobis proueniens ex benedictionibus, & vsu Sacramentalium, vt suprà dicebamus, est collatio gratiarum, quibus excitamur ad pios actus. Quærimus autèm Qualitèr Sacramentalia operentur hunc effectum.

Prima sententia sustinet, Sacramentalia causare hunc effectum ex opere operato, tanquàm instrumenta Dei in hunc finem ab Ecclesia instituta, ità Rabanus lib. de instit. Clericor. cap. 27. Caetanus in 3. par. quæst. 83. art. 7. Soto in 4. distin. 13. quæst. 2. art. 3. & Doctores citati in præcedenti dubio in fauorem secundæ sententiæ, quoad secundum dicendi modum.

Fundamentum est simile illi, quod adducunt Auctores primæ sententiæ, ad probandum remissionem venialium ex opere operato, quià videlicèt potuit Christus dare Ecclesiæ hanc potestatem, instituendi instrumenta gratiarum præuenientium, quibus excitentur fideles ad actus pios. Quod autèm verè dederit, & ea de facto vtatur Ecclesia per Sacramentalia, sufficientèr colligi videtur ex ritibus, & precibus, quibus eadem Sacramentalia conficiuntur.

Secunda sententia communis, & probabilior negat, Sacramentalibus hanc vim conferendi gratias ex opere operato, aut infallibilitèr; sed solum concedit operari hunc effectum per modum impetrationis ex meritis Ecclesiæ, atque adeò prædictum effectum non esse infallibilem, ità Vualdensis to. 3. tit. de Sacramentalibus cap. 147. Suar. tom. 3. in 3. p. dis. 15. sect. 4. ConinK de Sacram. q. 71. ar. 3. Marsil. Colum. in Hydragiol. sect. 3. cap. 2. nu. 27. & alij communitèr.

Probatur primò, quia Theologi, ex eo, quod solus Deus potest nobis infundere Gratiam sanctificantem; colligunt solùm Deum posse instituere Sacramenta, quibus ex opere operato eadem gratia confertur; ergò similitèr, cum solus Deus possit nobis infundere gratias præuenientes, & pios motus inspirare; sequitur, Deum sibi soli reseruasse institutionem mediorum, quibus conferantur gratiæ prædictæ ex opere operato, & de facto non instituit, nisi Sacramenta, & sacrificium; ergo Sacramentalia ab Ecclesia instituta non sunt instrumenta gratiarum prædicto modo; sed per modum impetrationis.

Probatur secundò, quià in benedictionibus, & precibus, quibus Sacramentalia consecrantur, Ecclesia non vtitur verbis assertiuis, significantibus hunc effectum absolutè futurum (sicut fit in formis Sacramentorum) sed vtitur verbis deprecatiuis, quibus ostendit, se tantùm à diuina misericordia, sperare eundem effectum, & alios similes, non autèm infallibilitèr euenturos; ergò dici non potest Sacramentalia operari suos effectus infallibilitèr, vel ex opere operato.

Confirmatur, quamuis enim Ecclesiæ deprecatio, plurimum valeat apud Deum; & aliquid communitèr impetret: non semper tamen obtinet totum, quod petit, sed prout diuinæ prouidentiæ pro loco, & tempore expediens visum fuerit. Ex quibus, patet solutio argumenti primæ sententiæ.

Quæ verò Sacramentalia in particulari habeant hanc vim operandi per modum impetrationis hunc effectum gratiarum præuenientium, dicemus dum de singulis benedictionibus in particulari, & colligi potest ex formulis earundem benedictionum.

DVBITATIO V.

An Benedictiones, & Sacramentalia, habeant vim remittendi pœnas pro peccatis debitas.

Præmittendum primò, quæstionem esse de pœnis temporalibus, quæ debentur pro peccatis iam remissis quoad culpam; siquidèm constat reatum pœnæ æternæ remitti non posse, nisi cum remissione culpæ mortalis, cui est annexus; cum ergò Sacramentalia non habeant vim remittendi culpam mortalem; consequentèr non possunt habere vim remittendi pœnam æternam.

Præmittendum secundò. Nos hic non loqui de remissione pœnæ per modum indulgentiæ, quæ solet quandoque adnecti benedictionibus, seu concedi, quando fit benedictio, præsertim super populum; sed loquimur de remissione pœnæ, ex vi præcisa benedictionum, & Sacramentalium. His positis.

Respondeo, negatiuè ad dubium propositum. Ratio est, quià virtus Sacramentalium, & benedictionum, colligi non potest, nisi ex precibus, & ritibus, quibus ipsa sacramentalia nomine Ecclesiæ conficiuntur, seu consecrantur; sed ex precibus huiusmodi, nullo modo colligi potest hæc vis remittendi pœnas, siquidèm nullis verbis exprimitur, aut significatur, ergò &c. Quod si benedictioni alicui, vel rei benedictæ sit adnexa indulgentia; tunc lucrantes indulgentiam, obtinent remissionem pœnarum, iuxta tenorem indulgentiæ, vltrà meritum, & satisfactionem propriam operantis; non autèm ex vi præcisa Sacramentalium, ità Suar. tom. 3. in 3. p. dispur. 15. sect. 4. Conink de Sacram. q. 71. ar. 3. Marsil. Colum. in Hydragiol. sect. 3. cap. 2. & communitèr.

Colligitur primò, vtentes sacramentalibus, e. g. aqua lustrali, palmis benedictis, candelis, &c. satisfacere quidèm pro suis peccatis, & obtinere aliquam pœnarum remissionem iuxtà mensuram actus pij quem exercent, sed ex merito operantis, non verò ex opere operato; quià sacramentalia non sunt ad hunc finem instituta, DD. citati.

Colligitur secundò, esse omninò improbabile, quod quidam dixerunt, videlicèt per benedictiones, & sacramentalia, interdum remitti pœnas debitas

debitas pro venialibus antè remissam culpam: quia cum reatus pœnæ sit proprietas, consequens necessariò culpam; quandiu hæc durat, tolli non potest pœna, ita Suar. loc. sup. cit. §. circa quartum.

DVBITATIO VI.

Qualem vim habeant Benedictiones, & Sacramentalia fugandi, vel coercendi Dæmones.

NOn loquimur hic de exorcismis ab Ecclesia per se institutis, ad pellendos Dæmones ex energumenis, in quem finem Clerici exorcistæ ordinantur; sed de virtute, quam ratione benedictionis habeant Sacramentalia fugandi quomodolibet dæmones, vel eos coercendi, nè fidelibus noceant.

Respondeo, & dico primò: Benedictiones, & res benedictas, seu Sacramentalia, certum est vim habere coercendi, & fugandi dæmones, & vitandi eorum insidias. Primò, quatenùs continent signum Crucis, & inuocationem nominis Iesu, & similia dæmonibus infensa, quæ tanquam sibi contraria fugiunt. Secundò ex impetratione Ecclesiæ, ex precibus, quibus fiunt benedictiones. Tertiò ex vi potestatis, quam Christus eidem Ecclesiæ contulit, & eius ministris calcandi super serpentes, & super omnem virtutem inimici, vt patet Lucæ 10. & Matt. 16. ita Suar. ConinK Marsil. dub. præced. citati, & alij communitèr. Quæ autèm res benedictæ hac virtute sint præditæ, dicemus de benedictionibus in particulari, e. g. de aqua lustrali, de palmis, candelis, campanis, &c.

Dico secundò. Hic effectus fugandi dæmones, quamuis principalitèr fundetur in merito, & sanctitate Ecclesiæ, & in potestate ordinis suprà explicata; Nihilominùs ad eius consecutionem, multum etiam prodesse potest sanctitas ministri applicatis Sacramentalia, & priuata eius oratio; quià tùnc dæmones minorem habent animum resistendi, ità DD. citati, & fusiùs explicat Marsilius Columna in Hydragiolog. sec. 3. cap. 2.

Dico tertiò: Effectus huiusmodi, contrà dæmones non est infallibilis; sed sæpè impeditur, vel propter priuatam, vel propter publicam causam sicuti explicat D. August. lib. 83. quæstionum q. 79. Ratio est tùm quià, benedictionibus, & exorcismis non est adnexa absoluta Dei promissio. Tùm quià cum hic effectus non pertineat ad donum gratiæ gratum facientis, sed ad liberationem a malo pœnæ; non solùm impediri potest ex demerito exorcizantis, vel exorcizati, seu patientis molestias, sed etiam propter maiorem vtilitatem animæ eius, qui a dæmone vexatur, vel propter aliud Ecclesiæ commodum. Vel tandem, quià ob causas nobis ignotas, aliquandò Deus tribuit dæmoni maiorem licentiam resistendi, vide Suarez, & alios DD. citatos.

DVBITATIO VII.

De vltimo benedictionum effectu salutis corporis, & donorum temporalium.

REspondeo: Benedictiones, & Sacramentalia prodesse etiàm fidelibus quoad sanitatem corporis, & temporalia bona per modum impetrationis; quamuis non infallibilitèr; siquidèm impetratio; quæ est effectus orationis, multis modis impediri potest; sicut docent communitèr DD. de oratione in communi.

Probatur hæc assertio, quià benedictiones communitèr sunt institutæ ab Ecclesia, nedùm in salutem animæ; sed etiam corporis, vt patet ex formulis ipsarum benedictionum, & ex precibus, quibus ipsa Ecclesia vtitur in benedictionibus aquæ lustralis, domorum, nauium, comestibilium, &c. de quibus singulis suo loco dicemus; certum est autèm preces Ecclesiæ magnam vim habere obtinendi ea, quæ à Deo petuntur; nisi aliud magis expediat, ità Vualdensis tom. 3. de Sacramental. cap. 1. D. Th. 2. 2. q. 90. Soto lib. 8. de iust. q. 3. art. 4. Suar. & alij sup. citati in præced. dubijs.

Tandèm aduertimus circà res benedictas, & vsum illarum in ordine ad effectus explicatos, monendos esse populos, virtutem, & efficaciam, non sitam esse in qualitatibus naturalibus ipsarum rerum; sed in diuinæ virtutis operatione per intercessionem Ecclesiæ; cum autèm virtus diuina, & supernaturalis, prærequirat dispositionem aliquam in ijs, quibus conferenda sunt dona, quæ desiderant, monendi inquàm sunt populi, vt piè, & religiosè vtantur rebus benedictis, seu Sacramentalibus, vt fructus eorum consequantur; videlicèt cum debita veneratione, & fide, ac spe muniti, sicuti expresè habetur in Concilio Moguntino cap. 39. & notat etiam Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 15. sect. 4. §. sed explicandum.

SE-

SECTIO VI.

De benedictionum duratione, & desitione.

DVBITATIO I.

Quandiù res benedictæ retineant esse sacrum per benedictionem adeptum, & qualitèr benedictionem amittant.

ADuertendum hoc dubium habere locum circà benedictiones constitutiuas, quibus confertur esse sacrum rebus benedictis, e.g. circà oleum sanctum, circà aquam lustralem, & indumenta sacerdotalia, atque alia huiusmodi: Siquidèm aliæ benedictiones inuocatiuæ, quibus non efficiuntur res sacræ, nec relinquunt effectum aliquem permanentem, in quo censeantur benedictiones durare, statim transeunt completis orationibus; seù precibus, in quibus consistunt; huiusmodi sunt benedictio super populum, benedictio rerum comestibilium, domorum, &c. quæ non remanent sacræ per benedictionem; sed imploratur diuina protectio, vt illis assistat, & mala auertat. loquendo ergò de benedictionibus constitutiuis.

Respondeo: Res benedictas tandiù retinere benedictionem, seù illud esse sacrum per benedictionem adeptum; quandiù in eis durat dispositio necessariò ab Ecclesia in eis præerequisita ad ipsam benedictionem: seù dispositio, sub qua benedici præcipiuntur E contrà ea dispositione deperdita, cessat etiam benedictio, atque adeò res illæ non sunt ampliùs sacræ, ità colligitur ex cap. quod in dubijs de consec. Ratio: quia sicut in naturalibus, pereunte in subiecto dispositione necessaria ad introductionem, & conseruationem formæ; perit ipsa forma; e.g. perit forma ignis pereunte calore; ita paritèr in moralibus perit benedictio, & consecratio rerum, pereunte dispositione, sub qua res qualibet ex institutione Ecclesiæ benedici debet; ità Syluest. & alij Summistæ ver. benedictio, & alij DD. communitèr, quos adduxi in Comment. ad Rub. Missal. p. 2. tit. 1. sect. 4. dub. 4.

Hæc autèm necessaria dispositio ad recipiendam, & retinendam benedictionem, vel consecrationem, duplex est, videlicèt, vel naturalis, vel artificialis. Naturalis est ipsa forma essentialis rei, qua res ipsa constituitur sub tali specie rerum naturalium; e.g. forma essentialis olei, balsami, aquæ, &c. quæ benedicuntur, vel consecrantur, quatenùs naturalitèr talia sunt, per formam essentialem olei, &c. Artificialis consistit in tali, vel tali figura, & modo, sub quo, & non alitèr res benedicenda ex institutione Ecclesiæ, est benedictionis capax; sic benedicuntur indumenta sacerdotalia, sub tali figura, seù forma artificiali, candelæ, campanæ, &c. ità DD. citati, & constat ex praxi Ecclesiæ.

Colligitur primò: Oleum Sanctum, & Chrisma semper retinere benedictionem, seù esse sacrum per benedictionem adeptum, quandiù retinent suam formam naturalem, & quandiù sunt verum oleum, & verum balsamum, quod si corrumpantur, perdunt consecrationem; quamuis ex præcepto, prædicta singulis annis renouari debeant, de qua re agunt DD. de Sacramentis, Confirmationis, & Extremæ Vnctionis, idemque dicendum de aqua lustrali; de campanis, & alijs.

Colligitur secundò: Vestes sacerdotales benedictas tandiù retinere benedictionem, quandiù retinent figuram, seù formam artificialem, sub qua benedici præcipiuntur: E contra per fractionem, vel scissionem, qua perditur prædicta figura; perditur etiam benedictio, & fiunt inepta ad vsum sacrificij. Idemque dicendum est de Altari, de Calice, & alijs huiusmodi, de quibus dixi in comment. ad rub. Missalis p. 2. citata tit. 1. sect. 1. Similitèr candelæ benedictæ retinent benedictionem, quandiù retinent formam artificialem, seù figuram candelarum, quæ componuntur ex cera, & lyceno; nec perdunt benedictionem, ex eo, quod accensa, paulatim consummantur; quippè ad hunc vsum destinantur: sed si separetur cera ex lyceno, vel aliàs destruatur figura prædicta, itaut moralitèr dici non possint candelæ, & sic de alijs.

DVBITATIO II.

An res semèl benedicta, & retinens esse sacrum, possit iterum benedici.

REspondeo, & dico primò: Res benedictæ, benedictione constitutiua, quandiù durat prior benedictio, seu esse sacrum per illam adeptum, non possunt iterum benedici simili benedictione.

Probatur, quia secunda benedictio, nullum haberet effectum, & sic frustratoria esset: ergo ineptè adhiberetur cum iniuria sacræ benedictionis.

Probatur antecedens: illud esse sacrum, quod res habet ex vi primæ benedictionis, non potest replicari, neque augeri in eadem re, per secundam benedictionem eiusdem rationis cum prima; ergò frustra, & irrisoriè adhibetur secunda benedictio; sicuti enim in naturalibus non possunt esse in subiecto plura accidentia absoluta, solo numero distincta; e.g. plures albedines, ità paritèr in moralibus, idem subiectum in casu nostro non est capax duplicis benedictionis, seu duplicis esse sacri eiusdem rationis.

Confirmatur ex praxi Ecclesiæ: nunquàm enim, altaria, calices, indumenta sacerdotalia, aqua lustralis, & cætera huiusmodi, iterum, & pluries benedicuntur.

Quale autem peccatum sit prædictas benedictiones constitutiuas iterare, & res benedictas iterum

rùm benedicere? Dicendum videtur esse culpam venialem, quia non apparet hic grauis irreuerentia, qualis committitur in iteratione prohibita Sacramentorum; siquidem Sacramentalia in ordine rerum sacrarum, sunt longè inferiora Sacramentis; Nec frustrare suo effectu formas benedictionum, videtur res tanti momenti, vt culpa mortalis committatur, sicut contingit in Sacramentis.

Colligitur, ea, quæ diximus de peccato irreuerentiæ, quod committitur in iteratione benedictionum; intelligenda esse, quandò quis absolutè iteraret benedictionem aliquam super eandem rem, quam constat fuisse benedictam, & retinere benedictionem; nàm in dubio posset vtique iterari sub conditione, posita necessitate, sicut de Sacramentis, quæ iterari non possunt, docent communiter DD. ea posse, & quandoque iterari debere sub conditione, posita necessitate, & casu dubio; quia cum conditio nihil ponat in esse, tollit irreuerentiam iterationis, posito, quod Sacramentum fuerit collatum: vel adhibita benedictio in casu nostro, e.g. si dubium occurreret. An hic calix sit consecratus nec ne, posset consecrari sub conditione.

Dico secundò: Benedictiones merè inuocatiuæ possunt iterum, & sæpius replicari super eadem re. Sic benedictio in fine Missæ, datur singulis diebus eisdem personis, & sæpius ab Episcopo benedicitur idem populus; sic etiam benedictio domorum renouatur singulis annis in Sabbato Sancto, &c. Ratio est; quia cum benedictiones huiusmodi non conferant vllum esse sacrum rebus, quæ benedicuntur, sicut fit per benedictiones constitutiuas; non frustrantur suo effectu ex iteratione; & cessat in illis illud inconueniens de multiplicatione accidentium eiusdem rationis in eodem subiecto. Insupèr cum benedictio inuocatiua solùm consistat in deprecatione; qua imploratur diuina protectio in vtilitatem Fidelium; sicut potest sepius repeti eadem oratio, ità etiam hæc benedictio.

Obijci hic potest argumentum ex cap. vir de secundis nuptijs, vbi sic habetur; vir autem, vel mulier ad bigamiam transiens, non debet à Presbytero benedici; quia cum alia vice benedicti sint; eorum benedictio iterari non debet; ex quibus verbis sic licet argumentari. Transeuntibus ad secundas nuptias, denegatur benedictio, non quia in secundis nuptijs sit ratio benedictionem impediens, sed solum ob indecentiam iterandæ benedictionis super easdem personas; ergò nulla benedictio nec inuocatiua, qualis est prædicta, iterari potest.

Respondetur in cap. citato, non assignari rationem vniuersalem benedictionis non iterandæ; consequentèr non decidi benedictionem inuocatiuam super easdem personas, iterari non posse; hoc enim est apertè falsum, vt constat de benedictione solemni supèr populum, quæ sæpius datur ab Episcopis; sed assignatur ratio, cur in secundis nuptijs deneganda sit benedictio sponsis ad bigamiam transeuntibus; atque est sermo de hac peculiari benedictione nuptiarum; & non de alijs; de hac ergo benedictione deciditur, quod iterari non debeat in casu posito; quià vel vir, vel mulier alia vice benedictionem nuptialem obtinuit, videlicèt in primo matrimonio, in quo seruatur perfecta significatio Sacramenti, videlicèt matrimonij Christi cum Ecclesia, & vnius sponsi, vnius sponsæ, & id circò datur benedictio, quæ ordinatur ad significationem talis mysterij. E contrà in secundis nuptijs deficit perfecta significatio Sacramenti; quia non est vnus sponsus vnius sponsæ, ideò denegatur benedictio; quam rationem reddit D. Thomas, magis explicans textum cap. citati vir in 4. distin. 42. quæst. 3. art. 2. ad. 2. Vndè reijciendi sunt Doctores oppositum sentientes, & æquiparantes hanc benedictionem nuptialem consecrationi Ecclesiæ, vel Altaris, &c. inter quos est, Sanchez de matrimonio lib. 7. disput. 82. num. 16. Siquidèm benedictio nuptiarum non est constitutiua: neque ea consecrantur personæ, sed est merè inuocatiua, vt per se patet.

DVBITATIO III.

An per violationem loci sacri, vel per interdictum amittatur, vel minuatur eiusdem loci benedictio.

RESpondeo. Neque per violationem Ecclesiæ, seu loci sacri, neque per interdictum extingui, vel tolli benedictionem eiusdem loci sacri violati, vel interdicti; sed solùm impediri effectus benedictionis, & in hoc sensu minui; quatenus locus sacer, ratione benedictionis ius habet, vt in eo possint celebrari diuina officia, & aliæ sacræ functiones exerceri: & per violationem, seu pollutionem, vel per interdictum locale, prædicti effectus impediuntur. Quarè non extinguitur benedictio; sed veluti mortificatur, & suspenditur Cessante verò interdicto: vel facta reconciliatione loci violati, statim reuiuiscit eadem benedictio.

Probatur, quià cessante interdicto, non indiget Ecclesia noua benedictione; ergò signum est benedictionem non fuisse extinctam. Itèm post violationem non indiget Ecclesia noua benedictione; sed solùm reconciliatione, quæ est diuersi ritus; ergò prima benedictio non fuit extincta, sed mortificata, & impedita, & per reconciliationem reuiuiscit. Qualitèr autèm differant prædicti ritus, videri potest in Rituali Romano.

SE-

SECTIO VII.

De Benedictionum abusu, deque indigna tractatione rerum benedictione consecratarum.

Quemadmodùm alijs rebus sacris multipliciter abuti solet humana improbitas, e.g. Sacramentis, Sanctorum reliquijs, & alijs huiusmodi; ità paritèr, benedictiones quandoque vertit in maledictiones, & Sacramentalia in execrationes. Vndè ad complementum huius primi tituli de benedictionibus in genere, opere pretium videtur, præcipuos benedictionum abusus hic explicare, vt pij Fideles ab illis caveant; & sacrilegos redarguant.

Possunt autèm reuocari ad quatuor capita. Quorum primus ad Simoniam pertinens, procedit ex auaritia ad cap. tandum lucrum temporale ex benedictionibus.

Secundus benedictionum abusus, pertinens ad scandalum, oritur ex adulatione; qua laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur.

Tertius abusus, pertinet ad superstitionèm,qua per inuocationem dæmonis, manifestè benedictio in maledictionem vertitur.

Quartus tandèm pertinet ad sacrilegium, vel irreligiositatem, qua indignè tractantur res benedictæ, vel consecratæ, de quibus singulis breuitèr disserendum est.

DVBITATIO I.

De primo benedictionum abusu ad lucrum simoniacum.

Respondeo, & dico primò: Vendens benedictionem, seu actum ipsum benedicendi, vel rem benedictam, quatenùs benedictam, peccat mortalitèr peccato simoniæ.

Probatur: quia dat spirituale pro temporali, in quo vitium simoniæ, consistit, ob iniuriam, quæ fit rei sacræ, ità Nauarr.sum.cap.23.num.99.Layman lib.4.tract.10.cap.vltimo §.4.num. 35. Suarez de simonia cap. 14. vbi probant, benedictiones, consecrationes, & omnia Sacramentalia esse materiam simoniæ, ex cap. cum in Ecclesia de simonia.

Dico secundò: Non est illicitum vendere res benedictas, non ratione benedictionis, sed præcisè ratione materiæ secundùm se pretio æstimabilis e.g.vendere calices consecratos,vestes benedictas, medalias, &c.dummodò non pluris vendantur ob annexam benedictionem.

Probatur, quia in hoc casu non datur spirituale pro temporali, quod est prohibitum; sed temporale pro temporali, ità DD. citati. Limitatur hæc conclusio, nisi obstet specialis Ecclesiæ prohibitio interdicentis rei alicuius sacræ venditionem, etiam quoad materiam; tunc enim committeretur simonia iuris ecclesiastici; e. g. si venderetur locus sepulturæ in cœmeterio benedicto, vt infrà dicemus, dum de benedictione cœmeterij.

Dico tertiò, si à ministro benedictionis aliquid accipiatur, non vt pretium benedictionis, sed gratis, & sponte, datum vel in stipendium sustentationis, vt fit pro Missis; vbi introducta est talis consuetudo, vel pro labore extrinseco; nullum committitur peccatum: quià non commutatur res spiritualis cum temporali, quod est intrinsecè malum; sed alio titulo, secundùm se licitò accipitur aliquid temporale, occasione functionis spiritualis, ità citati DD.

DVBITATIO II.

De Benedictionum abusu per adulationem in scandalum pusillorum.

Respondeo: Vsurpans benedictiones in adulationem, seu vtens illis, tanquàm instrumentis adulationis ad pertrahendos simplices, vel firmandos ad peccandum, duplicitèr peccat, tùm peccato scandali, quod erit mortale, si peccatum, ad quod alium inducit fit mortale: tum peccato irreligiositatis ob iniuriam sacræ benedictioni illatam, & inuocationi diuini nominis benedictioni annexæ; in quo grauis apparet deformitas:dùm benedictio, instituta in Dei honorem, & laudem, detorquetur in eius offensam. De hoc abusu loquens Apost. ad Rom. 16. sic ait, per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium; & adulatores huiusmodi,vocat idem Apost. offendiculorum disseminatores. D. etiam Hieronymus, de benedictionum abusu, sic scribit in cap.1.Malachiæ: Sacerdotum benedictiones, vertunt in maledictionem, quandò non benedicunt ex vero cordis affectu, sed per dulces sermones, & benedictiones decipiunt corda innocentium; & qui iniquè agunt, benedicuntur ab eis, adulanturque peccatoribus, atque eorum vitijs blandiuntur, &c.de quibus Psalmista, laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur, de quo vitio adulationis,videndus. D.Th.2.2. q.115.art.2.& D.Antoninus p.2.tit.10. cap. 2.§.2.

Colligitur, grauitèr peccare eos, qui benedicunt manus homicidæ, vel linguas susurronum, & detractorum, aut labia meretricum, &c. tùm ratione materiæ; quià obiectum laudis, est peccatum mortale: tùm ratione effectus, quia præbetur alijs occasio grauis peccati, ità D. Thomas suprà, quem sequuntur communitèr.

DVBI-

DVBITATIO III.

De superstitioso benedictionum abusu ad effectus impertinentes, aut vanos.

RESpondeo: Si quis temerè benedictione aliqua vtatur ad procurandos effectus, ad quos, nec ex Dei, neque ex Ecclesiæ institutione vllo modo ordinatur; grauitèr peccat peccato superstitionis; quia hoc ipso miscetur tacita inuocatio dæmonis. Tales erant olim benedictiones aquæ calidæ, & aquæ frigidæ, quæ solemnibus cæremonijs instituebantur, priusquam quis aqua calida, vel frigida innocentiam suam probaret, vel à delicto se purgaret, quas benedictiones prohibuit Innocentius III. in Concilio Lateranensi: præcipiens, n vllus Clericus, purgatione aquæ feruentis, aut frigidæ; vel ferri candentis, cuiuslibet benedictionis ritum impendat. Item lib. 5. Decretalium, proptio titulo præscribuntur, & exterminantur: Ratio est, quia non potest benedictio esse licita, vel Deo grata, quandò per eam ipse Deus tentatur, vt producat effectum, quem tali medio producturum, nec ipse per scripturas promisit, nec per Ecclesiam patefecit: sed nullibi nec vnquàm declarauit Deus, se, vel innocentiam cuiuspiam; vel e contra delinquentis malitiam manifestaturum, si ille ab aqua calida, aut ab ignito ferro illæsus, iste verò læsus abiret; etiam si aquæ, vel ferro, adhibita fuerit bened ictio, ergò, &c.

Colligitur primò: Cùm Deus nunquam promiserit occultam veritatem per monomachiam, siuè duellum manifestare; illicitum esse, benedicere arma, ad vsum duelli; & ad cognoscendam occultam veritatem ex eius euentu; atque id pertinere ad superstitionem, & tentationem Dei.

Colligitur secundò, esse etiam superstitiosas nonnullas benedictiones, quibus mulierculæ, & aliqui idiotæ vtuntur, ex suo arbitrio, & dæmonis arte inuentas; quibus dicunt sanitatem, vel similes effectus infallibilitèr obtineri; etiam si verbis sacris constent; siquidèm hoc ipso, quod nec à Deo, nec ab Ecclesia instituta sunt; superstitiosum est, eas ad illos effectus adhibere; quibus producendis, nec ex Dei, nec ex Ecclesiæ ordinatione pares sunt. Quod si indè verè sequatur sanitas infirmi, vel similis effectus, adscribendus est arti diabolicæ, ex implicito pacto cum dæmone, qui sub his speciosis benedictionibus venenum abscondit, vt docent cōmunitèr DD. in tract. de superstit.

DVBITATIO IV.

De indigna tractatione rerum, benedictione consecratarum.

QVartus, & vltimus benedictionum abusus, vt suprà insinuauimus, est indigna tractatio rerum, quæ per benedictionem effectæ sunt sacræ, & Deo dicatæ; quarè hic abusus, est contra virtutem Religionis, & cultum Deo debitum; quatenùs inhonoratio rerum sacrarum, & benedictionum, saltèm indirectè redundat in Deum, cui sunt consecratæ, sicuti docet D. Th. 2. 2. q. 99. art. 5. & cum eo communitèr, Lessius lib. 2. cap. 45. dub. 3. Suar. tom. 1. de Relig. trac. 3. lib. 3. de sacril. cap. 6. Layman lib. 4. tract. 10. cap. 7. nu. 13. & alij, quos citant. Ad pleniorem verò intelligentiam.

Aduertendum, res benedictas, reduci posse ad triplicem ordinem. In primo ordine collocantur illæ, quæ, vel sunt materiæ Sacramentorum, vt oleum sanctum, chrisma, & aqua baptismalis; vel ordinantur immediatè ad vsum sacrificij, vt altaria, calices, vestes sacerdotales, & alia huiusmodi, ad quem ordinem etiam reducuntur cruces, & imagines sacræ, quæ etiam benedici solent. In secundo ordine collocantur res illæ, quæ benedicuntur ad vsum pium Fidelium extrà Sacramenta, & sacrificium; vt cineres, candelæ, palmæ, aqua lustralis, & cætera huiusmodi, quæ sunt instrumenta gratiarum, & remissionis venialium, &c. modo explicato sect. 5. In vltimo tandem ordine sunt res illæ, quæ per benedictionem non fiunt sacræ, aut specialitèr Deo dicatæ, vt aliæ primi, & secundi ordinis, sed benedicuntur benedictione merè inuocatiua, vt sint innoxiæ, seu per benedictionem, & inuocationem diuini nominis, inuocatur Dei auxilium, vt fideles benè illis vtantur in salutem animæ, & corporis, & nè dæmones per illas nocere audeant, vide Laym. loc. sup. cit. sic benedicuntur domus, naues, res comestibiles, & alia huiusmodi: his positis.

Respondeo, & dico primò: Tractare indignè, seu cum irreuerentia, & dedecore, res benedictas primi ordinis, est sacrilegium ex genere suo mortale; e. g. conculcare oleum sacrum, vel in contemptu, aut data opera in terram proijcere: vti calice consecrato ad bibendum in profanis conuiuijs, induere vestes sacerdotales in ludis, & comedijs, &c.

Probatur; quià res huiusmodi benedictæ, benedictione constitutiua, quà sacræ efficiuntur, peculiari ratione referuntur ad Deum, cui specialitèr dicantur: ergò illatum inhonoratio, seu indigna tractatio, in Deum ipsum redundat, atq; adeò pertinet ad crimen sacrilegij, quod tantò grauiùs est, quantò res inhonorata est sacratior, & inhonoratio turpior. DD. initio cit.

Colligitur primò. Ad hoc sacrilegij crimen incurrendum, necesse non esse, vt quis directam intentionem habeat res sacras inhonorandi, vel contemnendi, (quod hæreticorum proprium est:) sed ipsa indigna tractatio, si verè redundet in eatum

D oppto-

opprobrium, & aduertentèr fiat, ſacrilega eſt, DD. cit.

Colligitur ſecundò, ſi indigna ſacrarum rerum tractatio, ſeù inhonoratio leuis ſit; tunc ratione paruitatis materiæ ſacrilegium fore veniale; vt ſi quis ſecretò, & coram paucis ob curioſitatem, ſe, indueret veſtibus ſacris, vel ex negligentia fœdaret, DD. cit.

Dico ſecundò, indigna tractatio rerum ſacrarum ſecundi ordinis ſecluſo contemptu, vel ſcandalo, pertinet ad irreligioſitatem, quæ communitèr non excedit culpam venialem, e.g ſi comburantur palmæ benedictæ ad vſum profanum, vel ſeruentur in loco indecenti, &c. Ratio, quià rès prædictæ ſunt in infimo ordine rerum ſacrarum, quibus proinde longè minor debetur cultus, & reuerentia, quam alijs, quæ ad ornatum, & cultum ſacrificij, vel Sacramentorum ſunt ordinatæ; ergò non videtur culpa mortalis ſed venialis illarum inhonoratio, ſecluſo graui contemptu.

Comfirmatur primò, quià res benedictæ huius ſecundi ordinis, vt palmæ, candelæ, cineres, &c. diſtribui ſolent abſque cautela, & traduntur, quibusuis perſonis, etiam imperitis, & pueris, a quibus minus decentèr ſæpiùs tractantur; neque ob id grauiter reprehendi ſolent; ergo ſignum eſt, non eſſe illis debitam, tàm magnam reuerentiam, qualis debetur rebus benedictis primi ordinis: ergo irreuerentia contra illas non videtur grauis culpa.

Cōfirmatur ſecundò, quia aqua luſtralis quę pręcipua eſt inter Sacramentalia huius ordinis, publicè exponitur, vt ea ſe aſpergant fideles abſque vllo reſpectu, nè in terram decidat, nec vlla poſtea adhibetur diligentia, nè a prætereuntibus caſu conculcetur; & ratione finis, ad quem deſtinatur id non prohibetur; ergò non apparet grauis irreuerentia, etiam ſi quis abſque contemptu data opera ſinat eam cadere in terram.

Colligitur, nullum videri peccatum, vti prædictis rebus in vſus profanos non indecentes, vt ſi quis candela benedicta vteretur accenſa ad ſtudendum, vel biberet aquam benedictam ad extinguendam ſitim, &c.

Dico tertiò; Indigna tractatio rerum tertij ordinis, quæ benedicuntur, benedictione merè inuocatiua, nullum continet peccatum, ex hoc præciſo capite; quia eis fuit adhibita benedictio; huiuſmodi ſunt, res comeſtibiles benedictæ, domus, naues, &c. Ratio eſt, quia ex benedictione, nullum eſſe ſacrum acquirunt, nec ſpecialitèr dicantur in cultum Dei; ſed ſolùm benedicuntur, vt ſint innoxiæ, & nè dæmon per illas noceat; ergo illarum abuſus non eſt contra virtutem Religionis quamuis opponi poſſit alijs virtutibus, e. g. temperantiæ caſtitati &c. Et hac ratione poſt benedictionē communis menſæ, & ciborum abſqoe vllo ſcrupulo porriguntur canibus aliqui ex cibis in menſa poſitis; itèm, domibus, & nauibus benedictis eodem modo vtimur, ac alijs non benedictis. Atque hæc ſatis dicta ſint de benedictionibus in genere: conſequentèr differendum eſt, de ſingulis in particulari, & primò de ſolemnibus.

TITVLVS

TITVLVS SECVNDVS DE BENEDICTIONIBVS SOLEMNIBVS IN PARTICVLARI.

SECTIO I.

De benedictione cinerum, Feria quarta in capite ieiunij.

IVxta ordinem Missalis Romani, vbi initium sumitur ex proprio Missarum de tempore; primo loco explicanda occurit benedicto cinerum, quæ fit feria 4. cinerum, sic dicta, ab eadem cinerum benedictione: itèm ab initio quadragesimalis ieiunij, appellatur feria in capite ieiunij. Deindè, seruato eiusdem Missalis ordine; procedemus ad reliquas benedictiones; quibus aptiori loco inseremus nonnullas alias, partim ex Pontificali, partim ex Rituali Romano desumptas; quarum notitiam deuotis fidelibus magis profuturam speramus.

PRAELVDIVM I.

De origine, & causis benedictionis cinerum.

RÉspondeo, & dico primò; Ritus benedicendi cineres, & aspergendi eosdem supèr capita pœnitentium, originem ducit ab Apostolis: siquidèm cum ipsa Christiana Religione exortus est: sicuti constat ex Tertulliano *lib. de pænitentia*, ex D. Isidoro *lib. 2. de offic. Eccles. cap. 16.* cui titulus est de *pænitentibus*, & ex antiquo ordine Romano sub hoc tit. *ordo in fer. 4. quadrag.* vbi inuitantur Fideles ad suscipiendos cineres. Imò in veteri etiam testamento viguit hic mos aspergendi cineres super pænitentes; & indè ad testamentum nouum piè translatus fuit, sicuti eruditè explicat Durand. *in Rationali lib. 6. cap.* 28. Porrò translationes consuetudinum huiusmodi ex veteri ad nouum testamentum non fiunt, nisi mutatis omninò cœremonijs veteris legis, in alias longè diuersæ significationis, vt explicauimus *tit. 1. sect. 2. dub. 3.* & idcircò origo huius benedictionis absolute tribuitur Apostolis, a quibus manarunt præcipui ritus, quibus modo vtitur Ecclesia; quamuis nonnulli additi fuerint a successoribus, & Romanis Pontificibus. Præsertim verò quoad benedictionem cinerum a S. Gregorio Papa institutum fuit, vt in actu

aſperſionis eorum, à Sacerdote pronuntietur, *Memento homo, quid puluis es, &c.* quod monitum habetur *Geneſ.3.* atque ità refert Duſauſſay in *Panoplya ſacerdotali p.2.lib.2.cap.6.ar.11.*

Dico ſecundò. Quoad cauſas huius benedictionis manifeſtum eſt, cauſam materialem, eſſe cineres confectos ex ramis oliuarum benedictis, præterito anno, quod non caret myſterio, vt dicemus præludio ſequenti. Cauſa formalis conſiſtit in precibus, & ritibus, quibus fit benedictio, prout in Miſſali habetur. Cauſa efficiens quoad inſtitutionem, fuerunt Apoſtoli, vt diximus. Miniſter verò eſt quilibet Sacerdos: Tandèm cauſa finalis, eſt excitatio Fidelium ad pœnitentiam, & ad mortis memoriam. Itèm ad intelligentiam myſteriorum, quæ aſperſione cinerum repræſentantur, de quibus dicemus in ſequenti prælùdio; eoſdemque explicant Iſidorus, & Durandus loc. ſup citatis, Iuo Carnotenſis *de Eccleſiaſt. Sacram. & offic. in ſerm. de capite ieiunij*, & alij interpretes diuinorum officiorum.

PRAELVDIVM. II.

De Myſterijs, & Documentis benedictionis cinerum.

SVB cæremonijs externis, quibus Eccleſia vtitur, tùm in adminiſtrandis Sacramentis, tùm in Sacramentalibus, multa, & ſalubria contineri myſteria; conſtat ex Trid. *ſeſſ. 22. cap.5.* & ex *c. nunquid de conſe. diſt.5.* & ex D. Aug. *tract. 118. in Io.* alijſque Patribus; quapropter acturi de benedictionibus, & rebus benedictis, quæ Sacramentalia appellantur, præcipua eorum myſteria breuitèr explicare conabimur ad excitandam, & fouendam deuotionem Fidelium. Et incipiendo à benedictione cinerum propono hæc, quæ ſequuntur.

Primò imponuntur cineres ſuper capita Fidelium, vt à fatuitate, & inſania, quam peccando contrahunt, & bacchanalium tempore præſertim manifeſtant, ad ſanam mentem redeant: Siquidèm cinis, ſeù memoria mortis, eſt dementiæ antidotum. Hoc autèm manifeſtè colligitur ex parabola decem virginum *Matt. 25* quarum, *quinque erant fatuæ*, ait Euangeliſta, *& quinque prudentes*. Vndè autèm quinque priores fatuæ euaſerint; conſtat ex contextu; quià videlicèt immemores mortis, neglexerunt curam lampadum, ſeù exercitium bonorum operum, & in peccata prolapſæ ſunt; non prouidentes extremo periculo; quod extremæ dementiæ, eſt; vndè, & diuiti illi, mortis immemori, dictum fuit à Deo; ſtultè hac nocte repetent animam tuam à te, quæ autèm paraſti, cuius erunt, *Lucæ 12.* E contra prudentes ex memoria mortis cautæ effectæ, parauerunt lampades ſuas, & in hora mortis, exierunt obuiam Chriſto, atque ad nuptias, ideſt ad Paradiſi gaudia fuerunt admiſſæ; fatuis excluſis. Vndè concludit ipſe Chriſtus vigilate itaque, quia neſcitis diem, neque horam. Dùm ergò pia Mater Eccleſia cineres ſpargit ſuper capita noſtra; excitans nos ad meditationem mortis; à fatuitate nos auuertere conatur, & ad ſanam mentem reducere. Vndè interim monet, emendemus in meliùs, quod ignorantèr, ſeù fatuè peccauimus: ne ſubitò præoccupati die mortis, &c. Valet ergo cinis contra inſaniam & contrà omnem morbum ſpiritualem hominum. Hinc Anſelmus Laudunenſis in *Gloſſa interlineari*, *Cinis*, inquit, *medicamentum eſt, quo vngitur genus humanum.*

Hoc ipſum confirmatur exemplo. Sicut enim Chriſtus, impoſito luto ſupèr oculos cæci nati, eius cæcitatem auertit, & videntem effecit; ità Eccleſia impoſito puluere ſuper capita fidelium, eorum, mentes illuminat, & ex inſipientibus ſapientes & videntes efficit; vera enim ſapientia in meditatione mortis conſiſtit; ſicuti teſtantur D. Hieron. *in epiſt. ad Heliodorum*, & Chriſolog. *ſerm.44.*

Secundò, imponitur cinis, ſeù puluis ſuper capita noſtra, veluti diadema; & corona; quià humilitas cuius typus eſt cinis, & puluis, coronat milites Chriſti; ſiquidèm, qui ſe humiliat, exaltabitur, vtique ad cœleſte Regnum, & gloriæ coronam. Quod egregiè confirmatur exemplo Regis Niniuitarum; qui audità ſententia ſubuerſionis ſui Regni, & coronæ deperditæ, ſe cineribus operuit, & hoc medio coronam recuperauit. Hinc Chriſoſtomus *hom.3. ad popolum Antiochenum*, *quod* inquit *conſumare diadema non valuit, hoc cinis perfecit. Cinis ergò, ſeù humilitas durabiles coronas germinat.*

Tertiò, Aſperſione ſacrarum cinerum animæ fidelium fœcundantur, & fructibus bonorum operum exuberant; quià per pœnitentiam, cuius typus ſunt cineres, auulſis peccatorum ſpinis, gratia, & virtutibus impinguamur, & bonis omnibus replemur, & in hunc finem benedicuntur cineres ab Eccleſia, & fidelibus imponuntur, ſicuti teſtatur Durand. *in rationali lib.6. cap.28 num.12.* refert etiam Caſſidorus *lib.4. variar. epiſ.50.* apud Veſuuium, cineribus fæcundari terram, & fertiliorem reddi; quid ergò mirum; ſi cineres benedicti animam fœcundent?

Quartò, Aſperſione ſacrarum cinerum deprimimur ad ſepulchrum mortis, conſideratione, & memoria, vt inde ſurgamus ad vitam, & immortalitatem. Quia mortis vitam redimit, & meditata mors ducit ad immortalitatem. Sic Baſilius Seleuciæ Epiſcopus *orat.13. mortem, ait, eſſe ianuam immortalitatis; & è ſepulchro vitam erumpere*; vndè Ap. *mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in gloria.*

Tandèm cineres prædicti, imponendi ſuper capita fidelium, debent eſſe confecti ex ramis oliuarum, & palmarum benedictis, præterito anno, quià ad veram pœnitentiam & ad aſſequendos alios fines ab Eccleſia intentos, quos explicauimus, prodeſt plurimum, ſeriò cognoſcere, honores, & plauſus huius vitæ, (quos denotant rami palmarũ, & oliuarum,) in fumum, & cineres facilè conuerti, ſtatimque perire: ſicut Hæbreorum plauſus, & honores in die palmarum Chriſto exhibiti, terminarunt in mortem, & mortem turpiſſimam, quam ab ipſis

Hæ-

Hæbreis pertulit mundi Redemptor. Econtra verum honorem, veramque gloriam ex cinere humilitatis consurgere: exemplo eiusdem Christi, qui humiliauit seipsum vsque ad mortem Crucis, & propter hoc Deus exaltauit illum, &c *ad Philipp.* 2.

PRAELVDIVM III.

De virtute, & effectibus eiusdem benedictionis, & sacrarum cinerum.

Respondeo, sacris cineribus, quibus asperguntur fide es, feria 4. in capite ieiunij, meritò tribui omnes effectus, quos supra enumerauimus, agentes de *effectibus Sacramentalium in genere tit.* 1. *sect.* 5. sicuti constat ex precibus, quibus Ecclesia vtitur in formula eiusdem benedictionis, & pleniùs explicari potest, discurrendo per singulos.

Primus effectus, est remissio peccatorum venialium, respectu illorum, qui sunt in statu gratiæ.

Probatur, quià in secunda oratione benedictionis cinerum Ecclesia precatur à Deo veniam peccatorum, eos suscipientibus. Qualitèr autèm cineres benedicti operentur hunc effectum, explicauimus *tit.* 1 *sect.* 5. *dub.* 3.

Secundus effectus, est consecutio gratiarum præuenientium, quibus excitamur ad actus pios, compunctionis, humilitatis, &c.

Probatur, quià hunc effectum petit Ecclesia piè suscipientibus sacros cineres in tertia oratione, his verbis. Horum cinerum aspersione attactis, effundè propitius gratiam tuæ benedictionis, vt eos spiritu compunctionis repleas, &c.

Tertius est, remissio pœnæ temporalis, quæ obtinetur à iustis suscipientibus sacros cineres, modo explicato *in tit.* 1 *sect.* 5 *citata*, videlicèt ex opere operantis, ad quod opus promendum prodest sacrarum cinerum aspersio, propter Ecclesiæ intercessionem.

Quartus est compressio dæmonis, & victoria contrà nequitias, & astutias diaboli.

Probatur, quià hac cinerum benedictione, & vsu eorundem cinerum, Ecclesia intendit munire fideles contrà spiritales nequitias: vt constat ex oratione, quæ recitatur, completa eadem benedictione, & distributione cinerum.

Quintus tandèm effectus, est sanitas corporis, quem Ecclesia precatur suscipientibus cineres in prima oratione, his verbis. Vt quicunque eos super se asperseriut, corporis sanitatem, & animæ tutelam percipiant; constat autèm orationes Ecclesiæ plurimum valere apud Deum.

DOCTRINA MORALIS,

Et dubia conscientiæ de eadem benedictione, & aspersione sacrorum cinerum.

DVBITATIO I.

An ritus benedicendi cineres, Fer. 4. *prædicta, cadat sub præcepto?*

Respondeo; in Ecclesijs Cathedralibus, & in alijs collegiatis, & parochialibus, ad quas solet esse frequens populi concursus, est grauis obligatio ex genere suo benedicendi cineres, iuxtà præscriptum ab Ecclesia ritum. Quæ obligatio per se afficit Episcopos, & Ecclesiarum Rectores.

Probatur, quià Prælatis, & Ecclesiarum Rectoribus ex vi sui muneris incumbit onus regendi suas Ecclesias, & consequentèr curandi nè omittantur ritus, & functiones magni momenti; præsertim publicæ, quas populus expectare solet; ergò ijdem Prælati grauitèr peccant, si ex eorum incuria, prædicti ritus omittantur, & in casu nostro, si omittatur benedictio cinerum.

Antecedens probatur, quià aliàs valdè minueretur diuinus cultus, & deuotio, seù spiritualis vtilitas populorum, in detrimentum boni communis, & daretur pusillis occasio scandali, quæ incommoda tenentur Prælati omninò vitare sub peccato mortali ex genere suo, vt in simili probauimus *in comment. ad rubric. Missalis p.* 1. *in rubricam proœmialem dub.* 5.

Cum ergò benedictio, & aspersio cinerum sit functio magni momenti, & maximè fouens deuotionem fidelium; sequitur, eius omissionem imputari prælatis ad peccatum, quod erit mortale, si ex tali omissione ipsi præuiderint orituram grauem perturbationem, aut simile incommodum; vel introductionem continuati abusus, & neglectus eiusdem ritus. Secus erit veniale, si vna solùm vice omittatur absque periculo grauis incommodi.

DVBITATIO II.

An teneantur Fideles, eadem Feria quarta, suscipere sacros cineres, vel aliàs meditari mortem.

RESpondeo, & dico primò, Non tenentur Fideles se sacris cineribus aspergere, vel accedere ad Ecclesiam ad suscipiendos cineres, sed hoc est meri consilijs, & deuotionis.

Probatur, quià nullibi extat de hac re præceptum; ergò nec vlla est obligatio: quamuis omnibus consulendum sit, vt semper opus tàm pium exequantur.

Dico secundò, memoria, seù meditatio mortis, potest cadere sub præcepto in duplici casu.

Primus est, si in aliquo euentu putetur medium necessarium ad vitandum aliquod mortale peccatum; quidèm solet esse remedium efficax ad talem finem.

Probatur, quià tenemur vitare peccatum, ergò etiam tenemur adhibere medium necessarium ad hunc finem; sicut etiam asserunt communitèr DD. ad superandam grauem tentationem, recurrendum esse ex præcepto ad orationem; seù tùnc obligare præceptum orationis, quià oratio est medium necessarium ad eam victoriam obtinendam, vt videri potest apùd Suar. *tom. 2. de Relig. lib. 1. cap. 30.*

Secundus casus est, si memoria, & meditatio mortis putetur medium necessarium ad vitandam malam mortem, seu ad vitandum periculum improuisè moriendi in statu peccati mortalis: & quidèm mors præuisa, & serio meditata liberat homines ab improuisa morte; & consequentèr disponit ad bonam mortem. E contra ex mortis obliuione, vel incogitantia, faciliùs labimur in peccata cum periculo nè excludamur à Regno cum fatuis virginibus, iuxta supradicta *prælud. 2.* Hinc Ciprianus *lib. 4. epist. 2. vel 52. nec diginus*, ait, *est in morte accipere solatium, qui se non cogitauit esse moriturum.*

DVBITATIO III.

An impositio sacrorum cinerum necessariò, & ex præcepto facienda sit à Sacerdote.

PRæmitto, certum esse, benedictionem cinerum, neque licitè, neque validè fieri posse à non Sacerdote, quarè grauitèr peccaret, non promotus ad sacerdotium, si hoc munus vsurparet, vt constat ex dictis *tit. 1. sect. 4. dub. 2.* Difficultas igitur est, an peccaret Diaconus, vel alius inferior, si cineres iam a Sacerdote benedictos, imponeret fidelibus.

Respondeo, & dico primò, si Diaconus, vel alius non Sacerdos publicè in Ecclesia, tanquam ex officio id faceret, peccaret quamuis secluso scandalo, contemptu, venialitèr tantùm. Quod peccaret.

Probatur, quià temerè vsurparet munus, quod sibi non competit contra stilum, & ritum Ecclesię, vt constat ex Rubricis Missalis. Quod verò id non excedat culpam venialem.

Probatur, quia secluso scandalo, vel contemptu, vsurpatio talis muneris, non videtur res grauis, neque ex parte rei, quæ distribuitur; cum Sacramentalia sint in infimo ordine rerum sacrarum, neque ex parte, seù ex vi præcepti prohibentis: quià in rubricis non apparet graue præceptum; imò nec constat, eas esse præceptiuas.

Dico secundò, si impositio cinerum à non Sacerdote fiat occultè, vel priuatim, e. g. in sacristia vel simili loco: nullum videri peccatum, & posset etiam quisque sibi imponere ad satisfaciendum suæ deuotioni, quià nulla apparet prohibitio; vt patet à simili de aqua benedicta, cuius solemnis aspersio fieri præcipitur à Sacerdote; priuata verò, licitè fit ab omnibus, & quisque potest se ea aspergere, idemque seruatur in distributione palmarum, post benedictionem, & aliarum rerum similium.

DVBITATIO IV.

An cineres benedicendi, debeant ex præcepto esse facti ex ramis oliuarum, &c. præterito anno benedictis.

REspondeo curandum omninò esse, vt non benedicantur cineres, nisi facti de ramis, præcedenti anno benedictis, quia sic expresse præscribitur *in rubricis Missalis Romani fer. 4. cinerum*, vbi agitur de hac benedictione; cum autèm eadem rubrica id præscribens, non sit præceptiua, sed directiua, & ad maiorem decentiam; non esset peccatum, communes cineres benedicere. Vndè autèm discernantur rubricæ præceptiuæ a directiuis, latè explicauimus *in commen. ad rub. Missalis quæst. proæmiali sect. 2. punct. 3.*

DVBITATIO V.

Qualiter sit intelligendum illud Ecclesiæ pronuntiatum videlicet non posse interdum inueniri spatium pænitentiæ.

DVM imponuntur fidelibus, sacri cineres cantatur in in Choro hoc Responsorium. Emendemus in meliùs, quæ ignorantèr peccauimus; nè subitò præoccupati die mortis quæramus spatium pœni-

pœnitentiæ, & inuenire non possimus. quibus verbis monet Ecclesia suos fideles, vt propria peccata tacitò emendare curent, nè fortè à Deo deserantur, & morte præuentis, non concedatur spatium pœnitentiæ, sicque nonnulli in æternum pereant. Vndè emergunt aliquæ difficultates; tum circà tempus, quo obligat pœnitentiæ præceptum; tùm circa spatium pœnitentiæ in morte negandum; an videlicèt tempore mortis, pœnitentia interdùm fit impossibilis, de quibus breuitèr differendum est.

Prima difficultas est. An præceptum pœnitentiæ obliget, statim post commissum peccatum.

Plures, & graues Doctores affirmant teneri hominem lapsum, statim per pœnitentiam a peccato resurgere, vel confitendo, vel eliciendo actum contritionis, idest quamprimum fieri potest, data opportunitate, & posito sufficienti motiuo excitante ad pænitentiam.

Probant, quià charitas propria obligat ad auertendum, quamprimum graue malum proprium c. g. grauè infirmitatē, & ad procurādū statim remedium, siue sit infirmitas corporis, siuè a fortiori infirmitas animæ; sed peccatum mortale, est ingens malum, & grauis infirmitas animæ; ergò, &c.

Confirmatur, quià præceptum correptionis fraternæ obligat statim, & quamprimùm, vt proximus liberetur à peccato mortali, ergò a fortiori sic obligat præceptum propriæ correctionis, seu emendationis, quia in spiritualibus tenemur magis nos ipsos diligere, quam proximum. Communis tamen, & vera sententia docet, non ità strictè obligari homines ad pœnitentiam peccati præteriti, vt nouum peccatum committant, si pœnitentiam differant; sed à Deo concedi peccatori inducias.

Probatur, quia hoc præceptum pœnitentiæ, siuè confessionis, siuè contritionis, est affirmatiuum; Præceptum autem affirmatiuum per se, nec pro semper obligat, nec statim.

Secundo probatur, ex incommodis, quia alids homo, qui semèl peccauit; differendo pœnitentiam, continuò, & semper peccaret, nouo & speciali peccato; quod durissimum videtur, & alienum, a legibus diuinæ pietatis, ita Durandus, Medina, Soto, & alij communitèr; apud Suar. *de pœnitentia disput.15. sect.5. num.4.* vbi refutat argumenta oppositæ sententiæ.

Secunda difficultas, si præceptum pœnitentiæ non obligat statim post commissum peccatum; quando nàm obliget, & quandiù absquenouo peccato differri potest peccati commissi retractatio, & pœnitentia.

Respondeo, & dico primò; Certum est obligare in articulo mortis, & in eiusdem probabili periculo. Ratio est manifesta, quià ad vitandum periculum æternæ damnationis, qui lapsus est in peccatum mortale, tenetur illud per pœnitentiam delere antè mortem; (nàm post hanc vitam, non est amplius tempus pœnitentiæ agendæ) ergò qui præterito tempore huic obligationi non satisfecit, necesse omnino est, vt illi satisfaciat instante morte, vel cum eius periculum imminet, alias exponitur manifesto periculo damnationis, ità DD. communitèr, & videri potest Suarez *loc. cit. sect.6.*

Colligitur. Grassante, peste, imminente naufragio, itèm in prælio, in periculoso partu, & in similibus casibus, teneri sic constitutos in periculo mortis confiteri, si possint, vel saltèm actum contritionis elicere ob rationem explicatam, & docent communitèr DD.

Dico secundò extrà periculum mortis, certum est etiam obligari peccatores ad pænitentiam, quandò vrget præceptum confessionis ex determinatione Ecclesiæ, videlicèt nè vltrà annum differatur, quià confessio includit actus pœnitentiæ, & detestationis peccatorum, saltèm per attritionem.

Præscindendo verò a præcepto ecclesiastico, dubium est inter DD. an peccet mortalitèr contrà ius diuinum, & naturale, qui reseruat pœnitentiam in tempus mortis, nec anteà vult à peccato resurgere.

Respondeo, probabiliùs esse: cum grauitèr peccare, tùm contrà charitatem Dei, quem tenemur summè diligere; nec talis obligatio reseruari potest ad articulum mortis, & videtur illi grauitèr opponi, velle esse Dei inimicum toto vitæ tempore, excepto breui illo spatio quo creditur, mors vicina. Tùm contrà charitatem propriam; quià potest contingere mors improuisa, & fortè inueniri non poterit spatium pœnitentiæ, vide Suar. *sect.6.cit.*

Tertia difficultas. An peccatoribus redactis ad mortis angustias, denegetur quandoque auxilium sufficiens ad pœnitendum, & quid significet illud assertum Ecclesiæ, forè vt aliqui inuenire non possint spatium pœnitentiæ.

Respondeo; Viatoribus quandiù durat præsens hæc vita non negari à Deo auxilium sufficiens, & necessarium ad salutem, vt probant Theologi communitèr in tract. de gratia; neque oppositum colligi ex verbis citatis Ecclesiæ; sed sensus est, aliquos ex illis, qui in vita soliti sunt procrastinare pœnitentiam, etiam instante morte id acturos, & quamuis possent statim conuerti, quæsituros esse tamen vlteriùs spatium, & nouas inducias, quæ a Deo non concedentur; & sic contingere posse, vt ex eorum praua dispositione moriantur impœnitentes. Vel secundò fieri potest, vt illis, qui dùm erant sani abiecerunt gratias diuini auxilij, vel eis vti noluerunt, subitò obueniat mors repentina, vel morbus, quo statim priuentur vsu rationis vsque ad mortem; atque adeò moriantur impœnitentes, non ex defectu gratiæ, sed ob propriam malitiam.

SECTIO II.

De benedictione Rosæ in Dominica Lætare.

Dominica quarta quadragesimæ, quæ dicitur Lætare, eò quià agitur de lætitia Patadisi, & de Hierusalem cœlesti; benedicitur Romæ à Summo Pontifice Rosa aurea, in signum letitiæ, & ad erigendam spem fidelium ad gaudia cœlestis patriæ. De cuius benedictionis causis, & misterijs opportunè hoc loco differendum.

PRAELVDIVM. I.

De origine, & causis benedictionis Rosæ.

Respondeo, & dico primò. Quamuis aliqui originem consectationis Rosæ ad Vrbanum V. referant; nihilominus certum est, hunc ritum esse antiquiorem. Siquidèm Innocentius Tertius, qui longe antè præcessit Vrbanum, integra homilia, de ea disputat. Natat etiam Baronius, *anno* 1177. ab Alexandro Tertio in Dominica Lætare consecratam fuisse de more Rosam auream Venetijs, in Ecclesia S. Marci, & dono fuisse oblatam Duci Venetiarum in signum gratiæ sedis Apostolicæ: quatè mos consecrandi Rosam, antiquior est Innocentio, & Alexandro; quamuis non constet, à quo Pontifice, primò fuerit introductus.

Dico secūdò: quoad causas huius benedictionis. Materia, cui applicatur benedictio, est Rosa aurea mixta cū balsamo, & muscoMinister benedictionis estSummus PōtifexChristi vicarius. Causa formalis consistit in precibus, & ritibus, quibus fit consecratio; & habentur in ceremoniali Papæ. Tandèm causa finalis est, repræsentatio letitiæ, & gaudij cœlestis Hierusalem, ad erigendam spem fideliū ad premium glorię, vt patebit ex infra dicendis.

PRAELVDIVM. II.

De misterijs, & documentis benedictionis Rosæ.

Dvplex ratio huius benedictionis assignari solet ab expositoribus sacrorum rituum, altera literalis, altera mystica; sicuti ex Innocentio Tertio, notat Durandus *in suo rationali lib.6.cap.53.*

Primò ergò in sensu literali benedicitur Rosa circà medium Quadragesimæ; vt populus Christianus Inter asperitates ieiunij, & pænitentiæ, aliquo respiret solatio: etenim (ait Durandus supra) quod caret alterna requie, durabile non est, Vt igitur fideles non deficiant inter asperitates quadragesimalis obseruantiæ, & pænitentiæ luctus, eos recreat pia Mater Ecclesia in prædicta Dominica quarta recordatione gaudij cælestis; quod etiam repræsentat hoc ritu benedictionis Rosæ, quæ post benedictionem solemnitèr circumfertur à Summo Pontifice. Meritò autèm assumitur Rosa in insignum, & typum cœlestis amenitatis; quia præ cętetis floribus colote delectat, & recreat suaui odore; quo item symbolo explicant SS. PP. cœlestis patriæ delitias. Hinc Venerabilis Beda *ser.18.de Sanctis, Floribus* inquit *eius, nec rosæ, liliæ nec desunt*; quod etiam Dorothea Virgo, & Martyr coram Gentilibus affirmare solebat; cumque Teophilus quidam eam irridens ab ea petiuisset, vt de Rosis Paradisi aliquas ad eum mitti curaret; non tenuit Virgo; sed oratione præmissa, impetrauit à Deo tres rosas, quas Angelus in forma iuuenis è Cœlo detulit, statimque Dorothea ad Theophilum eas misit, ad confundendam ipsius incredulitatem.

Secundò in sensu mystico, Rosa designat Christum, qui de se ipso dicit *Cant. 2. ego flos campi, &c.* in quo etiam est nostra gloria, & verum gaudium. Præsertim verò hæc rosa, quæ benedictione consecratur, & ex triplici materia conficitur, videlicèt; auro, balsamo, & musco; Christum repræsentat, in quo est triplex substantia: nempè Deitas, corpus, & anima, vt fusiùs explicat Durand. loc.sup.cit.

Tertiò: Rosa purpurei coloris, speciatìm designat martyrum coronas, ex Beda loc. sup. cit. dicente, Agmina SS. Martyrum, purpureis Victoriæ coronis lucentia, &c. eò, quia viri sancti, gloriosum sanguinem fuderunt pro Domino: & ideò coronas triumphales meruerunt. In solemni ergò hac benedictione rosæ, proponit Ecclesia suis fidelibus Martyrum exempla, quibus animentur ad tolerantiam passionum, & laborum.

Tandem rosa benedicta mitti solet a S. Pontifice, tanquam insigne donum ad Regem aliquem, vel magnum Principem: quia cum sit florum regina: est typus excellentissimæ dignitatis, & donum competens Regibus, & hac ratione Christiani Imperatores coronari solebat eodem die, quo rosa benedicitur, ex Durando *suprà num.11.*

PRAELVDIVM III.

De virtute, & effectibus eiusdem benedictionis, & Rosæ benedictæ.

Respondeo: Rosam prædictam a Summo Pontifice solemni benedictione consecratam, magna virtute præditam esse, in salutem animæ, & corporis, eadem piâ vtentis: Sicuti colligitur ex formula benedictionis, quæ in cœremoniali Papæ ha-

pæ habetur. In qua Summus Pontifex nomine totius Ecclesiæ, sic Deum precatur. Deus, qui es lætitia, & gaudium omnium fidelium: Maiestatem tuam suppliciter exoramus, vt hæc rosa, quam in signum spiritualis lætitiæ gestamus, benedicere tua pietate digneris, &c. deinde sequitur. Et quia ad honorem nominis tui, Ecclesia tua hoc signo hodie exultat, & gaudet; tu ei Domine, verum, & perfectum gaudium largiaris; & deuotionem eius acceptans, peccata dimittas, fide repleas, indulgentia foueas, misericordia protegas, aduersa destruas, prospera cuncta concedas, & in superna gloria cum sanctis omnibus sine fine lætetur. Cum ergo Deus facile concedat, quæ a S. Ecclesia postulantur; sperare vtique debemus ex vi huius benedictionis, gratias suprà enumeratas nobis à Deo concedendas.

DOCTRINA MORALIS.

Et dubia conscientiæ de eadem benedictione, & de spe gloriæ, ad quam excitantur fideles hoc ritu benedictionis Rosæ.

DVBITATIO I.

An hæc Rosæ benedictio, possit fieri etiam ab Episcopis in suis Diœcesibus.

Ratio dubitandi pro parte affirmatiua est. Quia possunt Episcopi pro suis Diœcesibus instituere ritus, & cœremonias; & consequenter benedictiones, vt probaui in *comment. ad rub. Missalis quæst. proœmiali sect. 1. punc. 4.* ergò poterunt in casu nostro, vel eandem Rosæ benedictionem à Summo Pontifice institutam perficere, vel similem instituere, & facere. Confirmatur. Quia, vt plures Doctores, præsertim Canonistæ asseuerant; quicquid potest Summus Pontifex in toto orbe, potest etiam Episcopus in sua Diœcesi.

Pro parte verò negatiua, est vsus in oppositum: quarè hæc benedictio videtur soli Summo Pontifici reseruata.

Respondeo. Probabiliùs videri non posse Episcopos hanc functionem sibi vsurpare: quia, vel iure, vel saltèm consuetudine reseruata est Summo Pontifici. Tùm quia, ritus benedicendi rosam in solo cœremoniali Papæ describitur, non in alijs; tùm quia nemo vnquam Papa inferior ausus est hanc benedictionem facere; sicut neque benedictionem agnorum Dei.

Ad rationem dubitandi, respondetur, posse Episcopos nouas cœremonias instituere, & in sua Diœcesi facere, quod Romæ facit Summus Pontifex; exceptis tamèn ijs, quæ iure, vel consuetudine sibi Papa reseruat, vt videri potest apud Dianam *p. 7. tract. 10. resol. 34. & p. 8. tract. 3. res. 11.*

DVBITATIO II.

An teneantur Fideles sperare gloriam cælestem. Et quandò obliget præceptum spei.

Cum hic ritus benedicendi Rosam, vt suprà dicebamus, ordinetur ab Ecclesia ad erigendam spem fidelium, ad paradisi gaudia; operæ prætium hic videtur, nonnulla dubia explicare, pertinentia ad virtutem spei, & primò quoad præceptum spei.

Respondeo, certum esse de Fide, dari præceptum de actu spei eliciendo, ad *Titum 2. expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ, &c.* vbi præsupponitur præceptum spei. Ratio est; quia spes post fidem, est fundamentum spiritualis vitæ, qua tendimus ad gloriam; & ideò præceptum eius est præambulum ad legem, & fundamentum aliorum præceptorum, & potiùs supponitur, quàm expressè proponatur per modum præcepti, ità D. Thomas 2. 2. q. 22. art. 1. & alij DD. communitèr.

Difficultas est, pro quo tempore hoc præceptum obliget? Dicendum breuitèr, per se, & directè obligare, quandò quis grauis desperationis tentatione vrgetur, cum periculo succumbendi, nisi contrario actu spei, animum confirmer. Ratio, quia eodem spei præcepto, tenetur homo sperare, & non desperare. Per accidens verò obligare, & quandò actus spei est necessarius ad implendum præceptum alicuius ex alijs virtutibus, e. g. quandò vrget præceptum pœnitentiæ de peccatis commissis, vel præceptum orationis, vel si actus spei sit necessarius ad vincendam tentationem, &c. videri potest Sanch. *sum. lib. 2. c. 33.*

E DVBI-

DVBITATIO III.

An sit contrà præceptum spei, velle semper viuere in hoc mundo, seù desiderare vitam immortalem in statu præsentis sæculi.

RESpondeo Affirmatiuè, nempè id esse graue peccatum: quia hoc ipso is renuntiat veræ beatitudini, quam expectare tenetur, vt suprà dicebamus; & excludit se a consortio Beatorum, vt fruatur delitijs huius sæculi, in quo est grauis deordinatio. Itèm renuntiat visioni Dei, & perfectæ eius amicitiæ, quod est contrà charitatem Dei, ità DD. communitèr apud Sanchez in *sum. lib.* 2.*cap.*35.*fine*, quamuis oppositum non improbabilitèr aliqui sentiant, inter quos Castro Palao *tom.*3. *tract.*6.*disp.* 1.*punct.*2.*fine*. Vacat tamen culpa sibi longam vitam desiderare; quià non excluditur futura.

DVBITATIO IV.

An peccet, qui sibi mortem desiderat, vt citius fruatur cœlesti beatitudine.

RESpondeo, id non esse illicitum, si à Deo mors desideretur, sed potius licitum; & meritorium.

Probatur non enim est illicitum ex motiuo, quià motiuum in casu nostro, est beatitudo supernaturalis, in qua consistit summum nostrum bonum, neque est illicitum ex obiecto; quià non desideratur mors ex odio, seù vt est quoddam malum; sed quatenùs est transitus ad meliorem vitam; vel quatenùs est finis exilij, & ecceſſus ad patriam. Hinc Psalmista Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, & Apost. *ad Philip.*1.*Cupio dissolui, & esse cum Christo*, ita Nauar. *sum. cap.*15. *num.* 10. Vasquez 1. *p.disp.*8.*cap.*3. Emanuel Sà *verb.charitas num.*3.& alij communitèr.

Colligitur primò, licitum quoque esse sibi mortem à Deo optare, ex alijs similibus motiuis bonis, & honestis, e. g. vt liberetur quis a peccatis, iuxtà illud Apostoli, *quis me liberabit de corpore mortis huius*; vel etiam ab aliquo graui malo temporali: quià prudentèr censere potest maius malum aliquam afflictionem, quàm mortem, exemplo Eliæ 3.*Reg.*19.*sufficit domine, tolle animam meam*; vel ne videat communem Ecclesiæ calamitatem, vel populi excidium, iuxtà illud 1.*Machab.* 9.*meliùs est nobis mori in bello, quàm videre mala gentis nostræ*, & SS. ità DD. citati.

Colligitur secundò, secluso motiuo honesto, & extrà casum magnæ calamitatis, non excusari a peccato mortali huiusmodi desiderium, & multò minùs si proueniat ex impatientia, vel desperatione, (nisi excuset inaduertentia:) quià grauitèr lædit charitatem sibi debitam; dùm vult quis priuari maximo bono naturali absque causa honesta; quæ ad excusandum magni momenti esse debet, ità cum alijs Diana *p.*5.*tract.*14.*resol.*92.

DVBITATIO V.

An propter spem retributionis in futura vita, licitum sit, præsentem vitam notabilitèr abbreuiare ieiunijs, vigilijs, & alijs asperitatibus.

REspondeo, & dico primò. Non est licitum vti prædictis mediis in eum finem, seù directa intentione abbreuiandi vitam, quià hoc esset velle occidere seipsum, quod est intrinsecè malum, contrà præceptum naturale, conseruandi propriam vitam, ità DD. communitèr de homicidio sui ipsius.

Dico secundò. Licitum est negligere hanc vitam præsentem, & eam periculo abbreuiationis exponere prædictis asperitatibus ob bonum virtutis, redigendo corpus in seruitutem spiritus; modò sint moderatæ, & secundùm rectam rationem seù non indiscretæ, quia bonum virtutis maiùs, est, quàm huius vitæ conseruatio; & subindè licitum est ob talem finem vitam periculo exponere. Sicuti licitum est seruire peste infectis cum periculo propriæ vitæ: quià adest iusta causa; nempè officium charitatis, & idem est in similibus casibus, ita Victoria Aragon, Petrus Nauarr, & alij quos affert, & sequitur Bonacina *de restit.disput.*2. *quæst.vltima, sect.*1. *punct.*5.

Colligitur, posse quemlibet licitè vti ieiunijs, & vigilijs, alijsq; asperitatibus, quę in regula præscribuntur, si quis Religiosus sit, vel si non sit religiosus, vti illis, quas superior, vel prudens confessarius approbauerit; quià censentur moderati; tempore autem infirmitatis, standum est iudicio medicorum, DD. citati.

DVBITATIO VI.

Qualitèr sit licitum operari ob spem retributionis, & futuræ gloriæ, & fælicitatis propriæ.

RAtio dubitandi est, quià principium, & finis nostrarum operationum, esse debet Deus, quem tenemur super omnia diligere, quarè inordinatum videtur, operari proptèr nostrum præmium, & gloriam, seù proptèr nostrum commodum, & interesse proprium. Sed actus eliciti, vel

imperati a spe, tendunt in præmium, & commodum nostrum, ergò, &c.

Deindè hic modus operandi, virtute includit voluntatem non operandi, si non esset merces, & præmium: hoc autèm præcipuè in obseruatione præceptorum Dei, est intrinsecè malum; nam lex Dei seruanda est, etiam si nihil promitteret; sicut peccatum vitari debet; etiam si nulla esset pœna.

Respondeo. Nihilominus operari propter mercedem, & gloriam æternam, per se bonum est, & honestum, hæc propositio est de fide definita in Trid. *sess.6.cap.11.& can.31.* Ratio est; quia beatitudo supernaturalis, seu visio Dei, & fœlicitas æterna est insigne bonum, nobis à Deo paratum tanquam præmium bonorum operum; ergo licitum est, eam desiderare, & propter illam operari, prout a Deo præordinata est; ergò operari ex desiderio, & spe gloriæ, seu propter retributionem æternam, per se bonum, & licitum est. Constat etiam ex sacris scripturis, & exemplis Sanctorum, *psalm.* 118. *inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes propter retributionem*, ita DD. communitèr in tract. de spe, videri potest Suar.de *virtute spei disp.1.sect.5.*

Ad rationem dubitandi respondetur, non esse inordinatum operari propter mercedem, tanquam ob finem proximum, & immediatum; dummodò omnis nostra operatio vlteriùs referatur in Deum, & eius gloriam, tanquam in vltimum finem, saltèm virtualitèr; de facto autèm quilibet actus virtutis, virtualitèr tendit in Deum vltimum finem. Negamus etiam illum modum operandi; virtute includere voluntatem non operandi, si non esset merces; nàm potiùs, qui sic operatur, vult absolutè seruare præceptum, eo modo, quo a Deo præcipitur, atque adeò eo modo, quo excludit omnem malitiam DD.citati.

DVBITATIO VII.

De peccatis desperationis, & præsumptionis contrà virtutem spei.

Virtuti spei duo præcipuè peccata opponuntur, ex D.Th.2.2.q.20.& 21. tanquam extremè contraria, videlicèt desperatio, qua homo recedit ab intentione consequendi beatitudinem propter difficultates, quas habet adiunctas in executione, diffidens de diuina pietate, & præsumptio, qua nimium fidit, voles saluari indebito modo absque operibus, & mandatorum obseruatione.

Respondeo breuitèr, hæc peccata esse grauissima; tum quia præludunt omninò viam salutis: tùm quia maximè Deo aduersantur; desperatio, siquidèm, opponitur diuinæ bonitati, & pietati; Præsumptio verò diuinæ iustitiæ, & ambo sunt peccata in Spiritum Sanctum, quia directè ponunt impedimentum gratiæ Spiritus Sancti, vt fusiùs D.Thomas loc.cit.

SECTIO III.

De Benedictione Palmarum, & oliuarum in principio Hebdomadæ sanctæ.

PRAELVDIVM. I.

De origine, & causis huius benedictionis.

Respondeo, & dico primò, solemnis benedictio palmarum, & oliuarum, fuit ab Ecclesia instituta in memoriam occursus, quo pueri Hæbreorum, & simplices turbæ cum ramis palmarum, & oliuarum obuiauerunt Christo, ingredienti in SanctamCiuitatem ad consumandum opus Redemptionis per Crucem, & mortem suam: sicuti maifestè constat ex orationibus, quas eadem Ecclesia recitat benedicendo ramos prædictos; & explicant Isidorus, Alcuinus, Rabanus, Carnotensis, aliique interpretes sacrorum rituum, locis infra citandis.

Quo autèm præciso tempore, introductus in Ecclesia fuerit hic ritus, & à quo Pontifice institutus non explicant prædicti auctores. apud Baronium fit mentio de hac palmarum benedictione, anno 887. sub Ioanne VIII. sed longè antè idem mos apud fideles iam cœperat; siquidèm in ordine Romano antiquissimo, eius forma describitur sub titulo, ordo in die palmarum: & hæc Dominica in ramis palmarum, semper in Ecclesia in magna reuerentia fuit, vt ex pluribus testatur Dusaussay *in panoplya sacerdotali p.2.l.2. art.12.* Hinc satis probabile apparet; hunc ritum benedictionis palmarum originem ducere ab Apostolis iuxtà Regulam D.Augustini supra explicatam *tit.1. sect.4. dub.1.* videlicèt quando benedictiones sunt antiquæ, nec constat de earum origine, & principio, credendum esse, fuisse ab Apostolis institutas.

Dico secundò, quoad causas. Materia, quæ benedicitur, sunt rami palmarũ, & oliuarũ, velaliarũ arborũ; quia pueri Hæbreorum, & turbæ, prædictos ramos portantes obuiauerunt Christo, quorum factum, Ecclesia imitatur. Causa formalis consistit in precibus, & ritibus, quibus benedictio perficitur; prout in Missali habetur. Quoad causam efficientem auctores huius benedictionis, vt diximus, facilè fuerunt Apostoli: Minister verò est quilibet Sacerdos. Tandèm causa finalis, est repræsentatio triumphi, & gaudij, quo Christus Hierosolymam ascendit, ad perferendam Crucem, & consumandum opus redemptionis. Itèm vtilitas

litas fidelium, qui hoc ritu benedictionis, & processionis, excitantur ad cognoscendum, & confitendum Christum Redemptorem, cum pueris, & turbis clamantibus Hosanna, &c. & ad intelligentiam mysteriorum, de quibus mox dicemus.

PRAELVDIVM II.

De Mysterijs, & Documentis Benedictionis Palmarum, seu oliuarum, &c.

MYsteria, quæ celebrantur in Dominica Palmarum, tùm benedictione ramorum; tùm processione, disertè explicantur, partim ab ipsa Ecclesia in orationibus, quibus benedictio perficitur, partim ab interpretibus diuinorum officiorum, & breuiter præcipua hic adnotabimus.

Primò: Rami palmarum sunt victoriæ symbolum, vt notum est; quia ergò Christus proximè antè suam passionem ascendit Hierosolymam ob insignem victoriam, quia videlicèt, (vt vtar verbis D.August. *serm.* 50. *in Io.*) *mortem erant moriendo superaturus, & tropheo Crucis, de Diabolo mortis principe triumphaturus; disposuit, vt ex diuina inspiratione obuiàm ei venirent pueri, & turba cum ramis palmarum in signum eiusdem victoriæ*. Hoc idem voluit Christus, vt suam ad patiendum propensionem, & lætitiam ostenderet; & ideò tanta animi exultatione ad mortem perrexit, quanta solent, qui eunt ad triumphum, & nuptias. Ità Isidorus *de ecclesiast. offic. lib.* 1. *cap.* 27. Alcuinus *eodem tit. de festis ramorum*, Rabanus *de instit. Cler. lib.* 2. *cap.* 35. Durandus *in Rationali lib.* 6. *cap.* 67. & alij communitèr. Hunc ergò Redemptoris triumphum in Dominica palmarum Ecclesia celebrat; & quotannis renouat; quod semèl piæ turbæ fecerunt; excitans suos fideles, vt ad imitationem dicant *Hosanna Christo*; hoc est recognoscant salutem a Christo; (nàm Hosanna idem est, ac salua nos,) & ipsum Christum, vt Redemptorem adorent, confiteantur, & laudent, quod & exprimit illis versibus.

> *Plebs Hebræa tibi cum palmis obuia venit*
> *Cum prece, voto, hymnis; adsumus ecce tibi.*

Secundò in ramis oliuarum, spiritalis vnctio figuratur, seu pinguedo misericordiæ. Christo ergò properanti ad mortem, obuiàm venit turba cum ramis oliuarum, quia sua passione, & morte, misericordiæ, & gratiarum fontem aperire debebat, quod Ecclesia declarat in oratione, quæ incipit Deus; qui miro dispositionis ordine, qua rami benedicuntur, & tradunt citati auctores.

Tertiò, ramis prædictis, & aliarū arborum denotantur virtutes, quibus ornari debent fideles, processuri in occursum Christi ad eos venienti, vel per gratiā, vel personalitèr in Sacramento Eucharistiæ; primò autèm pueros imitantur, qui cum simplicitate procedunt. Ramos oliuarum portant, qui pacē seruant, & opera misericordiæ exercent. Palmas tenent, qui vitia blandā superant, vestimenta prosternunt sub Christi pedibus, qui per macerationem carnis; corpus spiritui subijciunt, & Redemptori canunt *Hosanna*, qui Christum non erubescunt, sed verum Deum, & hominem, palam confitentur, ità Carnotensis *serm. in ramis palmarum*, Durandus loc. sup. cit.

Quartò, ramos cædimus de arboribus in obsequium Christi, si dictis, & exemplis Sanctorum Patrum inhærentes, eorundem sequimur doctrinam, & virtutes imitamur, ipsi enim in agro Ecclesiæ, sunt arbores semper virentes, qui dant fructum in tempore suo, ità S.Thomas in *Catena super cap.* 21. *Matthei vers.* 8. Alcuin. & Durand. loc. cit.

Tandèm solemnem Christi triumphum cum ramis palmarum, & oliuarum præsertim celebramus; ex quibus præcipuè fertur, Crucem fuisse compositam, sicuti testatur Glossa *in Clement.* 1. *de summa Trinitate*, hoc carmine.

> *Ligna Crucis, Palma, Cedrus, Cupressus, Oliua.*

Cum ergò triumphale Christi vexillum sit Crux; meritò ramis prædictis celebratur Christi triumphus.

PRAELVDIVM III.

De virtute, & effectibus eiusdem benedictionis, & sacrarum palmarum, seu oliuarum, &c.

REspondeo: Ramos prædictos ex vi benedictionis fieri instrumenta gratiarum, in salutem animæ, & corporis cuiuslibet fidelis, iis piè vtentis, atque operari eosdem effectus, quos suprà enumerauimus in benedictione cinerum prælud 3. per modum impetrationis; sicuti constat ex forma, qua benedicuntur, seu ex orationibus, quibus perficitur hæc benedictio. Præsertim autèm rami huiusmodi benedicti valent contrà fulmina, & tempestates, & contra Diaboli insidias; qua ratione a fidelibus in suis domibus, & agris asseruari solent; atque ità colligitur ex oratione eiusdem benedictionis; quæ incipit, Deus, qui dispersa congregas, &c.

DO-

DOCTRINA MORALIS.

Et dubia conscientiæ de benedictione Palmarum, & de externa Fidei. seù Christi confessione: cuius exemplum præcessit in pueris, & turbis, Hosanna Christo clamantibus:

DVBITATIO I.

De obseruandis in benedictione, & processione Palmarum.

RESpondeo, & dico primò: Ritus benedictionis, & processionis palmarum, seruari debet ex præcepto in Ecclesijs Cathedralibus, & præcipuis collegiatis; sicuti suprà diximus de benedictione cinerum sect. 1. dub. 1. ob rationes ibidem explicatas.

Dico secundò, eadem benedictione, qua communitèr benedicuntur rami palmarum, & oliuarum; possunt etiam benedici rami aliarum arborum; vt expresse habetur in Rubricis Missalis, & præsertim in ordine ad mysterium triumphi Sanctæ Crucis, quod hac solemnitate celebratur, congruè benedici possent rami cedri, & cupressi; ex quorum lignis, vt suprà dicebamus, Crux Iesu Christi fuit composita: excludi verò debent rami plantarum inferiorum, quæ arbores dici non possunt. An autèm vitis inter arbores computari debeat?

Respondetur affirmatiuè, quia vitis est vna ex plantis maioribus, quæ pagi èr ad instar aliarum arborum assurgit, porrectis ramis bracchiorum more, ex Plinio *in proœm. lib. 11.*

Dico tertiò: Ramis benedictis, possunt fideles vti, nedùm in processione, & in Ecclesia, inter Missarum solemnia, &c. prout in rubricis Missalis præscribitur; sed etiam domi, vbi reuerenter seruari debent, & in agris, & vineis, propter effectus suprà explicatos, *prælud. 3.*

DVBITATIO II.

De externa Fidei, & Iesu Christi confessione à pueris hebræis facta: & à Christianis ex obligatione facienda.

IN benedictione, & processione palmarum recolit Ecclesia deuotam puerorum Fidem, qui Deo inspirante, Christo Domino occurrerant, eumque Redemptorem à Deo missum, seù Messyam in lege promissum, palam, & libera voce confessi sunt; illis verbis *Hosanna filio Dauid, Benedictus, qui venit, &c.* Quam puerorum, & credentium populorum confessionem, summis laudibus eadem Ecclesia celebrat; vt patet ex forma benedictionis; atque Deum precatur, vt nobis fidem adaugeat, & magnum vnigeniti sui nome, coram Regibus, & potestatibus huius sæculi, libera voce confiteamur, vndè opportuna se nobis offert occasio differendi in hoc, & sequentibus dubijs, de obligatione externæ confessionis fidei, & primò, an detur præceptum confitendi exteriùs Christi Fidem, & in quibus casibus obliget.

Respondeo, & dico primò; datur in lege noua præceptum externæ confessionis fidei, & Christi eius auctoris, est de fide contrà quosdam hæreticos affirmantes satis esse fidem animo retinere, nec vnquàm esse peccatum illam celare, vel etiam negare.

Probatur ad *Rom. 10. corde enim creditur ad iustitiam, ore autèm confessio fit ad salutem. Matth. 10. qui me confessus fuerit coràm hominibus, &c.* & *Luca 9. qui me erubuerit, & meos sermones: hunc filius hominis erubescet, &c.* Hoc autèm præceptum partim est negatiuum, non negandi exteriùs fidem, & obligat pro semper: partim est affirmatiuum, confitendi fidem, & sic non obligat ad semper, sed pro aliquo tempore, & in quibusdam casibus. Vnde.

Dico secundò; Præceptum affirmatiuum confitendi exteriùs fidem, in duplici casu obligat, primus est, quandò ex taciturnitate, seù non facta fidei confessione, subtraheretur honor, Deo debitus, e.g. quandò quis rogatus de fide, tacet; ob quod creditur, eum non habere fidem; aut fidem non esse veram. Secundus est, quandò non confitendo fidem, subtrahitur vtilitas proximo impendenda: e.g. si aliqui essent in periculo negandi fidem, cui aliquis, publica fidei confessione posset occurrere. Ratio est, quia cum finis aliarum virtutum sit charitas, finis præcepti charitas 1. ad Timot. 4. tunc actus cuiuslibet virtutis est in præcepto; quandò necessarius est ad finem charitatis ergà Deum, vel proximum: sed confessio fidei in casibus explicatis, est necessaria ad finem charitatis; ergò, &c. ità D. Thomas 2. 2. q. 3. art. 2. Syluest: Angel. & alij Summistæ, *verbo fides.*

Colligitur primò quandò quis in odium fidei, & Christianæ Religionis interrogatur de fide, seù de Christo,

Christo, eum teneri confiteri Christum, etiam si sit periculum vitæ; similitèr quandò ex confessione fidei, probabilitèr creditur secutura conuersio infidelium, nos teneri confiteri fidem; itèm quando ex silentio nos ipsi versaremur in periculo negandi fidem. DD.citati, vide etiam Sanch. *sum.lib.2.cap.4.*

Colligitur secundò, quandò ex publica fidei confessione nulla vtilitas speratur; sed sola infidelium perturbatio; tunc non est laude digna, sed potiùs temeraria, D.Thom.loc. cit. cum alijs allegatis.

Colligitur tertiò christianum videntem Christum ab infidelibus iniurijs affici, vel eius imaginem conculcari in contemptum fidei: quarè fidei nostræ æstimatio valdè minueretur, nisi christianus ibi præsens, publica confessione tueatur; eum teneri fidem defendere, & Christi honorem: quia militat ratio sup. explicata, in 2. conclus. Sanchez *sup.nu.5.*

DVBITATIO III.

An quotiès interrogatur quis de Fide, seù an sit Christianus; teneatur fateri se Christianum esse.

RESpondeo, & dico primò. Nunquam esse licitum negare, se Christianum esse, qnatenùs nomen Christiani significat Religionem; imò id est graue peccatum cōtra preceptum negatiuum, inclusum in præcepto confessionis fidei; & hoc est peccatum a D.Petro commissum, quando præ timore, se Christi discipulum negauit, ità Abulensis, Bannes, & alij apud Sanchez *cap.4. citato num.7.*

Dico secundò. Interrogatus de fide à publica potestate, vel iudice, tenetur fateri, se Christianum esse; quarè si taceat, grauitèr peccat, quia tunc subtrahitur debitus honor Deo, & fidei, DD. citati.

Dico tertiò, Interrogatus de fide a priuata persona, non facit contra præceptum confessionis fidei, si taceat, vel aliqua ratione eludat interrogantem; e.g. si dicat, quid tua interest, &c. Ratio, quia ex taciturnitate, vel dissimulatione non potest colligi despectus fidei; sed vel despectus interrogantis, vel impertinentia temporis; neque alias, qui non iuridicè interrogatur, tenetur, respondere ad mentem interrogantis, DD. citati.

DVBITATIO IV.

An quandoque; sit licitum dissimulare se Christianum esse, vtendo signis, & vestibus proprijs infidelium.

EG. si quis Romæ gestet signum flauum in pileo, more iudæorum, vt dùm ad necem, quæritur, incognitus effugiat. Plures enim negant; quià hoc est simulare, se esse iudæum, quod est contrà fidei confessionem.

Respondeo. Nihilominùs si vestis, vel signum non sint instituta per se in protestationem sectæ falsæ, sicuti, e.g. apud iudæos, instituta est vestis Summi Sacerdotis; sed ob finem politicum, vt discerni possint (ad vitanda incommoda) sectatores talis sectæ ab alijs, sicuti dicebamus de pileo flauo iudæorum; tali inquàm signo alienæ sectæ in finem politicum instituto, licitum esse vti ob grauem causam. Ratio est, quià posita graui causa, id non est simulare sectam falsam, sed solùm dissimulare se christianum esse, eo loco, & tempore, quo quis fidem, & statum suum profiteri non tenetur; ergò sic vtens prædicto signo, non peccat contrà præceptum confessionis fidei.

Antecedens probatur, quià hic non intendit se fingere, aut simulare iudæum, sed occulrare suam personam, vt incognitus euadat periculum.

Confirmatur, quia si Sacerdos, vel Religiosus iter faciens per terras hæreticorum induat se vestibus secularibus, non ex intentione, vt se laicum simulet (quod esset mendacium) sed vt celet, & occultet statum religiosum, seù dissimulet se esse Religiosum, hic inquàm non peccat; quia iustam causam habet, sic dissimulandi; nec semper tenetur vestimento manifestare suum statum; ergo pariter dicendum in casu nostro de vtente pileo iudæorum, &c. ità alijs citatis Sanchez *dict.cap.4. num.19.*

Colligitur primò, excusari Christianos in suis triremibus, vtentes signis Turcarum, nè tanquam hostes a Turcis inuadantur, vel capti abducantur. Itèm excusari Christianos exploratores seù speculatores, (vulgò spie,) qui vt melius, & occultè arcana Turcarum speculentur, vtuntur eorum lingua, & habitu, DD. citati.

Colligitur secundò, licitum quoque esse Catholicis contra hæreticos, vel infedeles pugnantibus affiggere suis vexillis signa, quibus illi vti solent, eorumque habitum induere; vt eos incautos comprehendant; quià militat ratio in conclusione adducta; & quamuis Sanchez suprà *num.4.* limitet, nisi sit imago Martis, vel Mercurij, quos gentes, vt Deos colunt; nihilominùs alij hanc limitationem reijciunt; quia huiusmodi signa apud Christianos adhiberi solent non in protestationem falsæ Religionis; sed tanquam fabulosa, ornatus gratia ità Laymau *lib.3.tract.1. cap.11.num.4.*

DVBI-

DVBITATIO V.

An liceat Catholicis per loca hæreticorum transeuntibus vesci carnibus in quadragesima, ne se prodant, & damnum ab hæreticis patiantur.

Respondeo licitè id fieri ad vitandum graue periculum, nè videlicet, cognita Religionis suæ professione, occidantur, vel bonis spolientur, &c.

Probatur, non enim peccant contrà ecclesiasticam ieiunij legem: quippe quæ in tali necessitate non obligat: neque contra legem diuinam non abnegandi veram fidem, & non profitendi alienam: quia carnium esus, diebus interdictis, non est nota, aut professio hæresis, cum aliàs Catholici, vel ex infirmitate, vel ex malitia ob gulam eis vescantur absque tali nota. Neque obstat, quod hæretici ex hoc signo forsan colligant, aliquem a Romana Religione esse alienum; quia hanc ipsorum deceptionem, ob grauem causam permittere, licitum est: dummodò absit scandalum, & Catholicæ Religionis contemptus, ità Sanchez, Layman. & alij, locis supra cit.

Colligitur. Non peccare Catholicum, si hæreticorum concionem adeat ex iusta causa, e. g. vt dominum suum comitetur: vel illorum errores noret ad confutandum: permittendo interim hæreticos decipi, si fortè iudicent, ipsum esse hæreticum; dummodo scandalum absit; quia militat ratio in conclusione explicata, ità DD. citati, apud quos plura videri poterunt de hac materia.

DVBITATIO VI.

An ad captandam martyrij occasionem, semper, & vbique sit licitum publicè confiteri Fidem, & Euangelium prædicare.

Respondeo, & dico primò. Quandò ex publica fidei confessione, vel prædicatione, non speratur magnus Ecclesiæ fructus, & aliàs infidelibus, & hæreticis præbetur certa occasio peccandi, vel ipse prædicator, periculum incurrit, nè in fidei confessione deficiat; in hoc inquam casu, non est opus laudabile confiteri fidem cum periculo vitæ, sed potius temerarium, & vitiosum. Ità definitur in Concilio Eliberitino cap. 60. & docet D. August. *serm. 6. de verbis Domini cap.* 11. Ratio est, quia ad opus virtutis non sufficit obiectum honestum, sed requiruntur debitæ circumstantiæ, quandò quidèm bonum ex integra causa resultat: malum autèm ex singulari defectu. In casu autèm posito desunt circumstantiæ debitæ, ità Nauar. Sanchez, & alij, quos affert, & sequitur Layman lib. 3. *tract. 3. p. 3. cap. 1. num. 6.*

Dico secundò. Quandò ex publica fidei, & Christi confessione, speratur maior Dei gloria, & magnus Ecclesiæ fructus, seù spiritualis proximorum salus; tunc ipsa confessio est eximium opus virtutis, ob quod licitè vita propria, periculo exponitur, & præbetur occasio martyrij. Non tamen semper est in præcepto: sed solùm quando vrget necessitas.

Probatur prior pars; quià cum maior Dei gloria, & salus animarum sint bona longè superioris ordinis, quàm vita propria temporalis, licitum est, mortem oppetere pro tanto bono securo; atque adeò mortem subire, erit verum martyrium.

Posterior pars probatur; quià cum præceptum confessionis fidei sit affirmatiuum; non semper est in præcepto; præsertim cum opus martyrij valdè arduum sit; sed solum cum vrget necessitas, quià alias contemneretur fides, vel honor Dei, iuxtà supradicta dub. 2. it citata DD.

SECTIO IV.

De Benedictione noui ignis in Sabato sancto.

PRÆLVDIVM. I.

De origine, & causis benedictionis noui ignis.

Respondeo, & dico primò. Hic ritus benedicendi nouum ignem de lapide excussum in Sabato Sancto, institutus primò creditur a S. Zaccharia Papa anno 752. Siquidèm ante tempora Zaccharię, vt ait Baronius sumebatur ignis ex lampadibus occultè seruatis a precedenti feria v. in Cœna Domini. Occasionem autèm huic institutioni dedisse, plerique fuerunt; insigne miraculum olim a Deo patrari solitum in Ciuitate Sancta Hierusalem; vbi congregatis fidelibus in Ecclesia ad celebranda mysteria Dominicæ Resurrectionis; descendebat ignis de Cœlo, omnibus videntibus, & admirantibus; lampades autèm Ecclesiæ, quæ iàm a feria quinta ob mœrorem passionis Christi fuerant extinctæ; incipiente officio Resurrectionis, ex eodem igne miraculosè accendebantur: sicuti testatur Durantay *in panoplya sacerdotali cap. 6. ar. 4.* Atque ad famam huius miraculi instituta fuit benedictio noui ignis in Sabbato Sancto, vt nonnisi ex eo accenderentur lampades, & cerei, incipiente officio Resurrectionis Domini.

Dico secundò, quoad causas; materia, cui adhibetur

betur benedictio, est nouus ignis de lapide, excussus; sicuti præscribitur in rubricis Missalis. Causa formalis, est ipsa formula benedictionis pariter in Missali descripta, causa efficiens, seu eius auctor fuit S. Zaccharia, vt supra dictum est. Minister, verò est Sacerdos. Deniquè causa finalis est, representatio mysterij Resurrectionis Christi, & excitatio fidelium ad actus charitatis, & amoris Dei per ignem significati: quem ipse Christus lapis angularis, venit mittere in terram, & voluit vehemenetr accendi.

PRÆLVDIVM. II.

De Misterijs, & documentis eiusdem benedictionis, & ignis benedicti.

PRimum, & principale mysterium, quod hac benedictione repræsentatur, est Resurrectio corporis Christi è sepulchro. Sicut enim ex frigido lapide rutilans ignis excutitur, ità è sepulchro lapideo corpus Christi iàm mortuum, & extinctum, viuum, & splendidum resurrexit, & noua luce refulsit: atque nobis æternæ lucis contulit charitatem. Honorius in *Gemma lib.3. cap.100.* Dutandus *in Rationali lib.6. cap.78.* Alcuinus *de diuin. offic. cap. de Sabato Sancto circà finem.* Raban. *lib. 2. cap.38.*

Secundò in officio passionis, & mortis Christi extinguitur in lampadibus antiquum lumen, in solemnitate verò gloriosæ eiusdem Christi Resurrectionis, iterùm lampades accenduntur ex nouo igne de lapide excusso. Quià in morte Christi extincta, fuit seù finem habuit lex vetus, quæ erat lex timoris. In Resurrectione verò initium accepit lex noua, quæ est lex amoris, nouo charitatis igne, è Christo manente, corda fidelium accendens. Durandus in *Rationali lib.6. cap.80.*

Tertium mysterium insinuatur ab Ecclesia in secunda oratione huius benedictionis; vt sicut, inquit, illuminasti Moysen exeuntem de Aegipto, ità illumines corda nostra, vt ad vitam, & lucem æternam mereamur peruenire. Sicut enim Deus in lege veteri, ad intercessionem Moysis, præeunte columna ignis, populum Israeliticum ad terram promissionis deduxit: ità in lege noua ex meritis Christi per lumen gratiæ, & charitatis feruorem, ad patriam cœlestem, populum christianum dirigit.

Tandem hoc ritu præfiguratur futura omnium resurrectio in fine mundi præsertim iustorum; cuius exemplar est resurrectio Christi. Sicut enim ex igne de lapide excusso extinctæ iàm lampades iterùm accenduntur, sic mortua iustorum corpora, ex meritis Christi lapidis angularis resurgent, & lumen immortalitatis accipient, Durand. loc. sup. cit.

PRÆLVDIVM. III.

De virtute, & effectibus eiusdem benedictionis, & ignis benedicti.

REspondeo, quod virtute huius benedictionis fideles, qui ad eam concurrunt, & deuotè assistunt sacris functionibus Sabati Sancti, lucrantur per modum impetrationis, gratias præuenientes; quibus illuminantur, & excitantur ad intelligentiam mysterij Resurrectionis Dominicæ, & inflammantur actibus charitatis, & amoris Dei, & desiderij cœlestis patriæ: sicuti colligitur ex orationibus eiusdem benedictionis.

DOCTRINA MORALIS,

Et dubia conscientiæ de igne mystico benedicto, seù de charitate, & amore Dei.

NOVVS ignis de lapide excussus, & benedictione consecratus, præcipuè significat ignem charitatis ergà Deum, & proximum, qui penè extinctus in lege veteri, nouo ordine è Christo, lapide angulari excusso, in lege euangelica renouatus fuit; siquidèm ipse Christus ignem venit mittere in terram, & voluit vehementèr accendi; vndè hic congruè dissetendum videtur de hoc mystico igne charitatis; breuitèr explicando nonnulla dubia, quæ magis conducunt ad praxim circà Dei amorem: nàm de charitate ergà proximum, alibi a nobis dicendum erit.

DVBITATIO I.

Quid sit charitas, & qualis virtutus,

REspondeo. Charitas est virtus theologica, qua Deum proptèr seipsum, & suam bonitatem super omnia diligimus, & proximum proptèr Deum colligitur ex D. Thoma. 2.2.q.44. & expositoribus ibidem. Dicitur primò, virtus theologica; quià immediatè versatur circà Deum. Dicitur secundò, qua Deum propter seipsum, &c. vt expli-

explicetur obiectum charitatis,quod est ipseDeus, itèm explicatur motiuum, cur tale obiectum diligatur, videlicèt Dei bonitas, & perfectio, quæ diligibilis est perfectissimo amore, hoc est propter seipsum; non autem propter bonum, & commodum nostrum, quod est motiuum immediatum spei, vt suprà dicebamus sect.2.neque enim charitas pertinet ad amorem concupiscentiæ, sed amicitiæ. Dicitur tertiò super omnia, quia Deus, vt summum, & infinitum bonum, omnibus alijs bonis creatis præferri debet,vt inferius explicabimus, dùm de præcepto charitatis. Tandem dicitur, & proximum propter Deum, hoc est, quatenus proximus participat aliquo modo Dei bonitatem, vel in gratiam Dei amatur, de quo alibi.

Colligitur primò. Charitatem inter omnes virtutes excellentissimam esse, vt constat ex Apost. 1.*cor.* 15. *& ad Colos.*3. quià circa perfectissimum obiectum versatur; & quidèm perfectiori modo, quam aliæ virtutes theologales per vnionem affectus, vide D.Thomam 2.2.*q.*23.*ar.6.*

Colligitur secundò Charitatem esse formam reliquarum virtutum, adeò vt sine charitate non sint simplicitèr dictæ virtutes in ordine ad finem supernaturalem, ex D. August. *lib.* 1. *de moribus Ecclesiæ cap.*15.& docet D. Thom.2. 2.*q.*23.*ar.*7. & 8.Quià ad promerendam beatitudinem, viatoris opera, proportionem non habent sine charitate, per quam solam vnitur Deo, vt dicemus *dub.* 3.

DVBITATIO II.

De actibus proprijs charitatis ergà Deum, qui dicuntur à charitate eliciti.

RESpondeo, & dico primò, primus, & principalis actus charitatis, est dilectio Dei, quo Deo bonum volumus propter seipsum, vt ei bene sit. Bonum autèm, quod Deo volumus hoc actu dilectionis, est ipse Deus, videlicèt ipsius Dei esse, & viuere per essentiam; eiusdem infinita sapientia; & potentia, sanctitas, & gloria, ac reliqua Dei attributa, quibus est infinitè perfectus, e.g.si quis promat ex vero corde hunc actum. *Sede potentissime Imperator in throno maiestatis tuæ, & viue felicissime intra te.* Vel hoc modo ex *Apocalip.*7. *Claritas, & sapientia virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum,* & alios actus huiusmodi, quibus Deo volumus suum esse infinitè perfectum;qui idcircò sunt omnium perfectissimi.

Probatur. Quià cum amare nihil aliud sit,quam velle bonum, ex Aristotele *lib.*2. *reth. cap.*4. & D. Thoma 2.2.*q.*27.*ar.*2.eo perfectior erit actus amoris; quo maius bonum volumus rei amatæ; sed non possumus Deo velle maius, & excellentius bonum eo, quod Deus ipse intrà se possidet, videlicèt, esse suum infinitum, quo Deus est, ergò nequit dari actus amoris perfectior explicato, per se loquendo, & cæteris paribus, ità colligitur ex D.Thom. loc.*cit. & q.* 28. & ex eius expositoribus ibidem;& benè explicat Rodriq. *in exercit.perfect.p.*1.*tract.*8.*cap.*3.

Colligitur, prædictum actum dilectionis non esse actum, neque desiderij, neque gaudij, sed actum beneuolentiæ quamuis suprà beneuolentiam, addat vnionem affectus, seu transformationem in amatum, ex D. Thoma *quæst.* 27. *cit. art.*2.

Probatur, quià actus desiderij tendit in bonum absens, quo volumus alicui bonum, quod non habet; vel augumentum eius, quod possidet: sed Deus cum sit infinitè perfectus, nulla perfectione caret; neque potest ei aliquid de nouo addi (loquendo de bonis,quæ intrà se possidet), ergò respectu Dei non habet locum actus desiderij in prædicto bonorum genere. Neque est actus gaudij de infinita Dei perfectione,& gloria; quià gaudium consequitur actum amoris, seu dilectionis; & ab hoc procedit; & causatur; ideò enim quis gaudet, & delectatur de bono alterius; quià diligit illum, & non è contra; actus ergò, de quo loquimur, est actus beneuolentiæ efficacis, quæ præsupponitur gaudio, ita D.Thomas 2.2.*q.*28.*art.*1.

Dico secundò. Alij actus a charitate eliciti,qui consequuntur priorem actum dilectionis iam explicatum, sunt primò, gaudium de infinita Dei perfectione, & fœlicitate: secundò propositum Deo semper, & in omnibus placendi, & perfecta sui ipsius oblatio in obsequium Dei:Tertiò, odium peccati, & eiusdem detestatio, quatenùs est offensa Dei. Quarto, desiderium, vt omnes Deum ament, & solam eius pulchritudinem requirant; omniaque cedant ad maiorem ipsius gloriam, &c. videri potest D. Thomas loc.cit.Rodriquez supra cum alijs de *mystica Theologia tractantibus*.

DVBITATIO III.

De actibus imperatis à charitate.

RESpondeo, & dico primo, cum charitas sit Regina omnium virtutum, ex dictis *dub.*1. ad eam pertinet imperare cæteris omnibus virtutibus, prescribendo modum operandi propter Deum.

Probatur, quià ex intentione finis imperari, & dirigi debent reliqui actus, qui sunt propter finem; vt sunt electio, & executio mediorum: Cum ergò omnes nostræ operationes: & actus virtutum esse debeant propter Deum summum bonum, & vltimum nostrum finem,ex Apost.1 *ad Cor.*10.*omnia in gloriam Dei facite*; sequitur, vt à charitate imperari, & dirigi debeant;quæ immediatè versatur, & tendit in Deum, tanquam in summum bonum, & vltimum finem; vndè charitas dicitur finis legis, & omnium præceptorum, ita D.Thomas 2.2.*quæst.*23.*ar.*8. & ibi expositores communitèr.

Dico secundò, vt actus aliarum virtutum iustitiæ, temperantiæ, misericordiæ,&c. sint meritorij gratiæ, & gloriæ, debent aliquo modo procedere

ex charitate, & ex ea tanquam ex radice pendere.

Probatur, quia, vt actus sit meritorius vitæ æternæ, debet habere habitudinem ad finem supernaturalem; vt sit proportio inter meritum, & præmium; sed nisi dirigantur, & imperentur à caritate; carent ea habitudine; neque enim suaptè natura referuntur ad Deum, tanquam ad supernaturalem finem; ergò, & ità D. Thomas cit. *quæst. 44. art. 7. & 8.* & alij DD. communitèr.

Dico tertiò, charitatis imperium seu directio, qua referuntur in Deum actus aliarum virtutum, vt sic fiant meritorij,) debet esse, vel actualis, vel virtualis, iuxtà probabiliorem sententiam; hoc est debent referri in Deum, vel per præsentem charitatis actum, vel per actum antecedentem, qui per aliquid à se relictum, tanquam per suum instrumentum impellat voluntatem ad actum imperatum, quod est virtualitèr referri in Deum, e. g. proposuisti summam pæcuniæ pauperibus erogare propter Deum; & posteà oblata occasione ex vi illius propositi eroges; quamuis actu non referas eleemosynam in Deum; mereris, quià verè est opus imperatum à charitate, & virtualitèr in Deum relatum.

Probatur quia ad meritum, vt dicebamus, requiritur necessariò influxus charitatis, ex qua tanquam ex radice promanent aliarum virtutum actus, ergò vel actu, vel virtute influere debet; nec enim intelligi potest, quà alia ratione possit concurrere. Quemadmodùm ad conficienda Sacramenta ex communi sententia, requiritur necessariò intentio, vel actualis, vel virtualis; nec sufficit habitualis, quæ operatiua non est, & etiam in dormiente reperitur: ergo paritèr in casu nostro, ità D. Thomas loc. sup. cit. & *par. 2. q. 114. ar. 4.* Durand. Bonauentura, & alij, quos affert, & sequitur Layman *lib. 2. tract. 3. cap. 1. num. 2.*

Dixi autem iuxta probabiliorem sententiam. Quià est etiam probabilis aliorum Doctorum sententia, sustinens ad meritum sufficere intepretatiuam operum relationem in Deum ad quam sufficit vnius charitatis actus semel elicitus, & non reuocatus; quamuis nec actu, nec virtute perseueret; sed solùm habitualiter, e. g. si quis olim ex lectione pij libri concepto feruore charitatis, se & omnia sua: & consequentia opera in Deum, & vltimum supernaturalem finem retulerit, talemque voluntatem nunquam mutauerit; probabile est inquam, ex vi talis actus omnia opera virtutum in gratia facta esse meritori, propter interpretatiuam eorundem operum relationem in Deum; siquidèm talis operans ità dispositus est, vt si ei in mentem veniret: etiam actualitèr in Deum per charitatem referret; quamuis oppositum probabilius sit.

Colligitur iuxtà probabiliorem sententiam, quam defendimus. Non sufficere homini iusto ad promerendum singulis actionibus bonis augmentū gratiæ, & gloriæ, quod in principio diei, v. g. mane postquam è lecto surrexit, totū se Deo ex charitate offerat, cum proposito omnia ad ipsius gloriam operandi; non inquam sufficere, nisi ex vi talis propositi, & motiui consequentia opera exerceantur. Nam alia, quæ exercentur ex motiuo merè humano, vel etiam moralis honestatis, & neque elicitiuè, neque imperatiuè à charitate procedunt, meritoria non sunt, e. g. si quis patri, vel superiori obediat: quià sic decens est secundùm morum honestatem: ad quem actum obedientiæ, neque actualitèr, neque virtualitèr influit ille charitatis actus initio diei, seu manè elicitus: quià æquè ille fieret, etiam si nullo modo hic præcessisset; etenim illo proposito mane concepto, semèl interrupto ob nouam seriem actionum, quæ cum illo connexionem non habent: dici non potest, quod virtualitèr duret: ergò nequit influere in opera virtutis, quæ posteà fiunt; ergò nec illis tribuere vim merendi, quarè consultum erit sepiùs in die illud propositum replicare, & initio cuiuslibet operis Deo offerre ipsum opus, quod quis aggreditur, ità D. Bonauentura, Dusaust. Bellarm. quos affert, & sequitur Layman *lib. 2. tract. 3. cap. 1. n. 5.*

DVBITATIO IV.

De præcepto charitatis ergà Deum.

RESpondeo, & dico primò. Datur præceptum charitatis de diligendo Deum super omnia.

Probatur, tùm ex veteri testamento *Deuter. 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* tùm ex nouo apud Matt. *cap. 23. & Lucæ 10. & 1. Ioan. 3. qui non diligit manet in morte.* Rationem explicat. D. Th. *2. 2. q. 44. art. 1.* quià eatenùs aliquid est in præcepto, quatenus debiti rationem habet: In vnoquoque, autèm genere magis debitus est finis, quàm media, quià illud, quod est per se, vt est finis, potius est eo, quod est proptèr aliud, vt media. Sed finis vitæ spiritualis, ad quem homo tendere debet; est, vt vniatur cum Deo, quod fit per charitatem. Reliquæ autèm virtutes sunt de operationibus, quibus homo ad charitatis perfectionem disponitur: testante Apost. *1. ad Timoth. 1. finis præcepti charitas*; ergò cum de alijs virtutibus præcepta extent, multò magis de charitate.

Colligitur primò. Præceptum hoc de diligendo Deo, meritò primum, ac maximum dici, Math. 22. quià est de excellentissimæ virtutis primario actu, eoque in primis necessario ad salutem. Siquidèm charitas facultatibus, & virtutibus alijs imperans, earum actus ad Deum refert, tanquàm ad vltimum, & summum bonum: indeque fit, vt qui præceptum charitatis ergà Deum obseruat, reliqua etiam præcepta obseruet; totamque legem impleat ex Apost. *ad Rom. 13. Plenitudo legis est dilectio.*

Colligitur secundò, cur hoc præceptum, & alterum simile diligendi proximum non sint numerata in decalogo: Ratio enim est; tùm quia sunt prima principia practica, quæ omnibus statim innotescunt; vt proindè non fuerit necessarium ea foris scribi. Tùm quià in decem præceptis virtute continentur, tanquàm principia in conclusioni-

sionibus; siquidèm, vt dicebamus, aliarum virtutum præcepta ordinantur ad charitatem, tanquàm ad finem, ità D.Th.2.2.*q.44.art.1.ad 3.*

Dico secundò: Hoc præceptum charitatis obligat ad diligendum Deum ex toto corde; hoc est plena voluntate, secundò ex tota mente, seù intellectu; & rationis iudicio, tertiò ex tota anima sensitiua, seù appetitu sensitiuo, tandèm ex totis viribus, hoc est facultate executiua, quæ operatur per membra corporis, sicuti explicat D. Th. *cit.q.44.art.5.* quià homo debet Deum diligere ex omnibus facultatibus suis: quarum quatuor præcipuæ sunt; vna intelligendi, altera appetendi, seù volendi, tertia sentiendi, quarta loco mouendi, vt proindè nihil sit in intellectu, nihil in voluntate, ac desiderio, neque in sensu, neque in externa operatione, quod Deo non subijciatur, siuè in Deum referatur, ità D. Thom.sup. & expositores communitèr.

Dico tertiò. Tenemur ex charitate Deum diligere super omnia; ideft magis quam res omnes creatas; quià cùm Deus sit summum, & infinitum bonum, infinitè excedens omnem aliam rationem boni, quæ in creaturis esse potest; recta ratio dictat, & vis talis præcepti adstringit, vt Deum rebus omnibus creatis anteponamus, & super omnia diligamus, ità D.Thom.2.2.*q.26.& 44.* & expositores communitèr. Hoc autèm intelligi debet; vt debeamus ex præcepto Deum magis amare, quàm creaturas appretiatiuè, non verò intensiuè; ideft quoad prælationem, & maiorem æstimationem; non verò feruentiùs, ac teneriùs; quamuis enim decens sit, & ad maiorem charitatis perfectionem spectet, vt Deum feruentiori etiam, ac vehementiori amore, quàm alia bona creata amemus; hoc tamen Deus, inspecta nostra fragilitate, & modo operandi dependentèr a sensibus, noluit cadere sub præcepto: sed solùm, vt appretiatiuè ipsum super omnia diligamus. Itaque satisfecit huic præcepto, qui licet vxorem liberos, vel amicum teneriùs, ac intensiùs amet: Nihilominùs firmiùs, ac magis æstimatiuè diligit Deum; quod ex eo dignoscitur, si animo paratus sit, quamlibet creaturam deserere, eiusque amicitiam dissoluere, potiùs quam amicitiam cum Deo soluat, atque ità intelligitur illud Matth. 10. *qui amat patrem, vel matrem plusquam me, non est me dignus,* ideft si plùs amet appretiatiuè, non intensiuè, ità DD.communitèr, apud Sanchez *sum.lib.2.cap.35.*

Colligitur quamuis creaturam aliquam amare, & desiderare absque ordine ad Deum, non omninò charitati, & amicitiæ Dei repugnet; modo eam Deo non præferamus, sed id consistere possit cum Dei amicitia, nihilominus imperfectionem aliquam voluntatis, & amoris secum affert importantem culpam venialem, non mortalem. Et hoc est, quod asserunt Doctores, peccatum veniale non esse contrà præceptum, vel contra Deum, (cum eius amicitiam non dissoluat,) sed præter Deum, & ob hanc ipsam causam peccatum, ac malum, quià nunquàm homo deliberatè quicquam agere debet, quod non in Deum aliquo modo referat vide Layman *lib.2.tract.3.cap.2.num.5.*

DVBITATIO V.

Quibus temporibus præceptum dilectionis Dei obliget.

RESpondeo, & dico primò. Cum hoc præceptum sit affirmatiuum non obligat pro semper (, neque possibile est in hoc statu, vt viatoris voluntas continuè in Dei amorem rapiatur, sicut voluntas Beatorum, qui Deum vident) sed certis tantùm temporibus, de quibus non modica controuersia est inter Doctores. Secundùm probabiliorem verò sententiam, in duobus, vel tribus casibus per se, & directè obligat. Primus casus, seù primum tempus est, cum homo vsum rationis plenè, & maturè adeptus, Deum tamquam vltimum finem supernaturalem per lumen fidei sufficientèr sibi propositum habet; tunc tenetur elicere actum amoris diuini, & se totum Deo offerre, & sua omnia opera in eum referre.

Probatur, quià tunc respectu illius promulgatur lex diuini amoris, & obsequij ergò tenetur eam acceptare, & exequi. Itèm tenetur deliberare de suo vltimo fine, & consequentèr se ad Deum conuertere.

Probatur secundò ex Doctrina. D. Th.1.2.*quæst. 100.ar.1.ad 1.* quià præceptum de diligendo Deo, & eius impletio præcequitur, tanquàm necessarium principium ad obseruantiam præceptorum naturalium decalogi; ergò non debet homo diù morari, quin principium hoc ponat; quarè non dicimus hoc præceptum obligare in primo instanti vsus rationis phisicè sumpto (vt aliqui arbitrati sunt) sed initio perfecti vsus rationis moralitèr accepto modo suprà explicato. Ità plures DD. apud S.Thomam.1.2.*q.89.ar.9.* Bannes, Sotus, Valentia, & alij, quos affert, & sequitur Layman *lib. 2.tract.3.cap.2.num.6.*

Secundum tempus est. Cum vrgente graui tentatione, periculum homini imminet, ne in odium Dei labatur, nisi contrario actu dilectionis Dei se muniat, ita DD. communitèr, apud Sanchez *sum. lib.2.cap.35.*

Tertium tempus addunt aliqui inter medium vitæ, ne videlicèt in vitæ progressu diù differatur actus amoris Dei super omnia, e.g. ne differatur vltra triennium, vel quinquennium, vel saltèm non omittatur in articulo mortis, Suar. *de charitate disp.5.sect.3.* sed hoc non est certum.

Excusari tamen possunt, non rarò fideles a trasgressione huius præcepti, primò ex opinionibus probabilibus in oppositum, quia plures asserunt non vrgere hanc obligationem, nisi secundo casu, seu tempore explicato. Secundò ex inaduertentia inculpabili. Tertiò, quià sæpè, vel in confessione, vel extra elicitur actus contritionis, in quo imbibitur amor Dei super omnia.

Dico secundo, præceptum eliciendi actum dilectionis Dei super omnia, obligat etiàm indirectè, & per accidens, quandò idem actus est necessarius ad impletionem alterius præcepti: qua ratione obligat primò, quandò vrget necessitas celebrandi

 Missam,

Missam, vel Sacramentum aliquod ministrandi, si minister sibi sit conscius peccati mortalis, & non habet copiam confessarij; item si constitutus in periculo mortis, non possit recipere Sacramentum pœnitentiæ, in his enim casibus tenetur quis elicere actum contritionis; qui necessariò includit actum dilectionis Dei super omnia.

Secundò obligat per accidens, quandò quis gravi tentatione vrgetur, præsertim tempore mortis, & existimat, se eam non superaturum, nisi per actum amoris in Deum conuertatur, & in similibus casibus, Doctores sup. cit.

DVBITATIO VI.

Qualitèr amittatur, vel minuatur charitas per peccata.

R_Espondeo, & dico primò per peccatum mortale amittitur charitas etiam quoad habitum a Deo infusum est de fide ex Trid. *seß. 6. cap. 5. de iustificat.* & docet D. Thom. 2. 2. *q.* 24. *art.* 12. & ibi DD.

Probatur. Tum quià per peccatum mortale quis ex amico fit inimicus Dei, ergò amittit charitatem, quæ est amicitia cum Deo. Tum quid quodlibet peccatum mortale priuat gratia sanctificante, quæ vel est eadem cum habitu charitatis infusæ, vel habet necessariam connexionem cum eo.

Dico secundò, per peccata venialia, neque amittitur charitas, aut gratia sanctificans; neque minuitur quoad entitatem; sed solum eisdem peccatis minuitur feruor charitatis.

Prior pars probatur, tum ex Trid. *seß.* 14. *cap.* 4. *de pœnit.* tum ex communi DD. sententia cum D. Thoma 1. 2. *q.* 72. *art.* 5. Ratio est, quià peccata venialia non opponuntur fini legis, & charitatis, sed aliquantulùm ab eo deuiant: non tollunt habitum charitatis. Neque etiam minuere possunt; aliàs paulatim illum destruerent, quod est falsum, vt diximus.

Secunda verò pars probatur, quià per peccata venialia homo etiam iustus fit segnior ad opera virtutum, præsertim charitatis; ergò minuunt eius feruorem.

Antecedens probatur tum quià venialia impediunt redundantiam charitatis in partem sensitiuam, per quam homo etiam secundum sensum delectabilitèr operatur ex D. Thoma *q.* 7. *de malo art.* 2. *ad* 10. Tum quia ex multis venialibus generatur habitus retardans potentiam ad facilè operandum, qua ratione disponunt etiam ad mortalia, ex D. Thom. 2. 2. *q.* 24. *art.* 10. Tandèm sunt causa, vt subtrahantur a Deo speciales gratiæ actuales excitantes ad feruorem deuotionis. Vide Sotum *de peccatorum discrimine cap.* 10. & Rodriq. in *exercit. perfectionis p.* 1. *tract.* 1. *cap.* 9. & 10.

SECTIO V.

De benedictione Incensi.

SAbbato Sancto post benedictionem ignis, sectione præcedenti explicatam, Sacerdos benedicit quinque grana incensi, infigenda in cereo. Deindè ponens de nauicula incensum in thuribulo, hoc ipsum benedicit more solito, & eo ter adolet prædicta grana, & ignem. Hinc post benedictionem ignis, consequentèr in hac sectione differendum est de benedictione incensi; quæ etiam sæpissimè fit, tum in Missa solemni, tùm in alijs sacris functionibus.

PRÆLVDIVM I.

De origine, & causis benedictionis incensi.

REspondeo, & dico primò. Incensi, seù thuris oblatio, & crematio in honorem Dei ab initio nascentis Ecclesiæ, in more fuit apud fideles inter Missarum solemnia, aliasque sacras functiones; vnde originem ducit ab Apostolis, a quibus creditur thuris benedictio instituta. Siquidem de ea fit mentio in *Canone tertio Apost. sub nomine thimiamatis*: sed sumitur ibi thimiama pro incenso. Vsus namque thimiamatis propriè dicti, cuius compositio præscribitur, *Exod.* 30. cum antiqua lege finem habuit. Neque modo Ecclesia thurificatione vtitur ex præcepto cæremoniali veteris legis, sed sub alio diuerso ritu ab Apostolis instituto: sicuti docet D. Thom. 3. *p. q.* 83. *art.* 5. Porrò de incenso in sacris adolendo mentionem faciunt, S. Dionysius *cap.* 3. Soter Secundus Summus Pontifex *epist.* 2. *ad Episcopos Italiæ*, S. Ambrosius *in Lucam cap.* 1. Ireneus *lib.* 3. *cap.* 20. Ciprianus *serm. de stella* & magis, alijque, quos enumerat Stephanus Durantus *de ritib. Ecclesiæ lib.* 1. *cap.* 9. In veteri etiam lege, incensi vsus in sacrificijs frequens fuit; imò, & apud Gentiles in prophanis eorum sacrificijs, vt videri potest apud Durantum loco citato. Quarè in omnium æstimatione incensum est apta, & valdè conueniens materia diuini cultus. Hinc a Magis Christo recentèr nato, facta fuit thuris oblatio; qua ipsum Christum Deum, & Sacerdotem professi sunt. Cur autem incensum destinetur in cultum Dei, explicabimus sequenti præludio.

Dico secundò. Huius benedictionis causæ manifestæ sunt; causa enim materialis, siuè subiectum benedictionis est ipsum incensum, seù thus. Causa formalis, seù benedictionis formula, & ritus habetur in varijs liturgis Sanctorum. Nam S. Iacobus *in sua liturgia* orationem edidit in hunc finem recitandam, dum thus accenditur. In litur-

liturgijs quoque Basilij, & Chrisostomi exaratur forma benedicendi incensum, de qua etiam plura habentur in ordine Romano antiquo. Modo autem vsus Ecclesiæ obtinuit, vt paucis verbis, & simplici Crucis signo fiat communitèr hæc benedictio; videlicèt ab illo benedicaris, in cuius honorem cremaberis; eò quia frequentissima est, & adhibetur ad ornatum, & complementum aliarum benedictionum. Causa efficiens quoad institutionem fuerunt Apostoli, vt diximus, Minister verò est quilibet Sacerdos. Tandèm causa finalis est cultus Dei, & excitatio fidelium ad actus orationis, & deuotionis, vt patebit ex dicendis in sequenti prælúdio.

PRÆLVDIVM II.

De Mysterijs, & Documentis eiusdem benedictionis, & incensi benedicti.

INcensi oblatio, & thurificatio, quæ fit in Altari, & alibi, varia includit mysteria, & documenta notatione digna.

Primò. Benedicitur incensum, eoque thurificatur Altare, & incensantur adstantes, ad significandum effectus gratiæ, qua sicut bono odore, primò Christus repletus fuit, & a Christo deriuatur ad omnes fideles, iuxtà illud Apost. 2. Corinth. 2. *odorē notitiæ suæ spargit in omni loco*, ita D. Thom. 3. p. q. 83. art. 5. S. Germanus *in Theoria*, Durantus *de ritibus Ecclesiæ lib. 1. cap. 9.* vbi alios citat.

Secundò; Eodem thurificationis ritu monentur, qui sacris adsunt, mente ascendere ad cœlestia, depulsis importunis cogitationibus. Itèm cor suum ignitum coram Deo facere, velut thuribulum adoratissimum: in quo cum per amorem virtutes colligimus quasi carbones in thuribulum congerimus, & odor virtutum, quasi virgula fumi odoratissimi ad Deum ascendit, Philo Episc. in *Cant. super illo versic. ex aromatibus myrræ, & thuris*, Durant. loc. sup. cit. & Gulielm. Durand. in *Rationali lib. 4. cap. 4. num. 6.*

Tertiò: Incensum ex igne exhalans, præcipuè designat orationem ex ignitis rerum cœlestium desiderijs ad Deum directam, *dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, ps. 140. & Apoc. 8. Data sunt ei incensa multa &c.* ità D. Chrisost. *hom. 13. super Matth. in opere imperfecto* D. Thom. loc. cit. Durant. suprà, & alij expositores communiter.

Quartò; Thuribulum, in quo adoletur incensum, significat corpus Christi Domini, ex Diu. August. *hom. 6. in Apocal.* quod Christus in ara crucis, obtulit in odorem suauitatis; talique odore depulit fœtorem peccatorum, & Deum reddidit nobis propitium, sic Amalarius *de diuinis offic. lib. 3. cap. 5.* Innocentius Tertius *de mysterijs Missæ lib. 2. cap. 16.* de quo mysterio nos diximus *in comment. ad rub. Missalis p. 2. tit. 4.*

Tandèm addit D. Thom. sup. in sensu literali, thurificationem in Ecclesijs fieri in reuerentiam loci sacri, vt si ibi fuerit praui odoris fœditas, depellatur, & qui adsunt odoribus lætis mulceantur.

PRÆLVDIVM III.

De virtute, & effectibus eiusdem benedictionis, & incensi benedicti.

REspondeo. Virtute huius benedictionis, & oblationis incensi, seù thurificationis, fideles, qui deuotè assistunt diuinis officijs consequi à Deo ex impetratione Ecclesiæ gratias præuenientes, quibus excitantur ad actus orationis, & deuotionis, vndè faciliùs impetrant ea, quæ postulant, vt constat ex formula benedictionis incensi, qua vtitur Ecclesia, præsertim in Missa solemni.

Secundò, thurificatio, seù suffitus incensi valet ad expellendos, & fugandos dæmones, sicut probant Innocentius suprà citatus *de mysterijs Missæ lib. 2. cap. 17.* Durandus *in Rationali lib. 4. cap. 10.* Stephanus Durantus *de ritibus Ecclesiæ, lib. 1. cap. 9.* & exprimitur in benedictione granorum incensi, quæ fit in Sabbato Sancto, his verbis. Expulsa diabolica fraudis nequitia; virtus tuæ Maiestatis assistat, &c. qua ratione thurificantur cadauera defunctorum sicuti fusiùs explicauimus *in Comm. ad Rubricas Missalis p. 2. tit. 13. in expositione literæ*; & infrà dicemus in dubijs conscienciæ.

DOCTRINA MORALIS.

Et dubia conscientiæ de eadem benedictione, & de præcepto orationis per incensum significatæ.

DVBITATIO I.

An cum incenso Deo adolendo, licitum sit miscere alia aromata; vt thurificatio sit maioris fragantiæ.

REspondeo, id licitum esse, modo incensum, seù thus cætera excedat.

Probatur, quia licèt in Missali fiat solum

lùm mèntio de incenso; in cœremoniali tamen Episcoporum lib.1.cap.23.expressè habetur posse cum thure imponendo in thuribulo, misceri alia aromata suauis odoris, & praxis, etiam confirmat; atque ità docet Crassis, quem citat, & sequitur, Castaldus in *praxi cærem.lib.2.sect.2.cap.2.num.2.*

DVBITATIO II.

An quando thurificandum est SS. Sacramentum, benedici debeat incensum.

RESpondeo, si solum Sanctissimum Sacramentum thurificandum sit, vt fit initio, & fine processionum, in quibus defertur Sanctissimum Christi Corpus; non benedicitur in censum; sicuti habetur in *cæremoniali Episcop.loc.cit.* tradit Castaldus suprà cum alijs communitèr. Ratio est, quià benedictio ideircò præmittitur, quandò aliquid thurificatur, vt ex vi incensi benedicti res, quæ thurificatur à prano aliquo odore purgetur, & sanctificetur; quæ ratio omninò cessat in casu nostro; Siquidèm Christi Corpus omni suauitate, & gratia plenum, neque purgatione vllo modo indiget, neque vlteriùs sanctificari potest; ergò thurificari debet incenso non benedicto, quià thurificatio non fit in signum purgationis (in quem finem fieri etiam solet aspersio aquæ lustralis): sed in signum reuerentiæ. Cœterùm si non tantùm sit thurificandum Sanctissimum Sacramentum; sed etiam Altare, vel aliud; vt in Missa solemni, vel in vesperis, &c. tunc præmittitur incensi benedictio in ordine ad Altare, &c. non in ordine ad Sacramentum, vt notat Castaldus supra. Quod intelligendum est, nisi in casu particulari alitèr notetur in rubricis, e. g. in Missa Parasceue, in qua post Sanctissimum Sacramentum incensantur oblata, & Altare; & tamèn in rubrica notatur imponendum esse incensum in thuribulo absque benedictione; cur autèm in hoc casu omittitur benedictio? Videtur dicendum omitti in signum mæroris, & luctus ob Christi mortem; quià benedictio hilaritatem quandam importat, qua ratione in Missis Defunctorum nonnullæ benedictiones omittuntur, sicuti diximus in *comment.ad Rubricas Missalis p.2.tit.13.in expositione literæ.*

DVBITATIO III.

Vtrum incenso benedicto conuenientèr thurificentur cadauera, & tumulis Defunctorum.

RAatio dubitandi est; quià incensum, & thurificatio nihil prodesse videtur Defunctis; consequenter videtur cœremonia impertinens, & superflua.

Respondeo: nihilominùs conuenientèr fieri huiusmodi thurificationem Tùm ad fugandos, vel coercendos dæmones, nè quid audeant contrà defunctorum corpora iu vsum malefici), vel alias in eorum opprobrium. Tùm ad significandum, quod defunctis prodest oratio; & sic excitentur fideles ad orandum pro illis. Tùm denique in honorem piè defunctorum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis, sicuti explicauimus in *comment.ad rub.Missalis p.2.tit.13.in explicatione literæ num.4.*

DVBITATIO IV.

An oblatio, & crematio incensi in honorem Dei, habeat rationem sacrificij.

RAtio dubitandi est; quià sacrificium communitèr definitur. Est oblatio Deo facta per immutationem alicuius rei sensibilis, in signum supremi eius dominij super omnes creaturas ex publica, & legitima institutione; quæ definitio conuenire videtur oblationi incensi; quatenùs crematione destruitur in honorem Dei supremi omnium Domini publica Ecclesiæ auctoritate.

Respondeo, in lege noua non esse nisi vnicum, & singulare sacrificium corporis, & sanguinis Christi, quod offertur in Missa, continens omnes differentias hostiarum; quæ olim offerebantur in lege veteri; sicuti constat ex *Trid.sess.22.cap.1.& sequentibus.* Consequentèr certum esse, neque oblationem, & cremationem incensi; neque aliam cœremoniam habere rationem veri, & propriè dicti sacrificij; quià aliàs sacrificium Missæ non esset vnicum, & singulare in lege euangelica: quod est apertè falsum ex Trid.suprà.ità DD. communitèr apud Suar. *tom.3.in 3.p.disp.74.sect.4.*

Ad rationem dubitandi respondetur ad rationem veri, & propriè dicti sacrificij requiri, vt immutatio, & mactatio rei sensibilis, quæ in honorem Dei offertur, fiat directè, & immediatè in signum, & protestationem supremi dominij Dei; nec sufficit eam referri in Deum mediatè, & indirectè; modo oblatio incensi in lege noua non fit ea intentione; sed vel in signum excelentiæ sacrificij Missæ, vel ad significandam fragrantiam orationis, videlicet, quam sit Deo grata feruens, & deuota oratio, vel ob similem finem; & sic mediatè postea, & indirectè tendit in Deum: fuitque instituta ad ornatum sacrificij Missæ; non autem vt ipsa incensi oblatio sit sacrificium. Adde legitimam auctoritatem instituendi sacrificium sibi soli Christum reseruasse, nec eam Ecclesiæ communicasse, sicuti neque communicauit facultatem instituendi Sacramenta, vide Suar. *loc.cit.*

DVBITATIO V.

De Incenso mystico orationis. Quam necessaria sit nobis oratio, & qualitèr cadat sub præcepto.

RESpondeo, & dico primò. Oratio ad Deum, est absolutè necessaria homini viatori, necessitate medij, secundum legem ordinariam ab ipso Deo constitutam, homines adultos saluandi, ipsis cooperantibus, & facientibus, quod in se est.

Probatur, quià ad salutem hominis, sunt absolutè necessaria diuina auxilia, & gratiæ præuenientes, & cooperantes, &c. Hæc autèm auxilia obtineri à Deo non possunt de lege ordinaria, nisi mediante oratione; ergò oratio est medium absolutè necessarium ad salutem. Maior est certa de fide.

Minor verò probatur ex Christi verbis *Lucæ* 11. *petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, &c.* satis indicantibus alitèr gratias non esse concedendas, nisi mediante petitione, & oratione; ità enim postulat iusta Dei prouidentia, & creaturarum rationalium recta gubernatio, vt homines primò agnoscant propriam imbecillitatem, & solum Deum salutis auctorem, atque omnium donorum largitorem; & indè ab ipso Deo petant eius necessarium auxilium, & ab eodem illud recognoscant, nec sibi fidant, ità D.Thomas 2.2.q.83.ar.1.& ibi expositores, vide Suar.*tom.* 2.*de Relig.lib.*5.*de oratione cap.*1.

Dico secundò. Tenentur homines Deum orare, & ab eo petere necessaria ad salutem; tenentur inquam ex præcepto, tùm iuris naturalis, tùm diuini, vt colligitur ex verbis citatis Christi *petite, & dabitur vobis*, & Matt. 28. *vigilate, & orate ne intretis in tentationem*. Ratio est, quià certum est teneri homines procurare suam salutem spiritualem, & vltimi finis consecutionem per media necessaria; sed oratio est vnum ex medijs necessarijs, vt suprà probatum est; ergò &c.

Itèm tenemur Deum recognoscere; vt supremum omnium bonorum datorem; ergò tenemur humili subiectione ab ipso petere, quæ necessaria sunt: vndè colligitur præcepti huius necessitatem non tantùm prouenire ex lege charitatis ergà nos ipsos; sed etiam ex lege virtutis Religionis ergà Deum; siquidèm oratio est actus Religionis, seù cultus diuini, quatenùs humili subiectione ab eo petentes dona, & gratias, profitemur ipsum Deum supremum auctorem omnium bonorum, & fatemur nostram indigentiam, atque dependentiam ab eo, qui à nemine pendet. Vide Suarez *suprà cap.*29.& 30.

Dico tertiò. Quamuis in particulari determinari non possit quandò, seù quibus temporibus præcisè obliget hoc præceptum orandi, & effundendi nostras preces ad Deum, quasi thus odoratum in eius cultum; certum tamen videtur, eum frequentèr obligare, ita vt non nimis diu ab oratione desistamus.

Probatur tùm ex Sacra Scriptura *Lucæ* 18. *oportet semper orare, & non deficere, & 1.ad Thess.* 4. *sine intermissione orate*. Tùm ratione. Cum enim continuum sit nobis bellum spirituale cum diabolo, & carne, ità vt S.Iob *cap.* 7. verè dixerit militiam esse vitam hominis super terram; ideò ab oratione nunquàm ità desistendum, quin mox, id est non longo nimis interuallo ad eam redeamus; siquidèm hoc medium præcipuum est ad vincendum inimicos, mediante auxilio diuino, ità D. Thomas in 4.*dist.*15.*q.*4. *art.*1. Lessius *lib.* 2. *c.* 37. Suar.*sup.cap.*30.& alij communitèr.

Dico quartò. Obligatio orandi est duplex, prima dicitur per se, & directa proueniens ex virtute Religionis, de qua intelligi debeant ea, quæ diximus præcedenti conclusione; secunda dicitur indirecta, & per accidens, proueniens ex virtute charitatis ergà nos ipsos, & proximos: quæ præsertim vrget in his casibus; Primò, si grauis tentatio superanda sit, ad quam depellendam necessaria videatur oratio, & recursus ad Deum. Secundò in mortis periculo. Tertiò, si communitas in magno periculo constituta sit, vt Dei auxilium implorandum esse videatur ad auertendum malum; vel si proximus sit in extrema necessitate spirituali, cui per orationem succurrere opus esse videatur, idemque dicendum in similibus casibus, vide DD.sup.citatos.

DVBITATIO VI.

De conditionibus requisitis ad veram, & Deo gratam Orationem.

RESpondeo, & dico primò. Ad veram orationem, quæ sit honesta, & actus virtutis, requiritur duplex præsertim conditio, videlicèt recta intentio, & aliqua pia attentio, ex D. Thoma 2.2.*q.*83.*art.*13. Primò ergò requiritur intentio verè orandi, seù loquendi cum Deo, & petendi aliquid ab ipso Deo, in finem bonum, & honestum, seù absque Dei offensa.

Probatur, quià cum bonitas, & malitia humanarum actionum, præcipuè pendeat ex fine, & intentione operantis, vt actio qualibet sit bona, & honesta, requirit necessariò finem honestum, & bonum; aliàs ex prauo aliquo fine omnino inficitur, vt docet D.Thom.1.2. *q.* 18.*art.* 4.& cum eo communitèr: ergò in casu nostro, vt oratio sit verus actus virtutis, necessaria est in orante recta intentio, & finis honestus.

Secundò ad veram orationem requiritur attentio, seù applicatio mentis ad Deum, vel actualis, vel saltèm virtualis, quà excitatur in orante submissio, & reuerentia ergà Deum.

Probatur, qui enim intendit cum Deo colloqui, & aliquid ab eo petere, vel eum laudare; tenetur iure diuino naturali, conuenienti modo hoc facere; sicut patet in humanis, de eo, qui porrigit supplicationes Magnati, vel Principi, quem pro sua dignitate, quantùm commodè potest tractare debet

bet, ne eum contemnere videatur; sed attentio, & reuerentia interna est necessaria, vt quis conuenienti modo cum Deo tractet, & colloquatur; siquidem ad alia diuertere, & mente vagari, est veluti terga Deo vertere, & eum paruifacere; ergò, &c. ita Caetanus, Nauarr. & alij communiter, quos citat, & sequitur Lessius *lib.2. cap.37. dub.9. nu.61.*

Colligitur primò, licet quis non teneatur nunc orare; si tamen velit, & oret; eum teneri debitam reuerentiam, & attentionem adhibere, alioquin saltem venialiter peccat DD. citati.

Colligitur secundò. Quandò iure diuino ad orationem obligamur sub peccato mortali; tunc voluntria distractio erit peccatum mortale; quandò verò oratio est libera, & non obligatoria; voluntaria distractio est peccatum veniale. Tandem quandò solùm præcepto Ecclesiastico obligamur ad orandum, variant Doctores, aliqui enim damnant peccati mortalis distractionem prædictam, alij probabiliter a mortali excusant, vide Lessium sup.

Dico secundò, vt oratio sit omninò efficax, & infallibiliter impetret, id, quod petitur; requiruntur hæ conditiones ex D. Thoma *q. citata 83. art.15.* prima, vt orans sit in statu gratiæ, & amicus Dei, Ioa.15. *si manseritis in me, &c. quodcumque petieritis fiet vobis*, secunda, fides certa potentiæ, & benignitatis Dei, Marci 11. *credite quia accipietis*, &c. tertia, vt id, quod petitur sit necessarium, vel saltèm vtile ad salutem, *si quid petierit in nomine meo, &c.* quarta, requiritur perseuerentia *Lucæ 11. si perseuerauerit pulsans*. Tandem addit D. Thom. loc. cit. si quid petatur pro ipso orante; nam oratio fusa pro alijs, non semper impetrat; quamuis alij doceant positis alijs conditionibus explicatis, etiam pro alijs orationem impetrare infallibilitèr, vide Suar. *de oratione lib.1. cap. 27.* Quamuis autèm deficiente aliqua ex dictis conditionibus, non semper, seu non infallibilitèr impetremus, quod petimus, sæpè tamen impetramus de congruo, vt patet in oratione Publicani Lucæ 18 vide D. Th. loc. cit.

SECTIO VI.

De Benedictione Cerei Paschalis in Sabbato Sancto:

PRÆLVDIVM I.

De origine, & causis huius benedictionis.

Respondeo, & dico primò. De origine huius benedictionis, & cerei paschalis institutione, diuersimodè opinari interpretes sacrorum rituum. Plures enim eam attribuunt Zosimo Papæ, vt Alcuinus de diuinis officijs tit. de Sabbato Sancto. Amalarius *de offic. eccles. cap.18.* Durandus *in Rationali lib.6. cap 80.* eo, quia idem Pontifex quoddam decretum edidit de hac benedictione. Cœterum ex eo decreto non satis colligitur Zosimum fuisse primum auctorem huius ritus, etenim, vt refert Baronius *anno 418.* Zosimus concessit, vt cereus paschalis benedici posset, etiam in Ecclesijs Parochialibus; vndè potius colligitur ante tempora Zosimi benedictionem cerei fuisse institutam pro solis Ecclesijs Cathedralibus.

Ab alijs attribuitur hæc benedictio Gregorio Magno, quia in libro Sacramentorum, qui est D. Gregorij fit expressa mentio eiusdem benedictionis. Cœterum in prædicto libro multa, quæ priùs erant in vsu, D. Gregorius ad meliorem formam reduxit, non ipse primo instituit: teste Ioanne Diacono in eius vita; insupèr eiusdem benedictionis præconium magna ex parte extat apud D. Ambrosium Gregorio, & Zosimo antiquiorem.

Dicendum est ergò. Hunc ritum benedictionis cerei paschalis, esse antiquissimum in Ecclesia; non satis tamèn constare de primo eius auctore, sicuti erudite probat Dusaussay in panoplya sacerdotali p.2. lib.2. cap.6. art.6. & notat etiam Castaldus *in prax. cærem. lib.3. sect.8 cap.8.*

Dico secundò. Causa materialis, siuè subiectum huius benedictionis est cereus magnus, cui affigi debent quinque grana incensi benedicti, ob mysteria infrà explicanda. Causa formalis consistit in præconio, quod incipit exultet iam angelica turba, &c. cum ritibus, quibus hæc benedictio perficitur. Minister immediatus, a quo fit benedictio, est Diaconus de mandato Sacerdotis celebrantis, ob rationes infrà explicandas in dubijs conscientiæ. Causa tandem finalis est repræsentatio Resurrectionis Christi; & excitatio fidelium ad gratiarum actionem, & exultationem de beneficijs innumeris nobis a Deo collatis per mysterium Redemptionis, & Resurrectionis Christi Domini.

PRÆLVDIVM II.

De mysterijs, & documentis eiusdem benedictionis, & cerei benedicti.

Svb cortice huius ritus cerei paschalis, benedictione consecrati, magna continentur mysteria; de quibus fusè tractant interpretes sacrorum rituum: nos potiora hic explicabimus.

Primò, & principalitèr, cereus benedictus significat Christum in sua gloriosa resurrectione noua claritate fulgentem. In cereo namque tria sunt; videlicèt primò, cera, quam apes gignunt sine commistione, seu concubitu; & denotat carnem Christi assumptam de Virgine sine opera viri. Secundò, lycnum in cereo latens significat animam ipsius Christi in carne latentem. Tertiò ignis

seu

seù lumen significat diuinitatem eiusdem Verbi Incarnati; quià Deus noster ignis consumens est. Benedicitur ergò cereus in Sabbato Sancto; & ex nouò igne lumen recipiens, noua claritate coruscat; ad repræsentandum mysterium Resurrectionis Christi; qui virtute diuinitatis a mortuis resurgens, nouum lumen immortalis vitæ recipit, & toti mundo mirabilitèr illuxit, ità Alcuinus de diuinis officijs cap. de Sabbato Sancto. Fulbertus Carnotensis de Resurrectione. Durandus in Rationali lib. 6. cap. 80. Dusaussay in panoplya sacerdotali de benedictione cerei paschalis, & alij communitèr.

Secundò, cereus benedictione consecratus significat columnam, qua olim populus Israeliticus ductus fuit ad terram promissionis; erat autèm columna nubis per diem, reparans populum ab æstu solis, & columna ignis per noctem illuminans tenebras, seù noctis caliginem depellens; atque in ea præfiguratus est Christus; siquidèm in nube erat figura humanitatis, & in igne diuinitas exprimebatur. Huius igitur columnæ illuminatione, idest ex meritis Christi resurgentis, ducitur populus christianus ad terram promissionis, seù cœlestis patriæ; quià Christus sua resurrectione æternitatis nobis aditum deuicta morte reserauit; & tanquàm verus mediator, seù verus Deus, & verus homo, suum peregrinantem populum incessantèr defendit, tùm ab ardore furoris diuini, tùm a gelu, & caligine peccatorum, ità Alcuinus & Durandus loc. cit. & ex plicat Ecclesia in preconio, quo cereus benedicitur.

Tertiò. Cereus benedictus, & nouo igne accensus, significat testamentum nouum, lege charitatis fulgentissimum mandatum nouum dò vobis, vt diligatis in vicem; & benedicitur in Sabbato Sancto; quià consumatum, & perfectum fuit Resurrectione Christi, ità Durand. loc. sup. cit.

Quartò. Infiguntur cereo quinque grana incensi per modum Crucis propter quinque plagas Christi Crucifixi, & ad significanda aromata ad vngendum Christi corpus delata. Deinde accenditur cereus, & nouo lumine fulget; quià Christus post plagas, & mortem, gloriosissimè resurrexit, & noua immortali vita refulsit, Alcuinus, & Durandus vbi sup.

Quintò. Dùm benedicitur cereus, & canitur triumphus Resurrectionis, tenetur ibi arundo, & super arundinem tres candelæ accensæ refulgent; quià arundo est symbolum humilitatis Christi, & opprobrij, quod in sua passione sustinuit; triangulus autem candelarum Sanctissimam Trinitatem designat, cuius virtute Christus resurrexit; indeque opprobrium in gloriam transit; *humiliauit enim seipsum Dominus Iesus Christus &c. propter quod, & Deus exaltauit illum, ad Philipp. 2.*

Lumen verò cerei communicatur lampadibus, quæ ex eo accenduntur; quià Christus post Resurrectionem lumen suæ doctrinæ communicauit Apostolis, quos destinauit prædicatores Euangelij per totum orbem, Alcuinus de diuin. offic. tit. de Sabbato Sancto, Rupert. lib. 6. cap. 29. Durandus in Rat. lib. 6. cap. 80. circà fin.

PRÆLVDIVM. III.

De virtute, & effectibus eiusdem benedictionis, & cerei benedicti.

Respondeo, quod virtute huius benedictionis fideles, qui deuotè intersunt eidem sacræ functioni lucrantur gratias præuenientes; quibus a Deo excitantur ad contemplationem Resurrectionis Christi; Itèm ad actus gaudij, & amoris ergà Redemptorem, mortis, & Diaboli triumphatorem, & ad actus gratiarum actionis ob innumera beneficia, quæ nobis proueniunt ex tanto mysterio; sicuti constat ex præconio, seù formula eiusdem benedictionis.

Secundò olim ex cereo benedicto conficiebantur Agni Dei, & eiusdem cerei particula distribuebatur populo ad eosdem effectus, quos infrà enumerabimus sect. 9. dùm de benedictione agnorum Dei.

Tertiò; prodest hæc benedictio Regibus, & Principibus, & toti populo christiano; siquidèm in præconio, quo cereus benedicitur, pia Mater Ecclesia præcatur omnibus specialem Dei protectionem, & temporum quietem, victoriam contrà inimicos, & perpetuam pacem; speciatim orat pro Summo Pontifice, pro Imperatore, &c. quæ omnia bona, prout magis Deo visum fuerit expedire, ab ipso Deo sperare debemus per Sanctam Christi Resurrectionem, & ex meritis, & intercessione S. Matris Ecclesiæ.

DOCTRINA MORALIS.

Et dubia conscientiæ de eadem benedictione, & vsu cerei benedicti.

DVBITATIO I.

An cerei benedictio conuenientèr fiat à Diacono.

Ratio dubitandi est; quia munus benedicendi pertinet propriè ad Sacerdotem, vt fusè probauimus tit. 1. sect. 4. dub. 2. quare nec licitè, nec validè potest fieri alia quæuis benedictio à Diacono, vel alijs Sacerdote inferioribus, vt ibidem diximus.

Respondeo, nullam aliam benedictionem, hac

 sola

sola excepta, fieri posse a ministris Sacerdote inferioribus; hæc autem cerei benedictio ex ordinatione Ecclesiæ conuenientèr Diacono committitur, quamuis de mandato Sacerdotis, vt tanquam organum eiusdem Sacerdotis ibi præsentis, seu celebrantis hoc munus exerceat, vndè priùs in hunc finem ipse Diaconus petit à celebrante benedictionem. Duplex autèm assignatur huius rei ratio ab interpretibus sacrorum rituum. Prima est, quia Christus postquàm resurrexit a mortuis, se primum manifestauit Mariæ Magdalenæ, cui etiam commisit, vt hoc mysterium alijs nuntiatet, vt sicut mortis initiũ per mulierem, idest per debeliorem sexum in mundum intraneraţ, ità nouæ vitæ, seù resurrectionis initium per mulierem, & sexum debiliorem nuntiaretur; & iu repræsentationem huius mysterij, non destinatur celebrans ad cantandum præconium, quo benedicitur cereus, & nuntiatur populo gloria Resurrectionis Christi, sed minister inferioris ordinis, videlicèt Diaconus, ita Rupert. de *diuin. offic. lib. 6. cap. 30.* & Durandus in *Rationali lib. 7. cap. 80. num. 3.*

Secunda ratio etiam mystica est: quia Christus post Resurrectionem commisit Apostolis prædicationem Euangelij, & præsertim mysterij suæ Resurrectionis, Diaconi autem, quibus ex munere competit legere Euangelium, prædicatores Euangelij designantur; Hinc celebrans, qui Christum repræsentat committit Diacono, vt cantet præconium, & gloriam Resurrectionis Christi annuntiet populo, ità Durandus *loco sup. citato*.

DVBITATIO II.

An cereus semèl benedictus in Sabbato Sancto huius anni, possit licitè iterum benedici anno sequenti.

SOlent Rectores nonnullarum Ecclesiarum, (vt parcant sumptibus) cereum magnum hoc anno benedictum in Sabbato Sancto, & pluriès accensum inter diuina officia, atque adeò ex parte consumptum, solent inquàm eundem reficere pro sequenti anno; addita solùm de nouo parte absumpta, & sic refectum iterùm benedicunt in sequenti Sabbato Sancto. Quæritur, an id licitè fiat.

Ratio dubitandi est; quia cereus semèl benedictus non perdit benedictionem ex eo, quod vigore luminis paulatìm absumatur, non inquàm perdit benedictionem quoad partes non consumptas, vt diximus sup. tit. 1. *sect. 6. dub. 1.* Nec etiam benedictionem amittit ex eo, quod posteà reficitur, addita solùm minori parte absumpta; quia potiùs maior pars, quæ remanet benedicta, trahit ad se minorem, & sic totus cereus, quamuis refectus remanet benedictus, ergò non potest iterùm benedici, quia cum habeat iàm esse sacrum, quod benedictione confertur, frustrà adhiberetur secunda benedictio, vt etiam suprà probauimus tit. 1. *sect. 6. citata dub. 2.*

In oppositum verò vrget praxis multarum Ecclesiarum, in quibus passim benedicitur idem cereus anni præteriti, modo explicato.

Respondeo, & dico primò. Si cereus anni præteriti consumptus fuerit quoad maiorem partem, ità vt pars illa, quæ de nouo additur, superet aliam partem, quæ remanserat, seù cui fit additio; tunc potest licitè cereus sic refectus, & renouatus iterùm benedici anno sequenti.

Probatur, quia per additionem maioris partis perditur prior benedictio; cum maior pars non benedicta trahat ad se minorem, atque adeò non benedicitur in hoc casu cereus benedictus, sed cereus carens benedictione, & absolutè cereus nouus qualis benedici debet, ex vi rubricarum Missalis, & ex vi formæ benedictionis, seu præconij; quæ supponit cereum debere esse nouum, & aliàs non benedictum; Vndè non militat in hoc casu ratio dubitandi suprà adducta.

Dico secundò, si cereus anni præteriti solùm reficiatur quoad minorem partem, non potest licitè iterùm benedici anno sequenti, & absque peccato veniali, vt manifestè conuincit ratio dubitandi suprà explicata, quia frustraretur suo effectu secunda benedictio contrà reuerentiam ei debitam. Quarè non est admittenda praxis adducta in hoc casu; sed potiùs corrigenda.

DVBITATIO III.

De vsu cerei benedicti à Sabbato Sancto vsque ad Ascensionem, Seù quandò cereus paschalis accendi debeat.

REspondeo, quod benedictione completa collocari debet cereus benedictus super candelabro à latere Euangelij constituto, vt ibi maneat à die Sabbati Sancti vsque ad diem Ascensionis Domini. Accenditur autèm in ipso die Sabbati Sancti, dùm benedicitur, & sic accensus manere debet vsque finem Missæ, & postea accenditur ad completorium. Quoad reliquum temporis paschalis, fertur à Sacr. Rit. Cong. fuisse decretum in hæc verba, *censuit S. C. regularitèr, cereum paschalem accendi posse ad Missam, & vesperas solemnes in triduo Paschatis, in Sabbato in Albis, & in Dominicis vsque ad Ascensionem. In alijs seruandam esse locorum consuetudinem, ità Sac. Cong. 9. Maij 1607.*

Vbi autèm nihil constans, vel firmum introductum fuerit; accendi conuenientèr poterit cereus prædictus iuxta ritum, quem præscribit Eruditissimus Castaldus *in praxi cærem. lib. 3. sect. 8. cap. 8. vbi sic ait num. 3. In die sancto Paschæ accenditur ad totum matutinum solemne, ac laudes; Itèm in Missa, atque ad vesperas, & completorium: Duobus verò sequentibus diebus, & diebus dominicis; ad Missam sole-*

solemnem, & vesperas. Accendi etiam debet paschalis cereus in festis solemnibus, siuè Domini, siuè Sanctorum. Non autem in luctuosis, quandò violacea adhibentur paramenta, vt in Rogationibus: nec eum pro defunctis celebratur: Tandem in die Ascensionis accenditur ad primas vesperas, ad laudes, & ad Missam vsque ad Euangelium, quo dicto statim extinguitur: nec ampliùs accenditur vsque ad Sabbatum Pentecostes in benedictione fonti: post Missam verò amouetur; hactenus Castaldus. Addunt alij si dicatur Missa parochialis non solemnis, ad eam die dominico accendi potest.

SECTIO VII.

De Benedictione Fontis Baptismalis in Sabbato Sancto.

PRÆLVDIVM I.

De origine, & causis Benedictionis Fontis Baptismalis.

REspondeo, & dico primò: Ritus consecrandi, & sanctificandi aquam baptismalem est antiquissimus, ori inem ducens ex traditione Apostolorum; quippè de eo fit mẽtio à S.Dionysio Areopagita *in Eccles. Hierarchia cap. 2.* & ab alijs SS. PP. communitèr; vt videre est apud Stephanum Durantum *de ritib. Eccles. lib. I. cap. 19.* & apud Marsilium Columnam *in Hydragiologia sect. 2. cap. 2.* Quamuis enim initio nascentis Ecclesiæ baptizarentur credentes communi aqua, in fluuijs, & fontibus, vel in via, vel in domibus, & carceribus, prout necessitas exigebat; sicuti constat *Actor. 8. & Actor. 16.* & tradit Vualfridus Strabo *lib. de rebus Eccles. cap. 26.* crescente verò cultu Religionis; creuit etiam gradatim huius mystici lauacri in maius celebratio; vt ait idem Strabo; & ex traditione Apostolorum cœpit consecrari fons baptismalis, vt cum maiori veneratione, & pompa indè administraretur Sacramentum baptismi, ità SS. Ciprianus, Basilius, Ambrosius, August. & alij, quorum sententia, ad verbum, refert Marsilius Columna supra.

Dico secundò. Huius benedictionis materia, est aqua elementaris instituta à Christo pro materia remota baptismi. Causa formalis consistit in precibus, & ritibus, quibus fit benedictio, prout in Missali Romano. Minister est Parochus, vel de eius licentia quilibet Sacerdos. Tandèm causa finalis est veneratio debita Sacramento baptismi, videlicèt, vt tantum Sacramentum cum decore tractetur, & in maiori æstimatione sit apud fideles. Itèm; vt ex his ritibus, quibus consecratur fons baptismalis, ijdem fideles apprehendant sacra mysteria institutionis eiusdem Sacramenti, de quibus mox dicemus *in sequenti prælud.*

PRÆLVDIVM II.

De Mysterijs, & Documentis eiusdem benedictionis, & aquæ ad baptismum consecratæ.

AD euidentiam. Præmitendum: Aquam elementarem fuisse à Christo Domino institutam pro materia Sacramenti baptismatis, sicuti definitur in Trid. *sess. 7. can. 2.* Rationem explicat D. Thomas *3. p. q. 66. ar. 3.* quia per sensibile signum ablutionis externæ circa corpus humanum, aptè significatur ablutio, & purificatio interna animæ a peccatis. In cuius figuram inter ipsa mundi primordia spiritus Domini ferebatur super aquas; vt iam tunc virtutem sanctificationis aquarum natura conciperet. Itèm aquarum diluuio mundum purgans, regenerationis speciem Deus præsignauit; finem scilicèt vitijs, & virtuti originem; sicuti huius benedictionis verbis declarat Ecclesia. Quamuis autem benedictio, seù consecratio aquæ non sit de necessitate Sacramenti: pertinet tamen ad decorem, & maiorem venerationem eiusdem Sacramenti; vt docet D. Thomas *loc. cit.* Atque ipsis ritibus, quibus fit consecratio, magna declarantur mysteria: quæ in eodem baptismi Sacramento continentur, sicuti tradunt interpretes sacrorum rituum. Albinus Flaccus *de diuinis offic. cap. de Sabbato Sancto Paschæ.* Amalarius Fortunatus *lib. 1. de Eccles. offic. cap. 25.* Honorius *in Gemma lib. 3. cap. 3.* Durandus *in Rationali lib. 6. cap. 82.* & alij, ex quibus selectiora breuitèr hic adnotabimus.

Primò Sacerdos benedicens fontem baptismalem sua manu tangit aquam eiusdem fontis, intetim dicens, fit hæc sancta, & innocens creatura; libera ab omni impugnatoris incursu, quo ritu significatur assistentia Spiritus Sancti, qua territi spiritus maligni abscedunt, & aquæ natura vim sanctificationis concipit; siquidem per impositionem manus conferebant Apostoli virtutem Spiritus Sancti, ità Durandus cum alijs Auctoribus sup. cit.

Secundò. Idem Sacerdos, minister benedictionis pluriès format signum crucis suprà fontem, quem benedicit; vt indicet omnem virtutem baptismi ex passione, & cruce Christi manare. Auctores cit.

Tertiò effundit aquam versus quatuor mundi partes; quo ritu inuitantur ad baptismum omnes nationes totius mundi; ad differentiam circumcisionis, quæ pro solis Iudæis fuerat instituta; ijdem Auctores sup. cit.

Quartò immergitur cereus in aquam, vt significetur per corpus Christi, quod in cereo repræsenta-

sentatur, aquam fuisse sanctificatam, & vim regenerationis accepisse; quando Ipse Christus in suo baptismo descendit in aquam Iordanis: DD. citati.

Quintò minister benedictionis ter insufflat in aquam, quo ritu iterùm significatur virtus Spiritus Sancti regenerantis homines per baptismum; siquidèm Christus insufflauit, & dixit accipite Spiritum Sanctum; idcircò autèm ter insufflat; quià Spiritus Sanctus tria in baptismo operatur; primò enim purgat a vitijs, & peccatis; secundò virtutibus ornat; tertiò perseuerantes coronat. Durand.sup.cum alijs.

Tandèm fit admixtio olei, & chrismatis cum aqua, quià in baptismo fideles populi, significati per aquam vniuntur, & incorporantur Christo per chrisma, & oleum figurato, Durandus ibidem.

PRÆLVDIVM III.

De virtute, & effectibus eiusdem benedictionis, & aquæ per benedictionem sanctificatæ.

RESpondeo, & dico primò. Aqua elementaris quatenùs est materia Sacramenti, & ad baptismum concurrit, quandò ea abluitur baptizandus (adhibita vera forma baptismi) sub hac inquam ratione mirabiles habet effectus; siquidèm diuina virtute eleuatur ad causandam gratiam spiritualis regenerationis, qua omnis culpa deletur, & simùl remittitur tota pœna: aperit ianuam Regni Cœlestis, & imprimit characterem; de quibus effectibus fusè agunt DD. in tractatu de Sacramento baptismi. Quamuis autèm quælibet aqua naturalis ad baptismum concurrens, causet prædictos effectus independentèr a benedictione, de qua loquimur, seù etiam si priùs, prædictis ritibus benedicta non fuerit; nihilominùs quandò præcedit benedictio ex vi benedictionis, expressiùs significantur ijdem effectus.

Dico secundò. Aqua fontis baptismalis per benedictionem sanctificata, quatenùs adhibetur ad alios pios vsus extrà baptismum, vim habet operandi eosdem effectus, ad quos adhiberi solet aqua lustralis, quæ vulgò dicitur aqua sancta, & eos infrà explicabimus tit.3.sect.1. Vbi aduertendum. Antequàm in aquam baptismale infundatur oleũ; & chrisma; a Ministro fieri aspersionem de ipsa aqua super populum; eamque distribui fidelibus, vt in suis domibus referuent, & se de ea aspergant, vt fit de aqua lustrali, atque ità in Missali præscribitur.

Probatur, quià ex vi precum, & rituum, quibus antè infusionem prædictam olei, & chrismatis sanctificatur hæc aqua fontis baptismalis, maiorem acquirit ipsa virtutem, & efficaciam, quàm aqua lustralis: quià sacratiori ritu benedicitur, & benedictio extenditur etiam ad effectus aquæ lustralis.

DOCTRINA MORALIS,

Et dubia conscientiæ de eadem benedictione, & de aqua ad baptismum consecrata.

DVBITATIO I.

An aqua benedicta fontis baptismalis debeat ex præcepto adhiberi in collatione baptismi.

Et quale peccatum sit, vti ad baptismum aqua non benedicta.

RESpondeo extrà casum necessitatis, teneri Parochos, & alios Sacerdotes vti ex præcepto ad baptismum aqua benedicta fontis baptismalis, quæ solemni ritu in hunc finem ab Ecclesia consecratur.

Probatur tùm ex Clementina vnica de baptismo. Tùm ex Concilio Trid. *sess.7. can.13.* vbi definitur teneri ministros in solemni Sacramentorum administratione seruare ritus adhiberi consuetos in Ecclesia: neque absque peccato eos omitti posse, sed in solemni administratione baptismi adhiberi solet aqua benedicta extrà casum necessitatis, ergò &c.

Difficultas consistit in eo, an peccaret mortalitèr, vel solùm venialitèr, qui extrà casum necessitatis adhiberet ad baptizandum aquam non benedictam?

Prima sententia sustinet, id non excedere culpam venialem.

Probatur, quià benedictio fontis baptismalis, neque pertinet ad essentiam, neque ad integritatem Sacramenti, sed ad quandam decentiam; ergò eius omissio, seù adhibere communem aquam omissa benedicta, non importat grauem, sed leuem culpam in ordine ad collationem baptismi, ità Quintanaduennas in *Theol.morali tom.1.tract.1.sing.22.* & Granad. *de bapt. contr.4. tract.2.disp.1. nu.5.*

Opposita tamen sententia communis, & longè probabilior docet, id forè peccatum mortale. Quia hic ritus adhibendi ad baptismum aquam solem-

nitèr

nitèr benedictam, est valdè grauis, continens mysteria sacratissima, & maximi momenti; ergò eius omissio grauis culpa censeri debet, quia opponitur præcepto explicato in materia graui, ità Suar. Nugn. Bonacina, Præpositus, Castro Palao, & alij, quos affert, & sequitur Diana *p.9. tract.6. res.33.*

Ad fundamentum oppositæ sententiæ, respondetur, in administratione Sacramentorum teneri ministros nedùm seruare ea, quæ pertinent ad eorum essentiam, & integritatem ex iure diuino naturali, sed etiam ex præcepto Ecclesiæ teneri seruare ritus ab ea præscriptos; quarè omissio rituum grauium, & magni momenti, est peccatum mortale, vt in casu nostro; omissio verò leuiorum rituum, est peccatum veniale, ratione paruitatis materiæ, vt in simili probauimus *de ritibus Missæ in comment. ad rub. Missalis quæst. proœm. sect. 2. punc. 2.*

DVBITATIO II.

An benedictio fontis baptismalis conuenientèr fiat in Sabbato Sancto.

Respondeo affirmatiuè, vt constat ex vsu Ecclesiæ. Ad cuius declarationem aduertendum est, antiquitùs fuisse statutum, vt solùm in Sabbato Sancto Paschæ, & Pentecostes celebraretur baptismus, præmissa solemni benedictione aquæ ad maiorem Sacramenti venerationem, vt patet ex multis Decretis Conciliorum, quæ leguntur apud Gratianum *de consecrat. dist. 4.* Decursu verò temporis, crescente multitudine credentium passim concessa fuit indulgentia baptizandi quolibis tempore, ad vitanda pericula decedentium sine baptismo; retenta tamen consuetudine antiqua consecrandi fontem baptismalem in Sabbato Sancto. Ratio verò huius institutionis assignatur a SS.PP. & ex illis a D. Thoma *3. p. q. 66. art.* 10. quià videlicèt baptismus habet efficaciam ex passione, & Resurrectione Christi, ad cuius instar per baptismum resurgimus ex morte ad vitam spiritualem: & hac ratione illo die celebratur baptismus, quo passio, & Resurrectio Christi consummata fuit. Additur etiam dies Pentecostes ob diffusam gratiam Spiritus Sancti, qua per baptismum regeneramur, D. Thom. sup.

DVBITATIO III.

Vtrùm deficiente aqua fontis baptismalis possit, & debeat quouis tempore consecrari aqua ad vsum baptismi.

Respondeo, & posse, & deberi nouam aquam consecrari extrà dies prædictos Sabbati Sancti Paschæ, & Sabbati Pentecostes: Ratio est, quià ex intentione Ecclesiæ ob mysteria suprà explicata semper in baptismo solemni adhibenda est aqua benedicta, & solemni ritu consecrata; ergò variari potiùs debet circumstantia temporis pro benedictione assignati, quam ipsa benedictio omitti; nè vnquam celebrari contingat, & conferri baptismum aqua non benedicta, ità Io. Præpos. *in 3. p. D. Th. q. 71. art. 4. dub. 1.* quem affert, & sequitur Diana *p. 9. tract. 6. res. 33.*

DVBITATIO IV.

Quæ, & qualis aqua sit materia sufficiens baptismi, quandò in casu necessitatis conferri non potest de aqua fontis consecrati.

Respondeo, & dico primò. Aqua naturalis simplicitèr dicta, seù aqua elementaris est materia certa Sacramenti baptismatis, de qua validè confertur hoc Sacramentum, ità vt nulla conditione opus sit. Huiusmodi est aqua maris, fluminis, fontis, putei, pluuiæ, balnei, &c. Itèm aqua fluens ex niue, vel glacie, seù gelu, & etiam ex sale liquefacto, quià sal condensatur ex aqua maris, à qua solùm differt accidentalitèr, & similitèr aqua, quæ hyeme ex lapidibus, & parietibus manat; quælibet enim ex dictis, communi iudicio est aqua elementaris, seù naturalis, ità DD. communitèr in *tract. de baptismo*, cum D. Thoma *3. p. q. 66.* vide Dianam *3. p. tract. 4. resol. 5.*

Dico secundò, Aqua naturalis non simplex, sed alterata, & mixta cum liquore, vel re alia diuersæ speciei, est materia dubia, qua nonnisi in casu necessitatis potest conferri baptismus, & tunc non absolutè, sed sub conditione conferri debet. Huiusmodi est ius carnium, vulgò brodo, & lixiuium, vel etiam mixtum ex aqua, & vino, quià licèt in mixtis prædictis sit aqua naturalis; moralitèr tamen loquendo nullum eorum est simplicitèr aqua, neque absolutè aptum ad abluendum, quod videtur requiri ad valorem Sacramenti: itaque sunt materia dubia ex communi sententia DD. in *tract. de bapt.* vide Dianam *p. 5. tract. 3. res. 1. & seq.*

Dico tertiò. Aqua artificialis, quæ æquiuocè

dicitur

dicitur aqua; & specie differt ab aqua naturali, seu elementari, non est materia sufficiens baptismi, atque adeò, neque sub conditione potest ex ea conferri hoc Sacramentum. Huiusmodi est aqua rosacea, & quæuis alia distillata ex floribus, vel ex herbis, & frondibus. Itèm aqua profluens à vite, lacrimæ, sudor, & quilibet alius liquor ab aqua elementari specie differens; quia vt suprà dicebamus, sola aqua elementaris ex Trid. est sufficiens materia baptismi, ità DD. communitèr. Quamuis non desunt Auctores defendentes in extrema necessitate; quandò non potest certior materia haberi, licitum esse baptizare moribundum, aqua rosacea, vel simili liquore ex prædictis, sub conditione tamen, vt suprà dicebamus conclusione secunda de materia dubia. Quià cum plures Philosophi probabilitèr defendant, in mixtis conseruari elementa formalitèr; probabile etiam videtur, per elabiccum, vel simili etiam artificio extrahi ab illis veram aquam, licèt admixtam secundis qualitatibus; atque adeò eam esse materiam dubiam Sacramenti baptismi; vide Dianam p. 5. *tract. 3. ref. 2.* vbi affert DD. in fauorem huius sententiæ.

DVBITATIO V.

An aqua fontis baptismalis possit licitè adhiberi ad alios vsus extrà baptismum.

RESpondeo, & dico primò. De aqua benedicta, seu consecrata fontis baptismalis, antequàm in eam infundatur oleum sanctum, & chrisma, licitè, & laudabilitèr spargi super populum, & ex ea posse fideles accipere, eandemque asseruare in suis domibus ad aspergendum super se, &c. eo modo, quo fit de aqua lustrali; vt constat ex rubricis Missalis, quià operatur eosdem effectus; qui tribuuntur aquæ lustrali, vt suprà dicebamus prælud. 3.

Dico secundò. Post infusionem olei sancti, & chrismatis, aqua fontis consecrati, non potest adhiberi ad alios vsus: neque distribui fidelibus, quià id prohibitum censetur ab Ecclesia ex rubricis citatis.

SECTIO VIII.

De Benedictione Agnorum Dei infrà hebdomadam Paschæ.

IVxta ordinem temporis, quem hactenùs seruauimus; post benedictiones, quæ fiunt in Sabbato Sancto; sequitur, vt disseramus de benedictione Agnorum, quæ fit intra hebdomadam Paschæ, seu de benedictione cereorum præferentium imaginem Christi sub figura agni Dei, qui idcircò agni Dei appellantur.

De hac solemni benedictione sic habetur in *caremoniali Papæ lib. 1. cap. 8.* Agni Dei soliti sunt benedici a Summo Pontifice primo anno sui pontificatus; & deindè septimo quoque anno dum viuit. Antiquitùs ceram mollificabant oleo sancto, & oleo chrismatis; deinde Agni Dei benedicebantur per Papam; hodie verò cera sumitur, vel ex cereo benedicto in Sabbato Sancto anni præteriti; vel aliunde expensis Papæ, non fit mixtio chrismatis cum cera in ipsa confectione Agnorum; sed puri formantur. Deinde a Pontifice primò benedicitur aqua, in quam agni prædicti immergi debent, & in ipsam aquam infundantur balsamum, & sanctum Chrisma &c. Addit Castald. *in prax. carem. lib. 3. sect. 9. c. 3.* modo absoletam esse consuetudinem conficiendi agnos ex cereo benedicto, sed ex purissima cera per sacristam formari, benedicendos deinde a Summo Pontifice. De hac ergò benedictione differendum nobis est more solito, vt infrà.

PRÆLVDIVM I.

De origine, & causis benedictionis Agnorum Dei.

RESpondeo, & dico primò. Hic ritus benedicendi agnos cereos, est antiquissimus, de quo meminit Alcuinus *de diuinis offic. tit. de Sabbato Sancto*, Amalarius Fortunatus *de ecclef. offic. lib. 1. cap. 17.* & Duraud. *in Ration. lib. 6. cap. 79.* qui asserunt B. Gregorium instituisse, vt cum infusione chrismatis benedicerentur; quare ipsa benedictio antiquior est D. Gregorio, qui solùm addidit infusionem chrismatis, quandò paschalis Agni mysteria referauit, ità Amalarius, & Durandus vbi suprà. Addo hunc ritum benedicendi cereos agnos esse coæuum ritui benedicendi cereum magnum in Sabbato Sancto, quià olim, vt suprà dicebamus, conficiebantur huiusmodi agni ex cereo benedicto: & fidelibus distribuebantur ad conseruandam

dam memoriam Resurrectionis Christi;& eiusdem victoriæ contra mortem, & diabolum iuxtà monitum Apostoli 1. *ad Thim.* 2. *Memor esto, Dominum Iesum Christum resurrexisse à mortuis*, *&c.* vndè hi ritus connexionem habent ad inuicem, & parem originem; quod indicat Amalarius suprà, & fusè probat Bonardus *de origine Agnorum Dei*.

Dico secundò quoad causas eiusdem benedictionis. Materia, cui applicatur benedictio, sunt cerei, quibus ex vna parte est impressa imago Agni, cum vexillo crucis, & altera verò imago B. Virginis, &c.Causa formalis consistit in orationibus, & alijs ritibus, quibus fit benedictio, prout in cæremoniali Papæ sup.cit. vbi additur, finita benedictione, reponi agnos in suis capsis; & deindè in Sabbato in albis post agnus Dei in Missa, distribui, &c.Causa efficiens, seu minister huius benedictionis est Summus Pontifex; adiuuantibus Cardinalibus, & Prælatis; in quo hæc benedictio supereminet alijs. Tandèm causa finalis est repræsentatio mortis,&Resurrectionis Christi;qui verus est agnus pro nobis immolatus,&mortem nostram moriendo destruxit,&vitam resurgendo reparauit, Itèm vtilitas fidelium piè vtentium eisdem agnis, benedictione consecratis,vt infrà explicabimus.

PRÆLVDIVM II.

De Mysterijs, & documentis eiusdem benedictionis, & sacrorum Agnorum Dei.

PRimò, & principalitèr his agnis consecratis, exprimitur Christus verus Dei Agnus, qui tollit peccata mundi; cera enim significat eius humanitatem, vel diuinitatem, sicut B.Gregorius dicit, mel in cera, diuinitas in humanitate: exprimitur autèm sub figura Agni; quoniam Agnus est innocentiæ, & mansuetudinis typus; itèm patientiæ, & humilitatis; quibus virtutibus mirificè Christus enituit, discite a me, quià mitis sum, & humilis corde. Præcipuè verò in agno repræsentatur Christus tanquàm victima sacrificij crucis,in qua pro nobis immolatus fuit, vt tolleret peccata mundi, cui additur vexillum triumphi, ob mysterium Resurrectionis. Hinc frequentissimè in sacris literis Christus exprimitur sub figura, & nomine agni, siquidèm (omissis locis veteris testamenti) in testamento nouo Io. Baptista testimonium præbens de Christo; *ecce* inquit *Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Et alter Ioannes *in Apocalyps.* vigeties septies eum nominat Agnum. Hinc vetus mos fuit in Ecclesia passim depingendi Christum sub specie agni; & causam reddit sexta Synodus habita in *Trullo can.* 82. vt, inquit, per Agnum, Verbi Dei humiliationem mente comprehendentes, ad memoriam quoque eius in carne conuersationis, & mortis ducamur; eiusque, quæ ex eo facta est mundi redemptionis, vide Durand.in *Ration.lib.6.cap.79.*

Secundò fit benedictio Agnorum infrà hebdomadam Paschæ, & in octaua paschæ distribuuntur; quia tunc Christus postquàm resurrexerat; se manifestauit Apostolis, & gaudium cum pace illis annuntiauit: Itèm propter nouiter baptizatos, vt quandò vestem candidam in baptismo acceptam deponebant in Dominica in Albis, eius loco acciperent agnum cereum, quo monebantur se per baptismum Christum induisse, & factos fuisse agnos de lupis; vndè etiam Agnorum benedictio per immersionem in aquam, & quadam baptismi specie perficitur; vt aduerterent baptizati se in Christo, & cum Christo baptizatos fuisse, & eius innocentiam adeptos; quarè dum fit Agnorum distributio, cantarut responsorium illud: *Isti sunt Agni nouelli, &c.modò venerunt ad fontes, repleti sunt claritate*, ita Durandus vbi suprà, & Ioseph Vicecomes *in obseruat.ecclesiast.*

Tertiò. Hæc Agnorum benedictio, & distributio specialitèr pertinet adSummum Pontificem, & Romanum Episcopum, a quo primò dantur Cardinalibus; deinde alijs Prælatis per ordinem, & tandèm alijs inferioribus, &c. insuper per totum orbem mittuntur ad Imperatorem, & Reges, aliosque fideles, quo ritu significatur suprema iurisdictio Romani Pontificis in omnes; quoquot enim in grege Christi numerantur, etiam Imperatores, & Reges, illi subduntur, & ab eo dona gratiarum, & benedictionum accipiunt Bonartius vbi suprà.

Quartò eadem benedictio fit a Pontifice, septimo quoque anno propter agnum descriptum in *Apoc.cap.* 5. *habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei*. Itèm quià *solus Agnus dignus inuentus est aperire librum, & soluere septem signacula eius*, videlicèt Christus Dominus; vnde in his cereis formatur agnus super librum; quo denotatur Euangelium; septem verò oculi,& septem signacula, designant septem dona Spiritus Sancti, quibus Christus repletus fuit, vel septem Sacramenta, quæ ipse Christus instituit, vel septem gradus Sacramenti ordinis;vel plenitudinem mysteriorum sacræ scripturæ; sicuti explicant SS. Patres, quos affert Cornelius a Lapide *in Apoc.* Bonart. vbi sup. qui plura addit, quæ breuitatis causa omittimus.

PRÆLVDIVM III.

De virtute, & effectibus eiusdem benedictionis, & Agnorum Dei.

REspondeo, quod sicut hæc benedictio excellit in ritu, qui sacratior est multis alijs, adhiberi solitis in hoc genere Sacramentalium; & similitèr in ministro, quià vt diximus fit a Summo Pontifice, ità excellit in virtute, & in fructibus, quos operatur,de quibus mira narrantur in histor. ecclesiast.nos hic præcipuos enumerabimus.

Primò Agni Dei consecrati valent contra maleficia, & fascinationes,& similes nocendi artes, diabo-

bolica fraude inuentas, quocircà sic ait Baronius *anno Christi 58. pag. 520.* cum gentiles suis infantibus bullas ad auuertẽdas fascinationes suisinfantibus,re turpicula cõsignatas;vel alitèr superstitionibus auctas, ad collum appenderent, vt docet Varro; placuit Ecclesiæ (superstitione in Religionem mutata) ex huiusmodi sacris ceris bullas conſici, quas Agni Christi imagine insigniti, geniti in Christo gestarent,&c.

Secundo valent ad extingendum incendium, ipsis flammis reuerentèr iniecti; quod insigni miraculo comprobat idem Baronius vbi supra;& pari modo conferunt ad tempestates sedandas, iniecti in aquas, & vndas, sicuti testantur miracula, quæ legi possunt in vita Pij V.& in vita B.P. nostri Caetani, & alibi.

Tertiò mirabiliter defendunt à fulminibus, à grandine,& procellis.

Quartò, applicati parturientibus, eas præseruant à periculis, & ad felicem partum perducunt.

Quintò liberant à repentina morte, & ab insidijs dæmonum.Et alios mirabiles effectus operantur, qui sequentibus versibus exprimuntur; de quibus sic scribitur *in cæremoniali Papæ sup. cit.* Legimus Vrbanum V.Pontificem maximum, misisse ad Imperatorem Græcorum tres Agnos Dei cum versibus infrascriptis.

Balsamus, & munda cera, cum chrismatis vnda
Conficiunt Agnum: quod munus dò tibi magnum
Fonte velut natum, per mystica sanctificatum
Fulgura desursum depellit;& omne malignum
Peccatum frangit; vt Christi sanguis, & angit
Pragnans seruatur: simul,& partus liberatur
Munera fert dignis: virtutem destruit ignis.
Portatus mundè: de fluctibus eripit vnda
Morte repentina seruat, Sathanæque ruina
Si quis honoret eum: retinet super hoste tropheum
Parsq; minor tantum,tota valet integra quantum
Agnus Dei miserere mei, &c.

Quos versus etiàm referunt Stephanus Quaranta *in summa Bullarij verbo Agnus Dei*, & Bonardus sup.citatus *de origine Agnorum Dei*, & alij,& ijdem versus in vulgarem linguam translati; atque in typographia Cameræ Apostolicæ impressi, passim circumferuntur.

DOCTRINA MORALIS.

Et dubia conscientiæ de eadem benedictione, & de veneratione debita Sacris Dei Agnis.

DVBITATIO I.

Qualitèr cerei, Agni Dei appellati, baptizari dicantur.

CVM hæc Agnorum benedictio fiat per immersionem in aquam, prius in hunc finem consecratam; vulgo ipsi agni cerei baptizari dicuntur; sicut etiam campanæ, quæ in benedictione lauantur aqua benedicta, vulgo dicuntur baptizatæ. Quærimus ergò in quo sensu verificetur locutio huiusmodi.

Respondeo, & dico primò. Cerei prædicti, seu Agni Dei non dicuntur baptizati propriè; nec verò Sacramento baptismi (hoc enim esset aperta hæresis.)

Probatur, quià subiectum capax baptismi nouæ legis Sacramenti, est solus homo viator capax gratiæ, & gloriæ supernaturalis; quæ propositio est de fide *ex cap. vlt. Matth. docete omnes gentes baptizantes eos*, &c. ergò nulla creatura inferior homine, siuè insensibilis, siuè expers rationis, potest esse capax baptismi; consequentèr neque agni cerei, nec campanæ,nec vlla alia creatura, speciè diuersa ab homine, potest dici verè baptizata in hoc sensu, aut vllo modo capax Sacramenti baptismi. Nec vlla benedictio alijs creaturis ab homine diuersis applicata, continent formam essentialem Sacramenti baptismi.

Dico secundò. Cerei huiusmodi, seu Agni dicuntur baptizari impropriè, & per quandam assimilationem ad lauacrum baptismi, quia baptizari,græcè idem est, ac latine ablui,seu lauari,& immergi in aquam; cum ergo cerei prædicti benedicantur per immersionem in aquam benedictam, in hoc sensu dicuntur baptizari,non per susceptionem

nem

nem Sacramenti, sed per cæremoniam sacramentalem ab Ecclesia institutam; atque idem dicendum de campanis. Cur autèm Ecclesia hac cæremonia vtatur in benedictione Agnorum Dei? Duplex ratio assignari potest: primò enim, si Agni Dei referantur ad Christum, quem principalitèr repræsentant, ex dictis sup. præl. 2. hæc cæremonia immersionis in aquam, à qua postea educuntur; significat mysterium passionis, & Resurrectionis Christi, qui primò in passione immersus in torrentem dolorum, & in mortem demersus; indè postea per Resurrectionem rediuiuus, & gloriosus emersit, iuxtà illud *psal. 109. de torrente in via bibet; propterea exaltabit caput*. Secundò si ijdem Agni referantur ad nouitèr baptizatos; hae cæremonia, datur illis intelligi se per lauacrum baptismi sanctificatos, & effectos agnos de lupis, vt sup. dicebamus *eod. præl ud.*

DVBITATIO II.

Qualitèr à fidelibus deferri, vel custodiri debeant Agni Dei benedicti.

Respondeo. Cum Agni Dei solemni ritu à Christi Vicario benedicantur, & sacri efficiantur; digni sunt veneratione rebus sacris debita; & eo maiori, quo sacratioribus ritibus consecrantur. Quare magna reuerentia, vel deferri debent ad collum appensi, vel domi custodiri, in oratorij, vel ad caput lecti, inclusis thecis argenteis, vel aliàs decenter ornati: vt constat ex piorum vsu: E contrà verò indigna eorundem tractatio, vel neglectus non caret culpa; quæ communitèr venialis est secluso scandalo, vel contemptu, iuxtà dicta *tit. 1. sect. 7. dub. 4.* Vt autèm decentiùs, & cum maiori fructu tractentur, vel ferantur, notanda sunt verba Cardinalis Baronij *anno Christi 58.* vbi sic ait. *Cordis item imaginem in bullis suis Gentiles ferre consueuerant, quo (vt ait Macrobius) sic noscerent se esse homines, si corde præstarent. Christiani verò bullas ex sacris ceris confectas deferunt, vt ex Agni Christi imagine, discant eius exemplo, esse mites, & humiles corde.*

DVBITATIO III.

An Agni Dei consecrati possint ab omnibus tangi, & attrectari.

Respondeo Negatiuè, videlicèt non posse licite attrectari, nisi a sacris ministris, seù insignitis aliquo sacro ordine, saltèm subdiaconatu, quarè tangi non possunt, neque a clericis minorum ordinum, & multò minus à laicis, & fœminis, absque veniali peccato; nisi causa rationabilis excuset.

Probatur, nàm ea, quæ sacro chrismate sunt delibutæ prohibentur ab alijs tangi, quam à sacris ministris, ex cap. sacratas dist. 23. sed agni cerei, de quibus loquimur sacro chrismate sunt delibuti, ergò &c. ita multis citatis probauimus *in comment. ad Rubr. Missalis p. 2. tit. 1. sect. 2. dub. 5.* & in particulari de his Dei Agnis, docent Azorius *tom. 1. lib. 9. cap. 9. quæst. 3.* noster Megalius *Promp. verb. Agnus Dei*, & Bonacina *in 1. Decalogi præceptum disp. 3. quæst. 1. punct. 4. num. 13.* Quamuis Sanch. cum alijs ibidem a nobis citatis simplicitèr excuset, etiam laicos, & fœminas eos tangentes; quia frequens vsus id concessit, quod non est improbabile; sed id, quod diximus probabilius est, & magis iuri conforme.

DVBITATIO IV.

Qualitèr sit prohibitum Agnos cereos à Papa consecratos, minio, vel colore inficere, vel notare, &c.

Respondeo, id esse prohibitum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, vt patet ex Constitutione Greg. XIII. quæ incipit, omni certè studio, &c. consequentèr, si quis mala fide seù conscius huius constitutionis, prædictos agnos colore inficeret &c. grauitèr peccaret contrà præceptum Summi Pontificis, & in excommunicationem incideret. Causa verò huius prohibitionis assignatur in eadem constitutione, his verbis: Verum eos, idest agnos benedictos, albos, & mundos Agnum illum purum, & innocentem repræsentantes, qui occisus, prætiosissimo sanguine suo nos redemit; decentèr, ac reuerentèr à cunctis haberi, deferri, & custodiri præcipimus, vide Bonacinam in *primum Decalogi præceptum disp. 3. q. 1. punc. 4. num. 12.* qui addit non videri prohibitum, eos iam pictos, vel minio notatos retinere.

DVBITATIO V.

An Agni Dei benedicti, seù consecrati, vendi, vel emi possint.

Respondeo negatiuè, vt constat ex eadem Constitutione Gregor. XIII. dub. præcedenti allegata, vbi excommunicantur, qui Agnos Dei, per Romanum Pontificem benedictos, venales proponere, seu tenere quouis prætextu audent; quarè eos vendentes, aut venales proponere audentes, graue sacrilegium, & symoniam committunt, & in excommunicationem incurrunt; quæ tamen reseruata non est. Hoc autèm intelligitur, si à vendente aliquid exigatur ratione benedictionis, & suprà valorem materiæ: Cæterum si sola materia venderetur, aut labor in illis conficiendis; vt contingit in alijs rebus sacris, nullum peccatum committeretur, ità Sanchez *sum lib. 2. cap. 43. nu. 29.*

Azor. & Megalis suprà *dub.*3.allegati, & Bonacina in *primum Decalogi præceptum disp.*3. *q.*1. *punct.* 4.*num.*12.

DVBITATIO VI.

An sit licitum Agnos cereos prædictos igne cremare ad suffumigandum in domibus, vel in agris; &c.

RESpondeo, si id fiat cum debita reuerentia (sicut fit de incenso benedicto) vt eorum virtute adiuuemur contrà infestationes Diaboli; licitum omninò esse, videlicèt, ad depellendas tempestates, grandines, fulmina, & alias diabolicas incursiones; quod fieri potest, siuè integrum Agnum adolendo, siuè partem, sicut olim fiebat de partibus cerei magni benedicti in Sabbato Sancto; vt suo loco diximus, & sicut suprà dicebamus prælud. 3. licitum esse, ipsos Agnos Dei, vel partem illorum in vndas, aut in flammas inijcere ad extinguendum incendium, & tempestates sedandas, ita pariter in casu nostro. Ratio est; quia id non fit in contemptum rei sacræ; sed in honorem Dei; & ad manifestandam eius potentiam, quæ relucet in rebus sacris, atque ità docent Auctores præcedenti dubio citati in fine, & decretum fuit in Concilio Prouinciali Mediolanensi sub D. Carolo Boromeo, vt testatur Azor. supra-

DVBITATIO VII.

An qui gestans Agnum Dei benedictum, fornicatur, committat sacrilegium: & quid si illum det amasiæ in pretium turpitudinis.

REspondeo, & dico primò. Delatio, vel retentio Agni benedicti in actu fornicationis non addit peccato nouam malitiam necessariò explicandam in confessione, quamuis sit quædam irreuerentia leuis, seu venialis. Ratio est quia per accidens, & concomitantèr se habet ad actum illum turpem; nec est specialitèr prohibita; & eadem est ratio de fornicante cum reliquijs collo appensis, ita alijs Citatis Diana *p.*1.*tract.*7. *ref.*18 & *p.*3.*tract.* 4.*ref.*67.& cum alijs Bonacina *in* 1. *Decalogi præ.ep.disp.*3.*q.*1.*punct.*4.*num.*8.

Dico secundò. Si Agnus cereus benedictus donetur amasiæ gratis, & ex beneuolentia; non committitur peccatum graue, ex hoc præciso capite contra reuerentiam debitam rebus sacris, sed venialis irreuerentia. Si autèm detur in pretium, videtur graue sacrilegium ad symoniam pertinens; præsertim si detur, vt pluris valens ratione benedictionis, Diana *citata ref.* 18. cum alijs, quos citat.

SECTIO IX.

De benedictione Candelarum in die Purificationis B. M. V.

EXplicatis benedictionibus, quæ in Missali habentur in proprio de tempore, cum alijs, quæ ex cœremoniali Papæ ad proprium de tempore pertinent; sequitur, vt dicamus de illis, quæ in eodem Missali præscribuntur in proprio de Sanctis; in quo hæc tantùm benedictio assignatur facienda in festo Purificationis Sanctissimæ Dei Genitricis.

PRÆLVDIVM I.

De origine, & causis benedictionis Candelarum in Festo Purificationis.

REspondeo, & dico primo. Ritus benedicendi candelas, & subsequentis processionis cum candelis accensis in festo Purificationis B. V. Antiquus, est valdè celebris; cuius institutio tribuitur Sergio Papæ in ordine Romano, & à Durando in *Rationali lib.*7.*cap.*7. sed antè Sergium Summum Pontificem, eiusdem ritus origo a Baronio in martyrologio refertur ad S. Eligium Episcopum, qui obijt circà annum 665.& Sergium præcessit, iuxtà Sigibertum in Chronico. De eadem etiam benedictione extat sermo Venerabilis Bedæ de tempore. Cæterum conciliari possunt opiniones; vt prius hic ritus introductus fuerit a S. Eligio in sua Diœcesi, vel Prouincia: Deindè a Sergio Papa decretum fuerit, vt seruaretur in tota Ecclesia secunda die Februarij. Causam verò huius institutionis explicat Durandus, vbi supra videlicèt, vt honos, qui prophanis gentilium solemnitatibus olim tribui solitus erat: B. Virginis puritati haberetur. Sic enim Ecclesia paulatim lustrando mores gentilium, cultus superstitiosos in meliùs commutauit, idest in ritus verè pios, & religiosos, seù verè Religionis. Cuius etiam causæ meminit Beda loco sup. cit. Siquidèm Kalendis Februarij soliti erant Romani tota nocte illustrare Vrbem facibus accensis in honorem Februæ matris falsi Dei Martis, qui putabatur Deus Bellorum, vt sic impetrarent victoriam contra suos hostes. Sublato ergo inanium Deorum cultu, institutus fuit ab Ecclesia hic ritus candelarum in honorem B. Virginis summæ Matris veri Dei, seu Verbi Incarnati, & Dei exercituum, per

quem

quem nobis victoria cõtrà principes tenebrarum.

Dico secundò. Materia huius benedictionis, sunt candelæ ex cera ob mysteria mox explicanda. Causa formalis consistit in precibus, & ritibus, quibus fit benedictio iuxta præscriptum Missalis. Minister, seù causa efficiens est quilibet Sacerdos. Tandem causa finalis est cultus Christi, & B. Virginis, & excitatio fidelium ad intelligentiam mysteriorum, de quibus dicemus *in seq. prælud.*

PRÆLVDIVM II.

De mysterijs, & documentis, quæ per hanc benedictionem, & candelas benedictas repræsentantur.

DE significatione huius titus, & mysterijs in eo contentis luculentèr agunt interpretes diuinorum officiorum, Alcuinus *de diuin. offic. cap.7.* Amalarius Fortunatus *lib.3. cap.43.* Rabanus *de instit. cler. cap.33.* Durandus *in Rationali lib.7. cap.7.* Carnotensis *serm. de Purificatione B.V.* Rupert. Ab. *de diuin. offic. lib.3. cap.25.* ex quibus selectiora hic adnotabimus.

Primò fit candelarum benedictio, & distributio ad recolendam præsentarionem Christi in templo per manus B. Virginis; siquidem candela ex cera composita, Christum significat, ex dictis suprà sect. 6. de cereo magno Sabbati Sancti. Benedicuntur ergò candelæ, & Deo primum offeruntur, & consecrantur; deindè fidelibus distribuuntur; quiá Christus omni benedictione repletus, Æterno Patri à Virgine oblatus fuit: & in salutem omnium dicatùs: nobis datus nobis natus ex intacta Virgine, ità Carnotensis, Durandus cum alijs suprà cit.

Secundò ordinatur hac die processio cum candelis accensis ad repræsentandum lumen Fidei, & deuotionis ardorem, quo Simeon, & Anna processerunt in occursum Christi venientis ad templum, quorum exemplum, vt nos imitemur pia Mater Ecclesia valdè exoptans: hac die processionem instituit, & in exordio officij nos inuitat, dicens: Ecce venit ad templum sanctum suum dominator Dominus; gaude, & lætare Syon occurrens Deo tuo. Hinc à Græcis hoc festum appellatur Hypapante Domini, idest occursus. Tunc ergo à nobis dignè fit hæc processio, quandò Christo occurrimus cum bonis operibus, viua fide splendentibus, & charitate ardentibus; hoc enim per candelas accensas significatur, ità Auctores initio adducti, & latè explicat Cyrillus Hierosolymitanus *in homilia de hac solemnitate*, & declaratur etiam in orationibus, quibus fit benedictio.

Tertiò: benedictio candelarum, que ex cera alba, & candida componuntur, instituta fuit ab Ecclesia in honorem puritatis, & virginalis candoris Virginis Deiparæ, quæ legem purificationis impleuit, non quiá purificatione indigeret, cum semper tota pulchra, & sine macula fuerit, sed vt nouo sanctitatis fulgore decoraretur. Sicut enim cera de mundis, & odoriferis floribus collecta generatur ab ape sine maris commistione; sic corpus, & caro Christi de Carne Virginis omnium virtutum odore referta, & sine violatione integritatis, & candoris eius processit ità Iuo Carnotensis, & Durandus initio citati cum alijs.

Tandem, vt ait S. Cyrillus Hierosolymitanus *oratione in Hypopante. læti hodie tanquàm filij lucis ceras veræ luci Chrysto offeramus, idest opera virtutum.* Cui adde illud D. Gregor. *hom.13. in Euangelia, lucernas seù candelas accensas in manibus tenemus, cum per bona opera proximis nostris lucis exempla mostramus, de quibus operibus Dominus dicit, luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cælis est.* Exemplum ergò operum bonorum vltrà meritum operantis, & lucem affert proximo, & gloriam, seu laudem Deo.

PRÆLVDIVM III.

De virtute, & effectibus eiusdem benedictionis, & candelarum sacrarum.

REspondeo. Ex vi huius benedictionis, & pio vsu candelarum benedictione sanctificatarum lucrari fideles triplicem fructum.

Primò obtinent à Deo ex meritis, & intercessione Ecclesiæ gratias præuenientes, quibus excitantur ad actus pios, præsertim ad conceipiendum ignem charitatis, & feruorem orationis: sicuti colligitur ex orationibus, quibus fit benedictio, & petitionibus Ecclesiæ in eis contentis.

Secundò, sacræ candelæ in honorem Dei accensæ, valent contra fulmina, & tempestates, & contrà incursiones malignorum spirituum; vt patet ex iisdem orationibus, quibus candelæ benedicuntur, tùm in die purificationis B.V. tùm ex illis, quibus extrà eam diem priuatim benedicuntur, & habentur in fine Missalis *tit. de benedictionibus*, ex quibus paret, candelas benedictas piè, & laudabilitèr accendi coràm moribundis ad fugandos dæmones, & ad diuinam opem pro illis faciliùs impetrandam.

Tertius effectus, seu fructus, est impetratio salutis corporalis, quatenùs expedir ad salutem animæ, & similium donorum in bonum corporis, & animæ, vt constat ex prima oratione eiusdem benedictionis, in qua hunc effectum petit Ecclesia, his verbis, has candelas ad vsus hominum, & sanitatis, corporum, & animarum benedicere, & sanctificare digneris, & propitius sis omnibus clamantibus ad te, &c.

DOCTRINA MORALIS,

Et dubia conſcientiæ de candelis benedictis, & vſu earundem. Itèm de candelis myſticis, ſeù virtutum exemplis; quibus lucère debemus coràm hominibus, in ædificationem proximorum: deque vitijs oppoſitis, Hyppocriſis, & aperti ſcandali.

CVM candelæ accenſæ myſticè, & præcipuè ſignificent virtutum exempla, ſeù lucem bonorum operum, quo dirigimus, & animamus proximos ad percurrendam viam mandatorum Dei, vt ſuprà dicebamus quarè explicatis ijs, quæ pertinent ad candelas materiales benedictas, opportunè hic breuitèr differemus de obligatione præbendi proximis bonum exemplum; item de obligatione affini non ſcandalizandi eoſdem, nec pertrahendi ad peccata.

DVBITATIO I.

De vſu, in quem adhiberi debent candelæ benedictæ.

RESpondeo, & dico primò, poſt candelarum benedictionem, dum fit proceſſio in die Purificationis B.V. omnes clerici procedere debent cum candelis accenſis in manibus; & ſimilitèr laici, qui poſt eos incedunt. Itèm finita proceſſione, dum in Miſſa ſolemni legitur Euangelium; & iterùm ad eleuationem Sacramenti vſque ad communionem, tenentur candelæ benedictæ accenſæ in manibus, ſicuti conſtat ex rubricis Miſſalis; quæ tamen, cum ſint directiuæ, non obligant ad culpam.

Dico ſecundò. Candelæ benedictæ, quæ poſteà ſeruantur à fidelibus domi, vel alibi, adhiberi non debent, niſi ad vſus pios; vel in ordine ad conſequendos effectus ſuprà explicatos *prælud.* 3. quià cum ſint res ſacræ per benedictionem ſanctificatæ, piè, & ſanctè tractari debent, & ad vſus, ad quos ab Eccleſia deſtinantur per ipſam benedictionem. Itàque licitè, & laudabilitèr eas accendimus, dum orationes, & preces ad Deum fundimus, etiam in priuatis domibus, vt faciliùs impetremus gratias, quas ab ipſo Deo petimus, præſertim contrà moleſtias Dæmonum, contrà impetum fulminum, & procellarum, &c. ſimilitèr accendi laudabilitèr poſſunt coràm reliquijs, & imaginibus, tùm in Eccleſijs, tùm in priuatis oratorijs, & etiam ſuper tumulos, & ſepulturas defunctorum conuenienter accendi poſſunt ſiuè candelæ benedictæ, ſiuè aliæ non benedictæ; vt patet ex vſu Eccleſiæ in anniuerſarijs &c. hoc enim ritu myſticè ſignificatur, animas piè quieſcentium viuere. Inſupèr excitantur fideles ad ferenda ſuffragia pro illis, quæ ſunt in Purgatorio, de qua re nos diximus *in comment. ad rubr. Miſſalis p.* 2. *tit.* 13. *in litera num.* 3.

E contrà verò peccant; illis abutentes, eaſque accendentes in conuiuijs, vel comedijs, & ludis: vel alios adhibentes ad vſus profanos; quamuis ſolùm venialitèr ſecluſo contemptu, vt ſuprà explicauimus *tit.* 1. *ſect.* 7. *dub.* 4.

DVBITATIO II.

De myſticis candelis, ſeù luminibus, videlicèt de exemplis bonorum operum proximo exhibendis.

REſpondeo, & dico primò ad ædificationem proximorum, ſeù ſpiritualem eorum profectum, maximè conducit exemplum bonorum operum præſertim ſuperiorum, & gerentium curam animarum, & multò magis prodeſt, quam doctrina, & prædicatio.

Probatur, quià cum duplex medium adhiberi poſſit in eum finem promouendi alios ad virtutem, videlicet doctrina, & bonum exemplum; hoc ſine dubio efficaciùs eſt. Tum quia homines magis credunt factis, ſeù operibus: quam verbis, & dictis, & ideò magis mouentur ad benè operãdum exemplo bonorum operum, quàm exhortatione verborum. Tum quià magis, & faciliùs quis ſibi perſuadet eſſet factibile, id, quod fit ab alijs, & de facto executioni mandatur; quam id quod ſolis verbis proponitur, atque adeò magis incitamur ad operandum exemplo, quam pompa verborum.

Hinc Chriſtus, vt efficaciùs nos perduceret ad benè operandum, cœpit prius facere, deindè docere. *Act.* 1. & ſeipſum ſæpius propoſuit exemplar virtutum, *diſcite à me, quià mitis ſum, & humilis* cor-

corde; *& exemplum dedi vobis, vt quem admodùm ego feci, ità, & vos faciatis*; & hoc ipsum præcepit discipulis, dicens, *luceat lux vestra coràm hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, &c.* & Apos. ad Titum *in omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum in integritate, &c. ad Titum 2. & ad Thimoth.* 4. atque ità communitèr docent SS. PP. & expositores in loc. cit. Scripturæ, & alibi passim.

Dico secundò, omnes illi, quibus cura animarum commissa est, tenentur iure naturali, & sub graui præcepto se ipsos præbere exemplum bonorum operum suis subditis. Huiusmodi sunt, primo parentes carnales, respectu suorum filiorum; quorum vitæ, & educationis post Deum, sunt præcipui, & immediati auctores, secundò Episcopi, & Pastores animarum, respectu suarum ouium; tertiò Principes, & Rectores aliorum, respectu illorum, qui eis subduntur, & alij similes.

Probatur, quià prædicti omnes, qui curam aliorum gerunt; tenentur iure naturali illorum saluti inuigilare; & eos bonis moribus imbuere; quod vt suprà dicebamus sic verbis, & exemplis; sed exempla bonorum operum, (vt probauimus præcedenti conclusione) sunt media magis apta, & efficacia in eum finem, quam verba; ergò tenentur non solum verbis, sed multò magis exemplo proximorum salutem procurare.

Confirmatur, quià prædicatio, vel exhortatio quæ, fit verbis siue exemplo bonorum operum, parum prodesse potest: dicente Apost. 1. *Cor.* 13. Si linguis hominum loquar, & Angelorum; charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens, ergò solis verbis sine exemplis, animarum Rectores non satisfaciunt suæ obligationi. Hinc D. Gregorius *homil. 17. in cap. 10. Lucæ*. Tunc ait alijs recta vere prædicamus, si dicta rebus, & exemplis ostendimus, atque ità docent DD. communitèr in quartum Decalogi præceptum, vbi agunt de obligatione parentum, respectu filiorum. Episcoporum, & Parochororum, respectu suarum ouium, & aliorum Superiorum, & Dominorum, respectu subditorum.

Colligitur primò, teneri præsertim Episcopos, & animarum pastores, quibus per se, & directè magis, quam alijs animarum cura commissa est, teneri inquam vitam exemplarem ducere in ædificationem suorum subditorum; quarè non excusantur à peccato mortali, si hanc obligationem negligant, si videlicèt nunquam, vel raró compareant in publicis, & sacris functionibus, quibus interuenire debent, si non ministrant Sacramenta ordinis, & chrismatis, &c. quæ ad eos pertinent, vel valdè diù differant, si palàm non exerceant opera charitatis, correctionis, & eleemosynæ, &c. ad quæ tenentur, si grauitatem, & decorem suæ dignitati conuenientem non seruent, si orationi non vacent, & similia pietatis opera non exerceant, sed potiùs sint tanquam lucernæ sub modio, nec luceant suis subditis, grauitèr peccant, quià non seruant præceptum naturale, & diuinum suprà explicatum luceat lux vestra coràm hominibus, &c.

Colligitur secundò, simili obligatione obstringi, nedùm Parochos, qui post Episcopos sunt animarum pastores; sed etiam reliquos omnes Sacerdotes, quorum vita, & mores, cæteris norma viuendi esse debent; vt monet Tridentinum *sess. 22. cap. 1. de reformat.* Quià cum sint præcipui Christi ministri, & dispensatores mysteriorum Dei, etiam ipsi lux mundi, & sal terræ in Euangelio nuncupantur, & esse debent; quarè grauitèr peccant, si ità liberè viuant, vt offensioni populo esse possint; sicuti monet D. Gregorius *homil. 17. sup. citata*, his verbis, *nullum puto ab alijs maius præiudicium quam à Sacerdotibus tolerat Deus; quandò eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla prauitatis cernit* hæc Greg. videndus Molina *de instruct. Sacerdot. toto lib. 1.* Tandèm idem quoque dicendum est de Religiosis, qui ratione status vitam perfectam profitentur, seù tendentem ad perfectionem, eorumque mores valdè obseruant laici ad vitam suam componendam.

DVBITATIO III.

De primo vitio, veræ luci, & ædificationi proximourm opposito: quod est hypocrisis, quid sit hypocrisis, & quale peccatum.

Respondeo, & dico primò, hypocrisis, est simulatio sanctitatis, qua videlicèt, quis se simulat esse iustum, cum non sit; vel Doctorem veritatis, &c. cum ab ea sit omninò alienus, ità DD. communitèr cum D. Thoma 2. 2. *quæst. 111. art. 2.*

Dico secundò. Quale peccatum sit hypocrisis; discernendum esse ex fine hypocritæ; si enim finis sit sola vanagloria, & iactantia; hypocrisis per se est peccatum veniale, sicut mendacium, & iactantia. Si verò quis simulet se iustum, sanctum, doctorem veritatis, vt falsam doctrinam seminet; sicut faciunt hæretici; sic hypocrisis est grauissimum peccatum mortale; & huiusmodi hypocrita est perniciosissimus lupus; cum exteriùs appareat ouis; quem in primis cauendum Dominus monuit *Matth. 7.* Itèm si talia simulet, vt ad ecclesiasticam dignitatem indignus irrepat. Tandèm si hypocrisis inuoluat contemptum sanctitatis, aut veræ Religionis, est grauissimum scelus. Hoc modo plures politici huius ætatis, sunt hypocritæ, qui solùm curant, vt exteriùs videantur iusti, vel catholici: cum interiùs religionem nihil faciant, & sic in scripturis sæpè reprehenduntur, *Matth. 6. & 13. Luc. 12. & 16.* & alibi, ità D. Thom. *loc. cit. art. 4.* vide etiam Lessium *l. 2. c. 47. num. 45.*

DVBITATIO IV.

De peccato scandali, quod manifestè opponitur bono exemplo, & luci bonorum operum.

Respondeo, & dico primò. Scandalum est dictum, vel factum minùs rectum, quo datur proximo occasio peccandi, seu spiritualis ruinæ, ità cumD. Thoma 2.2.q.43.art.1.alij DD.communitèr. Dicitur primò, dictum, vel factum, quià omnia peccata extrema, quæ sola scandalizare possunt, sunt oris, vel operis, quippè actus interni, & alij occulti non possunt alios inducere ad peccandum. Dicitur secundò minùs rectum, seu inordinatum, saltèm ex eo, quod omitti debet, nè proximo sit offendiculum. Dicitur tertiò occasio ruinæ, & non causa, quià nisi quis neque iubeat, neque consulat peccatum, peccat nihilominùs contrà charitatem, si quid dicat, vel faciat, vndè præuidet animæ ex fragilitate sua arrepturum occasionem peccandi; insuper ad denotandum, ad contrahendam malitiam scandali non requiri, vt alter de facto labatur, & peccet; sed satis est, si tuum dictum, vel factum possit facilè inducere alium ad peccatum, D. Thom. *vbi suprà art.2.*

Dico secundò, scandalum diuiditur primò in datum, & acceptum. Scandalum datum, quod dici solet pusillorum, est, quod oritur ex dicto, vel facto, quod secundum se est inductiuum ad peccatum, & vera eius occasio. Scandalum acceptum, quod etiam pharisaicum appellatur, est, quod ex sola accipientis malitia oritur. Secundo diuiditur scandalum in formale, seu speciale, quo quis directè intendit alterum inducere ad peccandum & in scandalum materiale, seu generale, quod contingit, quando quis non eo fine operatur, vt proximum ad peccatum inducat; sed nihilominùs præuidet indè proximum lapsurum in peccatum, vel facilè arrepturum occasionem peccandi, & ideò est reus peccati alterius, quià tenebatur ab eo opere abstinere ad vitandam ruinam sui proximi, ità D.Thom.vbi sup.& DD. communitèr in *tractatu de scandalo.*

Dico tertiò Scandalum actiuum suprà definitum in prima conclusione, siue fit ex intentione expressa ruinæ spiritualis proximi, siuè absque illa: (quandò ruina, seu lapsus proximi est præuisus, & non intentus) est peccatum mortale ex suo genere. Ratio est, quià esse alteri voluntariam occasionem ruinæ spiritualis, opponitur grauiter præcepto charitatis, quo tenemur damnum proximi vitare, etiam temporale, nedum spirituale, semper ac possumus absque nostro graui damno: ergò est peccatum mortale ex genere suo. Deinde charitas positiuè obligat ad corripiendum proximum lapsum in peccatum, saltem quando imminet periculum recidiui; ergò multò magis obligat ad remouendam ex parte nostra occasionem lapsus, & ruinæ ipsius proximi.

Dixi esse peccatum mortale ex genere suo, quià ratione paruitatis materiæ potest esse veniale, si solum præbeatur proximo occasio peccandi venialiter, ità Caetanus, & alij Summistæ, *verbo scandalum,* Sanchez *sum.lib.1.cap.6.*Layman *lib. 2.tract. 3.*cum alijs, quos citant.

Colligitur primò, eum, qui suo prauo exemplo, e.g.fornicatione, est occasio alteri, vt fornicetur, esse reum duplicis culpæ, videlicèt propriæ fornicationis, & alterius, quam proximus committit eo prauo exemplo incitatus; ac proindè hanc circumstantiam scandali, esse necessariò explicandam in confessione, atque exprimendam esse speciem, tum proprij peccati, tum eius, ad quod alterum quis induxit, quià scandalum desumit speciem ab eo peccato, ad quod proximus indncitur, ita DD.communitèr, Sanchez *sup. nu. 4.*Diana *p.5.tract.7.res.2.*cum alijs, quos citat.

Colligitur secundò, peccatum proprium aliàs veniale; vel etiam actionem indifferentem, sæpè transire in mortale, ratione scandali, si indè proximo præbeatur occasio peccati mortalis, e. g. si quis ex loquacitate, vel ioco narret alijs turpia, & obscena, præuidens aliquem ex audientibus facilè commouendum ad exercenda inhonesta; quià etsi loquacitas sit peccatum veniale, malitia tamen scandali, est mortalis, ita DD.citati, & alij communitèr in tract.de scandalo.

Colligitur tertiò, eum, qui coràm multis loquitur, vt suprà de rebus turpibus contra castitatem, teneri in confessione explicare, tum species peccatorum, de quibus loquitur, videlicèt, an locutus fuerit de fornicatione, vel de adulterio, de peccatis contrà naturam; &c.tum conditiones varias,& status audientium e.g. an ibi aderant clerici in sacris, an coniugati, vel soluti, &c. quia scandalum specificatur iuxta species varias peccatorum, ad quæ alios, quis inducit, ita DD. communitèr. sup citati,& alij apud Dianam *p. 6. tract.6. res. 33.* quamuis non improbabilitèr id neget, Lugo apud Dianam ibidem.

Colligitur quartò, eum, qui domi retinet mulierem suspectam, de qua populus malè suspicatur, etiam si eam retinens nullo modo cum ipsa peccet; nihilominus esse reum scandali mortalis, si illam non dimittat, quià non solùm indè oritur, admiratio, & murmuratio; sed quidam virtutis, contemptus, & licentia liberè viuendi, præsertim, si retinens mulierem sit Sacerdos; prædicta autem licentia graue damnum causat, & aperit viam vitijs, ita Sanchez, Layman sup. cit. & Castro Palao de *charitate tract. 6. disp. 6. punct.1.* atque hæc pauca de scandalo ad rem nostram dictam sufficiant; plura videri poterunt apud citatos DD.

SECTIO X.

De Benedictione, & Consecratione Ecclesiarum.

EX benedictionibus solemnibus, plures fieri debent, determinatis anni temporibus, & festis, iuxtà ordinem præsertim in Missali assignatum, in proprio de tempore, vel de Sanctis; de quibus iam diximus. Aliæ non ità sunt alligatæ peculiaribus diebus, vel festis; quarum nonnullas hic explicare aggredimur ex Pontificali Romano desumptas, solumque præcipuas; quarum notitia a pijs fidelibus magis desideratur, & primo loco dicendum est de benedictione Ecclesiarum, quæ valdè celebris est, & scitu digna.

PRÆLVDIVM I.

De origine, & causis Benedictionis Ecclesiarum.

REspondeo, & dico primò. De origine benedictionis, & consecrationis Ecclesiarum, sic legitur in Breuiaro Romano in festo Dedicationis Basilicæ Saluatoris, die 9. Nouembris, videlicèt, *Ritus, quos in consecrandis Ecclesijs, & Altaribus Romana seruat Ecclesia, B. Syluester Papa primus instituit; nàm etsi iam ab Apostolorum tempore loca fuerunt Deo dicata, non tamen illa adeò solemni ritu consecrabantur, &c.* ex quibus verbis liquet, simplicitèr loquendo ritum benedicendi, & consecrandi Ecclesias originem ducere ab Apostolis; sed à S. Siluestro (reddita Ecclesiæ pace) ad solemniorem formam, quam modo seruat Ecclesia, redactum fuisse, quod etiam disertis verbis declarat S. Clemens *epis. 2. ad Iacobum fratrem Domini*, videlicèt, ab Apostolis habere originem prædictum ritum consecrandi Ecclesias. Itèm constat ex *can. Ecclesias. 16. q. 7.* & alijs iuribus, & exemplis Sanctorum Pontificum prædecessorum, S. Siluestri; siquidèm S. Vrbanus Secundus Cæciliæ domum in Ecclesiam consecrauit, & S. Marcellus domum Lucinæ, de qua re fusè agit Stephanus Durantus *de ritib. Ecclesiæ lib. 1. cap. 24.* Imò, & in veteri testamento, ex præcepto Dei viguit hic ritus consecrandi templa in ipsius Dei honorem; sicuti constat ex *lib. 2. Paralip. c. 7.* Modo autem ablato a Iudæis Regno Dei, gloria sinagogæ ad nostram Ecclesiam Catholicam translata est.

Dico secundò. Causa materialis huius benedictionis, sunt Ecclesiæ, seu templa materialia in Dei cultum destinata. Causa formalis consistit in ritibus, & precibus in Pontificali, & Rituali Romano præscriptis respectiuè, tum pro simpliciori benedictione, tum pro consecratione magis solemni. Minister verò consecrationis est solus Episcopus; benedictionis verò potest esse quilibet Sacerdos de licentia Episcopi; sicuti notatur in Rituali. Tandèm causa finalis est, vt Ecclesia, quæ est Domus Dei, tanquàm locus sacer in maiori honore, & veneratione sit apud fideles, sicuti docet D. Thomas *3. p. q. 83. art. 3.* Itèm vtilitas ipsorum fidelium, vt maiori deuotione, & cum maiori fructu ibi orent, & excitentur ad intelligentiam mysteriorum, quæ ipsa benedictione exprimuntur, de quibus mox dicemus.

PRÆLVDIVM II.

De Mysterijs, & Documentis eiusdem benedictionis, & Ecclesiarum in cultum Dei consecratarum.

PRimò. Templa hæc manufacta in terris, seù materiales Ecclesiæ in honorem Dei consecratæ, repræsentant nobis templum supernum gloriæ Dei, & Patriæ Cœlestis non manufactum, in quo Cherubim, & Seraphim, & omnes Angeli Deum laudant, eique incessabili voce proclamant Sanctus, Sanctus, &c. Dum ergò in his Ecclesijs, seù templis manufactis oramus, & psallimus, & Dei cultui vacamus, Angelos imitamur, & templi cœlestis cultores; vt eisdem tandèm associari mereamur, & Deum videre cum ipsis facie ad faciem; ad quod inuitat nos Ecclesia in hymnis Dedicationis Ecclesiæ, his verbis:

> *Sed illa sedes cælitum.*
> *Semper resultat laudibus, &c.*
> *Illi canentes iungimur*
> *Almæ Sionis æmuli.*

De quo mysterio fusè tractat Durandus iu Rationali lib. 1. cap. 1.

Secundò consecrantur Ecclesiæ materiales, ad denotandam puritatem, & sanctitatem formalis Ecclesiæ, seù Congregationis iustorum sub vno capite Christo, & eius in terris Vicario, quam Christus sibi sponsam elegit, & suo prætioso sanguine consecrauit, & decorauit, ità D. Thomas 3. p. q. 83. art. 3. ad 2. & Durand. vbi sup.

Tertiò, cum anima cuiuslibet iusti sit templum Dei viui, & habitatio Spiritus Sancti, ex Apos. 1. cor. 3. & 6. & 2. cor. 6. & alibi; idcircò solemni, & multiplici ritu consecratur templum materiale, vt indè nos discamus quid in anima iusti Deus operetur interiùs multiformi gratia; & qualitèr nos animam nostram disponere, & aptare debemus, vt sit digna Dei habitatio, & templum Spiritus Sancti; vndè D. Bernardus *serm. 1. in dedic. Eccles.*

Ecclef. In nobis, *inquit*, *fpiritualiter impleri neceffe eft, quæ in parietibus vifibilitèr præcefferunt*; e.g. ex eodem Bernardo ibidem vnguntur Cruces materialis Ecclefiæ facro chrifmate, quià neceffe eft, vt vnctio fpiritualis gratiæ adiuuet infirmitatem noftram; pœnitentiæ, feù mortificationis cruces, deuotionis fua gratia liniens; quià nec fine Cruce fequi Chriftum; nec fine vnctione Crucis afperitatem quis ferre poffet; atque ità finguli ritus confecrationis templi materialis ad fpiritualem intelligentiam referri debent eorum, quæ interiùs in anima noftra Deus per gratiam operatur, & cooperationis, quæ ex parte noftra debetur gratiæ Dei, quod luculentèr explicant D. Aug. *ferm.* 252. & *feq. de tempore*, & interpretes facrorum rituum, Vualfrid. *de reb. ecclef. c.* 9. Iuo de *Sacram. dedic.* Gulielm. Durand. *in Rat. lib.* 1. *cap.* 6. Stephan. Durant. *de ritib. Ecclef. lib.* 1. *cap.* 23. ad quos remittimus Lectorem; ne hic iufto prolixiores fimus.

Tandèm aduertimus, Ecclefias materiales ante confecrationem exorcizari, & mundari; vt indè pellatur virtus inimici. Quod fi poft confecrationem, vel benedictionem eafdem Ecclefias pollui contingat, e. g. humani feminis, vel fanguinis effufione; opus eft noua reconciliatione, & purificatione, quia per peccatum ibi commiffum, apparet aliqua operatio inimici, ficuti docet D. Thom. 3. *p. q.* 83. *art.* 3. Sic pariter anima fidelis, antequàm per iuftificationem confecretur in templum Dei viui; per pœnitentiam, & lacrymas emundari debet; quod fi poft iuftificationem, nouo peccato eam pollui contingat indi et noua reconciliatione, & pœnitentia, vt recedat Diabolus, & fiat digna habitatio Spiritus Sancti, Auctores fuprà citati.

PRÆLVDIVM. III.

De virtute, & effectus eiufdem benedictionis, & Confecrationis Ecclefiarum.

PRimus effectus benedictionis huiufmodi, vel confecrationis Ecclefiæ, eft peculiaris Dei affiftentia in Ecclefia benedicta, cuius virtute excitantur fideles, fpecialibus auxilijs ad actus pios, orationis, adorationis, & alios fimiles diuini cultus, & veræ deuotionis: Itèm ad defideria cœleftis templi, & gloriæ, & focietatis Angelorum. Ratio eft, quia hæc omnia petit Ecclefia à Deo in orationibus, quibus fit benedictio, & confecratio, atque adeò ea obtinent fideles modum impetrationis ex meritis Ecclefiæ.

Secundus effectus eft, maior efficacia orationum, quæ in Ecclefijs confecratis funduntur, fiquidèm fideles, qui ad Ecclefias Deo confecratas deprecatur conueniunt, magis, & facilius à Deo exaudiuntur; & ex quacunque tribulatione clamauerint, confolationis diuinæ beneficia confequuntur ex meritis Ecclefiæ, vt fuprà dicebamus, de quo effectu teftantur D. Ambrof. *in oratione dedicationis Ecclefiæ S. Vitalis, & Agricolæ*, Vualfridus Strabo *de ritib. Ecclef. cap.* 9. Durant. *de ritib. Ecclef. lib.* 1. *cap.* 24. Suar. *tom.* 3. *in* 3. *p. difp.* 15. *fect.* 4. §. *addo tertiò*, & alij plures.

Tertius effectus eft expulfio, vel compreffio dæmonum, nè in prædictis locis facris vim habeant nocendi; fed potiùs paueant, & contremifcant; qui etiam effectus oritur ex meritis, & interceffione Ecclefiæ modo fuprà explicato. Quocircà narrat Sigibertus *anno* 871. quod Coloniæ celebrata Synodo, cum maior Ecclefia, quæ eft D. Petri dedicanda effet; præcedenti nocte auditas fuiffe voces malignorum fpirituum, exprimentes lamentationes, & querelas, eò, quià a poffeffis diù fedibus expelli deberent; & idem alio illuftri exemplo comprobat S. Gregor. *lib.* 3. *dialog. cap.* 30. & videri etiam poteft Durant. *loc. fup. cit.*

DOCTRINA MORALIS.

Et dubia confcientiæ de eadem benedictione, & de reuerentia debita Ecclefijs, & locis facris.

DVBITATIO I.

An conuenientèr benedicantur, & confecrentur Ecclefiæ. & qualitèr benedictio differat à confecratione.

RAtio dubitandi eft, quià confecrantur Ecclefiæ, vt fint domus Dei, & loca habitationis gloriæ eius; hoc autèm videtur inconueniens; quia, vt dicitur *Actor.* 7. *&* 17. *Deus non in manufactis templis habitat*. Itèm *Deus eft fpiritus, & in fpiritu, & veritate oportet illum adorare Io.* 4. ergò minus conuenientèr eriguntur, & confecrantur templa, & loca corporea, vt Deus ibi adoretur, cum æque extra illa adorari poffit, & debeat.

Refpondeo, & dico primò. Nedum eft conueniens, fed fanctum, & neceffarium Deo Ecclefias dicare, tanquam loca fpecialia, ad quæ fideles concurrant ad exercenda opera religiofa, feu cultus diuini. Et meritò eadem loca confecrantur, vel benedicuntur, vt tanquam facra, & religiofa, in maiori fint veneratione. Et conclufio de fide; vt conftat ex vfu Ecclefiæ Catholicæ, orta ex traditione Apoftolorum, ex dictis prælud. 1.

Ratio

Ratio eſt, quià neque ſacrificium offerri decet (communitèr loquendo) niſi in loco ſacro, & ſpecialitèr Deo dicato: neque Euchariſtiæ Sacramentum, niſi in loco ſacro exponi, & aſſeruari conuenit: & alia Sacramenta miniſtrari; ergò meritò in hunc finem conſecrantur templa, & Eccleſiæ. Item neceſſe eſt deſtinari locum determinatum, & ſacrum, quo fideles conueniant ad orandum ſimul, præſertim nomine totiùs Eccleſiæ, & diuinum officium publicè celebrandum ad maiorem Dei gloriam, & populi ędificationē, ad audiendum etiam Dei verbum, & ad ſimiles functiones ſacras peragendas; ergò ſanctum, & neceſſarium eſt Eccleſias Deo dicari, & conſecrari ob fines prædictos; vt fuſiùs probat Suarez *tom. 3. in 3. par. diſput.* 81. *ſect.* 1.

Ad rationem dubitandi reſpondetur, quod Deus non habitat in templis manufactis; quaſi ibi claudatur, & circumſcriptiuè moretur, ſicut gentiles æſtimabant, quos in loc. cit. reprehendit Apoſt. eſt enim Deus immenſus, & nullo loco circumſcribi poteſt; cœterùm negari non poteſt; Deum aliàs vbique pręſentem ſpeciali ratione habitare in templis, & locis ſacris; quatenùs ſpecialitèr ibi aſſiſtit, & operatur nonnullos effectus gratiæ, de quibus diximus *in prælud.* 3. quos non ità alibi communicat. Illud autèm, quod dicitur oportere Deum in Spiritu, & veritate adorare, non obſtat doctrinæ ſuprà traditæ; ſicut enìm non excludit actiones externas, quibus fit oratio vocalis, item genuflexiones &c. ſed requirit, vt illæ ex interiori affectu, & ſpiritu procedant; ità non excludit loca externa ad hoc miniſterium ſpecialitèr deputata; quæ excitant ad maiorem reuerentiam; quamuis priuatim poſſit vnuſquiſque vbique orare, & Deum adorare.

Dico ſecundò: Benedictio ſimplex, & conſecratio Eccleſiarum differunt inter ſe, penès maiorem & minorē ſolemnitatem, ſeu penès ritū altiorem, & inferiorem; ſimplex enim benedictio, quæ etiam verbalis dicitur fit, ſolis verbis, & ſimplicioribus ritibus; conſecratio verò eſt benedictio realis, in qua interuenit vnctio ſacri olei, & Chriſmatis, & pluribus ſacratioribuſque ritibus conficitur, quibus expreſſiùs ſignificatur excellentia diuinæ Maieſtatis, cui templum dicatur, & pertinet ad miniſtrum maioris dignitatis, videlicèt ad ſolum Epiſcopum. Sicut etiam in horis canonicis differt officium ſimplex, vel ſemiduplex ab officio ſolemni primæ claſſis; itèm Miſſa priuata a ſolemni; & beatificatio, a canonizatione Sanctorum.

DVBITATIO II.

Qualitèr Eccleſiæ, ſeù templa dedicentur Sanctis: & eorum nominibus inſcribantur, quos titulares vocamus.

Ratio dubitandi eſt, quià dedicatio, & conſecratio cuiuslibet Eccleſiæ pertinet ad cultum latriæ, qui ſoli Deo debetur; quælibet namque Eccleſia eſt domus Dei, & locus habitationis gloriæ Dei. Itèm quæuis Eccleſia præcipuè dedicatur in ordine ad ſacrificium decentiùs peragendum: ſacrificium autèm continet cultum latriæ ſoli Deo debitum.

Reſpondeo. Dedicari Eccleſias primò, & principalitèr; ſeù per ſe, & directè in honorem Dei, vt poſſint ibi decentiùs diuina officia celebrari, & ſacrificium offerri; & hac ratione dedicatio, & conſecratio templi; itèm benedictio pertinet ad cultum latriæ ſoli Deo debitum. Secundariò verò, ſeù minùs principalitèr, & indirectè nuncupari, & dedicari ſanctis; vndè propriùs loquendo Eccleſiæ dedicantur Deo in honorem Sanctorum; & ſub hoc reſpectu quatenùs dedicatio refertur indirectè ad Sanctos, continet cultum dulyæ, quo Sanctos, & Dei amicos veneramur, & Deo gratias agimus ob illorum victorias. Ratio eſt, quià in Eccleſijs ſunt monumenta, in quibus vel Sanctorum reliquiæ, vel imagines, & memoriæ retinentur. Inſuper per Sanctos frequenter ad Deum accedimus; & idcircò ad Sanctos etiam; quamuis minus principalitèr dedicatio templorum refertur, & in eorum honorem, & venerationem. Sic autèm eorum nominibus nuncupantur; vt sempèr Dei nomen ſit præferendum: ſicut domus Principis, indirectè eſt etiam domus aulicorum, & familiarium eiuſdem Principis.

Ad rationem dubitandi patet ex dictis, non enim repugnat eandem actionem externam ſub diuerſo reſpectu, & motiuo, reduci diuerſa virtute atque directè continere cultum latriæ; indirectè vero cultum dulyæ; cum ipſum ſacrificium, quod ſoli Deo offerri poteſt; offeratur etiam Deo in honorem Sanctorum.

Colligitur, quid ſit dicendum ad eam queſtionem; An poſſint erigi, & dedicari Eccleſiæ, in honorem Beati nondùm canonizati. Videtur enim dicendum, hoc pendere ex alia quæſtione, an in honorem Beati nondùm a Sede Apoſtolica canonizati, quamuis ab eadem quis ſit declaratus Beatus. An inquàm in eius honorem poſſit ab omnibus ſemper, & vbique celebrari Miſſa; ſicut celebratur de Sanctis canonizatis; nam ſi hoc licitum eſt, vt nonnulli probabilitèr putant: licitum quoque erit dedicari templa Beatis; cum oblatio ſacrificij in eorum honorum ſit maior cultus; ſi verò hoc non eſt licitum: videtur etiam neganda dedicatio templi in honorem Beatorum; ob connexionem templi cum ſacrificio. Doctores autem pro vtraque parte nos adduximus in *commentarys ad rubricas Miſſalis par.* 1 *s.* 4 *dub.* 6. vbi videri poſſunt

DVBITATIO III.

An, & qualis reuerentia, ſeù cultus, debeatur Eccleſijs, & locis ſacris.

Reſpondeo, & dico primò. Sacris templis & Eccleſijs debetur ſpecialis reuerentia, tum iure naturali, tum poſitiuo.

Quoad ius naturale probatur, quid recta ratio dictat sancta, seu res sacras sanctè tractari debere; sed Ecclesiæ præsertim consecratæ, vel benedictæ, sunt res sacræ, & specialitèr Deo dicatæ, ergò sanctè tractari debent; & debetur illis veneratio, seu reuerentia; quæ vtique pertinet ad cultum religionis Deo debitum; & consequentèr ad ea, quæ speciali modo referuntur ad Deum.

Quoad ius verò positiuum, constat ità definitum fuisse in septima Synodo generali Nicena, Suarez cum alijs *tom.3. in 3. p.disp.81.*

Aduertendum est autèm, ad duo capita reuocari posse hanc obligationem, videlicèt, vel ad præceptum affirmatiuum aliquid agendi in honorem templi, seu Ecclesiæ, vel ad præceptum negatiuum, quo prohibetur fieri aliquid resultans in iniuriam, & opprobrium, eiusdem vndè.

Dico secundò quoad præceptum affirmatiuum; quamuis nullum extet tale præceptum vniuersale de positiuo actu venerationis exercendo circa Ecclesias, & loca sacra, videlicèt respectu omnium fidelium, & circa omnes Ecclesias, vt rectè probat Suarez *de Religione tom. 1. lib. 3. cap. 1.* Nihilominùs in ordine ad Ecclesias Cathedrales, itèm collegiatas, & conuentuales, duplex est præceptum. Primum, vt quotidiè in illis offeratur sacrificium Missæ, ex cap. cum creatura de celeb. Missarum Alterum, vt quotidiè in illis celebretur publicè officium horarum canonicarum, ex clem. 1. de celeb. Missarum. Quamuis enim prædicta ordinentur primò, & principalitèr in cultum, & obsequium Dei; secundariò tamen instituta sunt in seruitium, & decorem, & in maiorem venerationem præcipuarum Ecclesiarum, & in ædificationem fidelium, qui frequentiùs ad eas concurrunt.

De primo præcepto celebrandi Missam in præcipuis Ecclesijs nos fusè disputauimus in *comment. ad rub. Missalis p. 1. in rub. proœmialem dub. 1. & sequentibus:* videnda sunt ibi dicta. De altero verò præcepto ex professo agunt DD. *in tractatu de horis canonicis*, ad quos remittimus Lectorem. Solum hic aduerto satisfieri posse huic obligationi, si ex aliqua iusta, & rationabili causa recitentur quandoque horæ in Sacristia, vel simili loco adnexo Ecclesiæ, e. g. hyeme ad vitandum rigorem aeris; & præsertim a Regularibus, qui solùm tenentur ad pensum horarum ex vi regulæ cuiusque Religionis, & secundum consuetudinem ab ipsis Regularibus introductam, de quo casu videri potest Diana *p. 6. tract. 8. res. 13.*

Dico tertiò ex vi alterius præcepti negatiui non inferendi iniuriam Ecclesijs, & locis sacris; prohibitæ sunt nonnullæ actiones iure ipso naturali, e. g. templa, & altaria in contemptum euertere; ea conuertere in catabulum bestiarum, vel illuc iumenta introducere, itèm Ecclesias fœdare, vel contumelijs afficere, &c. in quibus manifestum est esse grauem malitiam sacrilegij, vt videri potest apud Suar. *tom. 3. in 3. p. disp. 81. sect. 8.* Insupèr iure positiuo Ecclesiastico prohibentur fieri in templis plures actiones, de quibus dicemus in sequenti dubio.

DVBITATIO IV.

De Actionibus iure positiuo fieri prohibitis in Ecclesijs: & qualis sit earum malitia.

Respondeo. Actiones prædictas ad tria capita reuocari. Quorum primum continet eas, quibus Ecclesia, seu locus sacer polluitur, & violatur, seu prophanatur, ità vt non possint ibi diuina officia celebrari, nisi facta Ecclesiæ reconciliatione. Huiusmodi sunt effusio humani seminis, vel sanguinis; homicidium, sepultura excommunicati, &c. quæ si fiant in Ecclesia; hæc remanet polluta, & delinquens in ipsis tenetur in confessione aperire circumstantiam loci sacri, ob cuius violationem graue sacrilegium committit; sicuti fusè nos explicauimus in *Comment. ad rub. Missalis p. 3. tit. 10. num. 2.* videnda sunt ibi dicta.

Ad secundum caput reuocatur actiones, quibus violatur Ecclesiæ, seu loci sacri immunitas; quatenùs iure canonico ipse locus sacer constitutus est, vt Asylum, seu locus securitatis confugientium illuc. Hinc extrahentes reos à loco sacro, graue sacrilegium committunt contrà reuerentiam eidem loco debitam, & excommunicationem incurrunt, de quo excessu latè disputat DD. in *tract. de immunitate Ecclesiarum:* neque enim est nostri instituti hanc materiam pertractare, sed solum indicare peccata: quæ loci sanctitati repugnant. Ad hoc etiam caput reduci potest furtum in Ecclesia commissum, præsertim si quis furetur res eiusdem Ecclesiæ, vel ibidem securitatis causa depositas: quià tali delicto violatur etiam immunitas Ecclesiæ; & ideò sacrilegium committitur: quarè in confessione debet necessariò explicari circũstãtia loci sacri.

Ad tertium caput reducuntur actiones aliæ, quæ vel natura sua, vel ex iuris canonici dispositione loci sanctitati repugnant, licèt per eas, Ecclesia, vel eius immunitas non violetur, quas breuitèr enumerabimus.

Primò prohibetur in Ecclesia placitum, seu iudicium seculare, ità vt non possit absque peccato sacrilegij à iudice seculari pronuntiari sententia in Ecclesia, neque compilari processus, &c. *ex cap. Decet. de immun. Eccles. in 6.*

Secunda actio fieri prohibita in Ecclesia, est mercatura, seu negotiatio ex citato cap. Decet; quarè graue sacrilegium committitur, si templum per se, & ex instituto constituatur locus mercaturæ, & ibi erigantur officinæ, &c. quod si solùm in templo instituatur tractatus emptionis, & venditionis; vel similis contractus, merce alibi existente, hoc non excederet culpam venialem.

Tertiò prohibentur fieri in Ecclesia conclamationes, & consequentèr comedias, & tragedias prophanas ex eodem *cap. Decet suprà citato.* Repræsentationes tamen sacræ, quæ ad pietatem mouent, non sunt è templo alienæ.

Quartò prohibitum est fieri in Ecclesijs conuiuia, & commessationes, itèm lectos ibidem sternere ad dormiendum, & similia, *ex cap. non oportet 2. d. 42.* Quamuis autem conuiuari in Ecclesia eo modo

quo

quo fit in locis prophanis, sit graue sacrilegium, ex genere suo; ratione tamen paruitatis materiæ potest transire in veniale, si pauci in angulo Ecclesiæ cum modestia comedant. Quod si vel necessitas ad id cogat; vel pietas id suadeat, nullum erit peccatum, vt docet Caet. *sum. verbo immunitas*.

Quintò prohibitum est supellectilia in Ecclesijs admittere; nisi propter hostiles incursus; vel simili vrgente necessitate ex cap. 2. de custodia Eucharistiæ. Sub hac tamen prohibitione non comprehenditur Sacristia, neque alius locus ab Ecclesia seiunctus, vel distinctus, vt docent ibi expositores.

Tandem dubitari solet, an illæ actiones, quæ secundùm se malæ sunt, & peccaminosæ; de illis tamen non extat specialis prohibitio, ne fiant in Ecclesijs; an inquam si fiant in Ecclesijs; contineant malitiam sacrilegij necessariò explicandam in confessione; sicut in prædictis, e.g. murmurare in Ecclesia, blasphemare, peierare, tractatus in honestos habere citra pollutionem, &c.

Responde breuitèr; quamuis cætera peccata intrà Ecclesiam commissa, sint contrà reuerentiam, iure naturali debitam loco sacro; si tamen de illis non extet specialis prohibitio iuris ecclesiastici, in ordine ad ipsam Ecclesiam, non contrahunt malitiam mortalem sacrilegij, sed ad summum venialem; & consequenter non necessariò aperiendam in confessione. Atque hæc pauca satis sit hic attigisse; quæ fusiùs explicata, videri poterunt apud Suarez *de Relig. tom. 1. tract. 2. lib. 3.* Lessium *lib. 2. cap. 45. dub. 6.* & apud Summistas *verbo sacrilegium*.

SECTIO XI.

De benedictione Cæmeterij, & Sepulchri Fidelium.

PRÆLVDIVM I.

De origine, & causis huius Benedictionis.

RESpondeo, & dico primò. Cæmeteria, & Sepulchra fidelium benedictione sacerdotali, iam olim consueuisse consecrari, testis est Gregorius Turonensis *de gloria confessorum cap. 106.* & Iuo Carnotensis *epis. 229.* quos affert Stephanus Durantus *de ritib. Ecclesiæ cap. 23.* Porrò Cœmeteriorum vsum, plures affirmant ab Abraham Patriarcha originē ducere; eò, quia post orbem conditum de eo primò legitur, quod emerit agrum in possessionem pro monumēto, *Gen. 23.* de quo facto Abrahæ, fit mentio in Pontificali Romano in orationibus ibi præscriptis ad benedicendum cœmeterium, vbi etiam dicitur ager ille benedictus à Deo in sepulturam, &c. Eundem vsum sepeliendi mortuos in cœmeterijs ex antiquis Patribus veteris testamenti ad Christianos transisse, affirmat Baronius *anno 226.* vbi etiam refert in tabulis vaticanis quadraginta tria cœmeteria recenseri. Itaque dicendum videtur, ritum benedicendi cœmeteria inter Christianos, seu in nouo testamento facilè ab Apostolis institutum fuisse; ad imitationem Patrum veteris testamenti.

Antiquitùs autem inuiolabilitèr seruabatur, vt cœmeteria à templis distinguerentur, atque prohibitum erat sepeliri in Ecclesijs humana cadauera, vt constat *ex cap. 1. de consecrat. Eccles.* & *cap. si ciuitas de sent. excom.* Decursu verò temporis paulatim inualuit consuetudo, sepeliendi defunctos sub pauimentum Ecclesiæ; negari tamen non potest vsum illum antiquum constituendi cœmeteria ab Ecclesijs distincta, qui multis in locis etiam hoc tempore viget, esse magis decentem; nè vnquàm sit in Ecclesijs prauus odor; vndè *in Rituali Romano, tit. de exequijs* sic habetur. *Vbi viget consuetudo antiqua sepeliendi mortuos in cœmeterijs, retineatur, & vbi fieri potest, restituatur, &c.* de qua re videri potest Steph. Duran. *de ritib. eccles. lib. 1. cap. 23.*

Dico secundò: Causa materialis huius benedictionis, est cæmeterium, seu spatium terræ destinatum in sepulturam fidelium; & appellatur cœmeterium, hoc est dormitorium: quia in Euangelio piè defuncti, dicuntur dormire, & in Christo quiescere, sicuti ex Strabone, & alijs, tradit Durant. sup. cit. Forma consistit in ritibus, & precibus, quibus fit benedictio: quæ habentur in Pontificali, & in Rituali Romano. Causa efficiens, seu minister respectu benedictionis solemnioris, quæ præscribitur in Pontificali, est Episcopus: respectu verò benedictionis simplicioris, quæ habetur in rituali, est Sacerdos de licentia Episcopi. Tandem causa finalis est vtilitas, & pius honor fidelium; vt qui in vita fuerunt membra Christi, & Ecclesiæ, & participes benedictionum spiritualium, etiam post mortem in Ecclesia, vel cœmeterio benedicto, seu loco sacro recondantur, & sint participes suffragiorum Ecclesiæ, vt magis patebit ex seq. prælud.

PRÆLVDIVM II.

De Mysterijs, & Documentis eiusdem benedictionis, & Cæmeterij benedicti.

PRimò. Hoc ritu benedicendi cœmeteria, & sepulchra fidelium, demonstratur eorundem fidelium dignitas, & honor, qui illis debētur, ob veræ Fidei, & Christianæ Religionis professionem; cuius dotes nedùm animum decorant, sed etiam in corpus redundant; vndè eorum corporibus meritò debetur in sepulturam locus sacer, seu benedictione sanctificatus. Quod egregiè explicat D. August. *lib. 1. de Ciuitate Dei cap. 13.* *Non sunt, inquit contemnenda, & abijcienda corpora defunctorum, & maximè iustorum, quibus tanquàm organis, & vasis, sanctus vsus est spiritus, &c.*

Secundo; in cœmeterijs benedictis semper figitur Crux, tum in medio, tum ad caput sepulchri; quem ritum esse antiquissimum, colligitur ex D. Hieronymo in *vita S. Pauli Eremitæ*, & ex Beda *lib. de locis sacris cap. 2.* eoque significatur, tali sepulturæ traditum, in Christo quieuisse; seù tanquàm fidelem Christi militem decessisse; siquidèm Crux est Christi vexillum. Vndè in *Rituali Romano tit. de exequijs in rubricis initio positis* præcipitur, vt fideles in cœmeterio benedicto sepeliri debeant; & subditur, si necessitas cogat alitèr fieri corpus quamprimùm transferatur, &c. & interim semper Crux capiti illius apponi debet, ad significandum illum in Christo quieuisse.

Tertiò sepeliuntur corpora fidelium in sepulchro benedicto ad fidem resurrectionis adstruendam; sicuti ait S. August. *de Ciuitate Dei loc. sup. cit.* quod explicari potest exemplo seminum, quæ sepeliũtur vt renascantur ad vberiorem fructum; vt autèm sic renascantur & resurgant; non in terra sterili recôdi debent, sed in solo fertili: sicuti autèm sterilitas per maledictionem inducta fuit; maledicta terra in opere tuo. *Genes. 3.* ità è contrà fertilitas per benedictionem. Dum ergò sepeliuntur corpora fidelium in sepulchro sanctificato, & terra benedicta; præsignatur, ea, in die extremo resurrectura ad immortalitatem. Vndè Apost. 1. *Cor. 15. seminatur in corruptione corpus animale, surget corpus spirituale*, & hoc idem exprimitur ab Ecclesia in orationibus, quibus fit hæc benedictio cœmeterij.

Tandèm sepeliuntur fideles in loco sacro; vt ministeri Ecclesiarum, & alij fideles ad Ecclesias, & cœmeteria confluentes, sint memores illorum in sacrificijs, & alijs diuinis officijs, & in suffragium animarum in Purgatorio existentium preces ad Deum fundant, sicuti ex multis Patribus, probat Stephan. Durant. *de ritib. eccles. lib. 1. cap. 23.*

PRÆLVDIVM III.

De virtute, & effectibus eiusdem benedictionis.

Respondeo: ex vi huius benedictionis, primò, ipsum cœmeterium, vel sepulchrum, benedictione sanctificatum præmuniri ab infestatione malignorum spirituum; nè videlicèt audeant dæmones attingere corpora ibi deposita, neuè eis abuti ad vsum magiæ, & superstitionis: hunc enim effectum à Deo precatur Ecclesia, orationibus, quibus fit hæc benedictio.

Secundus effectus eiusdem benedictionis, est specialis Dei protectio erga defunctos in cœmeterijs, & sepulchris benedictis quiescentes, qua videlicèt excitantur Sacerdotes, alijque fideles ad ferenda suffragia in auxilium eorum, ex Duranto vbi sup. & facit *cap. animæ 13. q. 2.*

Tertiò tandem iuuantur defuncti intercessione Sanctorum titularium Ecclesiarum, in quibus sepulti iacent, & aliorum Sanctorum, quorum reliquiæ ibidem seruantur: quemadmodum docet D. August. *lib. de cura pro mortuis*, & habetur *c. non. æstimemus 13. q. 2.* de qua re videri potest Lauor *var. elucub. tit. 2. cap. 5.*

DOCTRINA MORALIS,

Et dubia conscientiæ de Cœmeterijs, & Sepulturis.

DVBITATIO I.

Quid, & quotuplex sit sepultura.

Respondeo, & dico primò. Sepultura est locus, in quo defuncti corpus reconditur. Dicitur primò, est locus pro genere, in quo sepultura conuenit cum alijs habitaculis viuentium (loquimur enim de sepultura materialitèr accepta pro loco, in quo defunctus sepelitur: non pro officio sepeliendi,) reliquæ particulæ, vt patet, positæ sunt loco differentiæ, ita colligitur ex Syluestro, & alijs Summistis, *verb. sepultura*, Lauorio *lib. variarum elucub. tit. 2.* Molfesio *sum. tom. 2. tract. 13. cap. 8.* Bonacina *de contrac. disp. 3. q. 21. punc. 1.* & alijs DD. communiter *in tract. de sepulturis.*

Dico secundò: Sepultura diuiditur primò in sacram, & prophanam, sacra dicitur, quæ extruitur, & sita est in loco sacro, videlicet in Ecclesia, vel cæmeterio, & per benedictionem sanctificatur. Prophana è contra dicitur, quæ sita est in loco prophano, & benedictione caret.

Secundò diuiditur sepultura in communem, & propriam, communis dicitur, quæ destinata est in tumulum quorumcumque defunctorum, seu pro omnibus indifferentèr, vel pro populo talis Ciuitatis, vel Parochiæ. Propria è contra dicitur, quæ solùm conceditur ad vsum certæ personæ, vel familiæ, itàut alius extraneus ibi sepeliri non possit, absque consensu proprietarij. Extincta verò familia, cui facta fuit ea concessio; extinguitur ius illud, & potest ab Ecclesia, seu ab eius Rectoribus, alijs concedi, vt notat Syluest. *vbi sup. nu. 3.*

Tertiò diuiditur in perpetuam, & temporalem. Sepultura perpetua est, in qua defunctus deponitur absolutè, vt ibi perpetuò maneat, iuxta vltimam voluntatem ipsius defuncti, vel eorum, ad quos pertinet, electio sepulturæ; quarè non potest indè cadauer amoueri, nec aliò transferri, seclusa vrgenti causa. Temporalis è contra est, in qua reconditur alicuius cadauer loco depositi, vt indè

indè postea transferatur ad aliam perpetuam, ità DD. communitèr sup. cit.

DVBITATIO II.

An fideles defuncti ex praecepto sepeliri debeant in loco sacro, & qualis sit haec obligatio.

RESpondeo, & dico primò. Corpora fidelium defunctorum, lege ecclesiastica, & sub graui praecepto sepeliri debent in loco sacro; quarè grauitèr peccaret, qui aliquem piè defunctum sepeliret in loco prophano, seclusa graui, & vrgente necessitate. Dixi aliquem piè defunctum; quià moriens in peccato mortali notorio, priuatur ecclesiastica sepultura, vt infrà. Dixi extra casum necessitatis, si vel id sit impossibile, vt in naufragio; vel indeceretur periculum aliorum, vt tempore pestis.

Modò probatur conclusio, tum ex iure canonico *toto titulo de sepulturis*, & *eodem tit. in 6.* & *ex cap. Ecclesias*, & alijs *de consecrat. dist.* 1. tum ratione. Quià sepulturae sacrae, & in locis sacris institutae sunt in honorem fidelium; vt qui piè vixerunt in fide Christi, & Ecclesiae, etiam in morte ab Ecclesia excipiantur, vt in locis ecclesiasticis requiescant; quare grauis iniuria meritò aestimatur priuare aliquem ecclesiastica sepultura. Deindè, quià censetur etiam graue damnum defuncti, priuare illum commodis, & fructibus, qui percipiuntur ex sepultura in loco sacro, & benedicto; quos suprà explicauimus *praelud.* 3. ità DD. dub. 1. citati.

Dico secundò. Nomine loci sacri, vbi sepeliri debent fideles defuncti, intelliguntur Ecclesiae, vel caemeteria, auctoritate Episcopi in hunc finem benedicta; sicuti constat ex Rituali Romano, tit. de exeq.

Et quamuis in reuerentiam Ecclesiarum olim cautum fuerit, ne intrà earum ambitum extruerentur sepulturae, sed solùm in atrio, vel in caemeterio contiguo, & distincto ab Ecclesijs; vt constat ex cap. praecipiendum de consecrat. dist. 2. & alijs iuribus; nihilominùs paulatim posteà consuetudo inoleuit in oppositum; vt inter alios eruditè probat Suarez *tom. 3. in 3. p. disp.* 81. *sect.* 1. *§. secundus vsus templorum*. caeterum seruari debet debita reuerentia, & moderatio vt ità in templis construantur sepulturae mortuorum; quatenùs nec indè resultet indecentia ob foetorem, &c. neque aliorum corpora, cum Sanctorum reliquijs vllo modo permisceantur, vt ex sequentibus clarius patebit.

Colligitur primò. Neminem in Ecclesijs sepeliri posse sub Altaribus, neque sub bradellis Altarium, ex decreto Sacrae Rituum Congreg. apud Naldum, & Lezanam *verbo sepultura num.* 20. & praecipitur etiam in *Rituali Romano, tit. de exequijs* quià ibi recondi solent corpora, vel reliquiae Sanctorum. Similitèr nec construi possunt sepulturae defunctorum super terram, seù super pauimentum Ecclesiae, sed infrà ipsum in tumbis profundis; ex *constitutione Pij V. qua incipit cum primum*, & notat Lezana vbi suprà.

Colligitur secundò, sepulturas intrà Ecclesias benedictas de nouo extructas, indigere benedictione, antequàm inferantur in eas corpora defunctorum; quià nec censentur benedictae ex vi praecedentis benedictionis, qua benedicitur, vel consecratur Ecclesia, quae diuersa est a benedictione sepulchri; nec debent sepeliri fideles in sepulchro non benedicto; vndè in *Rituali Romano, tit. de exequijs circà finem*, sic habetur; *cum autèm peruenerit ad sepulchrum, si non est benedictum, Sacerdos illud benedicat, dicens hanc orationem, &c.* hoc autem intelligi non potest de sepulchro, quod excauatur in caemeterio benedicto in hunc finem; quià totum est benedictum; ergò de sepulchro, seù tumba extructa in Ecclesia, ad quam non extenditur benedictio Ecclesiae. Hinc vlterius infertur, quandò ex vrgenti necessitate corpora defunctorum sepeliri non possunt neque in Ecclesijs, neque in caemeterijs benedictis, e.g. tempore pestis, si ob decentiam benedicendae sint sepulturae; puto adhibendam esse benedictionem breuem in Rituali assignatam loco citato; non verò benedictionem caemeterij, quod benedicitur, vt perpetuò sit locus sacer, & conuerti non potest in vsus prophanos, vt magis patebit ex dicendis in sequenti coroll.

Colligitur tertiò: Caemeteria benedicta, & destinata in sepulturam fidelium debere esse extructa apud Ecclesias consecratas, vel benedictas, & ipsis contiguas; vel saltèm non longè dissita, & omninò propè Ecclesias; quae sunt partes accessoriae, atque adeò habent cum Ecclesijs necessariam connexionem, & ab illis dependent. Hinc in hospitali non habente Ecclesiam, non potest esse caemeterium; econtrà apud Regulares potest constitui caemeterium siuè in claustro, siuè in capitulo, vel alia parte Monasterij; quià totum monasterium censetur annexum Ecclesiae, & accessorium ad illam, vt cum alijs notat Lezana *qq. RR. verbo. sepultura nu.* 3.

Colligitur quartò. Non posse defunctos sepeliri in Ecclesia polluta, seù violata, aut localitèr interdicta, & idem est de caemeterio polluto, vel interdicto; quià tunc se habent ac si non essent loca sacra, & positiuè obstat iuris prohibitio; vide Layman *lib. 5. tract. 5. cap. 5. nu.* 11.

DVBITATIO III.

In quanam Ecclesia, & in quo determinato sepulchro debeat sepeliri defunctus.

RESpondeo, & dico primò, is, qui viuens sibi elegit sepulturam, humari debet in ea Ecclesia, & in eo loco, quem sibi elegit propria voluntа-

luntate; cui standum est, vt constat ex *cap. 1. & seq. de sepulturis, cap. is qui, & cap. licet eodem tit. in 6.*

Dico secundò. Decedentes non facta electione sepulturæ, sepeliri debent in sepulchro parentum, seu maiorum suorum; quod si illorum maiores sepulturam non habeant, humari debent in propria Parochia; ità expressè cautum est iuribus citatis in prima conclus. & docent communitèr DD. Syluest. Moisés. Lezana, Bonac. & alij *dub. 1. cit.*

Colligitur primò; si quis sepulturam elegisset, & postea electionem reuocasset, eum sepeliri debere in sepulchro maiorum, vt supra, & hoc non existente, in propria Parochia; quià perindè est, ac si sepulturam non elegisset, DD. citati, idemque dicendum, si Ecclesia electa sit interdicta.

Colligitur secundò: Aduenas, & peregrinos decedentes extrà proprium domicilium, non facta electione sepulturæ, transferendos esse ad sepulchra maiorum suorum, vel ad propriam Parochiam, si commodè fieri potest; alioqui sepeliri debent in Ecclesia parochiali illius loci, in quo decedunt; vel in Ecclesia Cathedrali eiusdem loci, ità citati DD. & secundùm aliquos præfertur Cathedralis. Alij asserunt esse locum præuentioni, Gauantus in *Enchir. verbo sepultura nu. 35.*

Colligitur tertiò. Sepulchrum maiorum dici illud, quod est proprium familiæ, seù parentum defuncti, videlicèt ex parte Patris; & propriè intelligitur de sepulchro patris, & aui. Quod si auus sepultus fuerit in vno sepulchro, & pater in alio, variant DD. Aliqui enim dicunt, defunctum (non facta electione) sepeliri debere cum auo; alij contrà cum patre, vtrique probabilitèr, & hoc re videri potest Syluest. *verbo sepultura q. 8.* & Diana *par. 5. tract. 3. resol. 108.*

Colligitur quartò: Vxorem, non facta electione sepulturæ, humari debere in sepulchro viri: quod si plures habuerit, sepeliendam esse cum vltimo, ex cap. is qui, §. mulier de sepult. in 6. vbi autem sepeliri debeant Episcopi, Canonici, & alij, videri poterit apud citatos Auctores.

Obseruandum tamen est, quod cadauera morientium in Ciuitate, & Diœcesi Neapolitana sine electione sepulturæ, bedent ex priuilegio concesso Capitulo Neapolitano a Bonifacio P. 11. Kal. Martij 1403. sepeliri in Ecclesia S. Restitutæ, & eorum exequiæ spectant ad Capitulum, & Papa testatur de antiqua consuetudine sibi nota in Minoribus, verum in anno . . per decretum Sac. Congreg. Eminentiss. Dominorum Cardinalium fuit declaratum, quod non intelligatur de illis, qui habent sepulturam propriam, vel parentum, etiam in vxore cuius vir habeat sepulturam propriam, & quod pro exequijs, & funeralibus prædictorum morientium sine electione sepulturæ, Capitulum valeat exigere taxam factam per Curiam Archiepiscopalem Neapolitanam, quæ est duc. 18. 1. 15. vt per decretum Curiæ Archiep. & quod pro electione facta stetur dicto proprio Parochi cum iuramento, vel duorum testium similiter cum iuramento, vt est videre ex quad. copia, quæ conseruatur in archiuio Capituli Neap.

DVBITATIO IV.

Quinam possint sibi eligere sepulturam.

Respondeo. Hoc ius eligendi sibi sepulturam competere cuilibet fideli vtriusque sexus (exceptis Religiosis professis) modo eligens pubes sit, & sanæ mentis, etiam si quis sit filius familias, vel seruus. Ratio est, quia in spiritualibus cessat patria, vel dominatiua potestas; ius autèm eligendi sepulturam spirituale est; atque ita manifestè colligitur ex *cap. licet de sepult. in 6.* & docent Syluest. *verbo sepultura q. 6.* & alij Summistæ, & DD. sup. citati. Excipiuntur vero Religiosi *ex cap. Religiosi de sepult.* quià ratione voti obedientiæ non habent, nec velle, nec nolle, & sepeliri debent in suis Monasterijs, ex cap. citato; impuberibus autèm obstat imbecillitas ætatis; vt mox dicemus dub. seq.

DVBITATIO V.

Quis possit eligere sepulturam pro alio.

Respondeo. Pro filio impubere potest pater eligere sepulturam, ex *cap. licet de sepult. in 6.* vbi id consuetudo obtinuit; vel vt loquitur Syluest. *ver. sepultura q. 7.* nisi consuetudo contraria obstet. Communitèr autèm viget talis consuetudo in fauorem patriæ potestatis. Ratio est, quià impuberes ob immaturum rationis iudicium sibi conuenientèr prouidere non valent. Quod etiam DD. extendunt ad Dominum, respectu serui impuberis, ob paritatem rationis.

Limitant verò, vt pater possit pro filio impubere sepulturam eligere ante mortem filij; non verò post mortem, ex *quodam Decreto Sac. Congr. Episc. sub die 27. Octob. 1587.* quod refert Diana *par. 5. tract. 3. res. 107.*

Vtrum autèm idem dicendum sit de matre, de auo, de tutore, & alijs; negant communitèr DD. cum Syluest. loc. supra citato, & videri potest Diana *vbi sup. resol. 108.* quià iura solùm loquuntur de patre.

DVBITATIO VI.

Quandò sepeliri debeat fidelis defunctus, & an statim post mortem.

Respondeo. Circà dubium propositum sic statui in Rituali Romano tit. de exequijs. Nullum corpus sepeliatur (præsertim si mors repentina fuerit) nisi post debitum temporis interuallum;

lum; vt nullus omninò de morte relinquatur dubitandi locus. Quantum verò spatium sit interponendum à puncto mortis, non est determinatum iure communi. Cæterum in Concilio Prouinciali Mediolanensi 6. statutum fuit, nè efferantur mortui, nisi post duodecim horas ab obitu: qui verò repentina morte obeunt; non antè horas viginti quatuor. E contra verò ex *decreto S. Congreg. Episcop. sub die 6. Maij 1617.* non debet nimium retardari sepultura defuncti sub quouis prætextu; præsertim cum eius dedecore; nec impediri potest à creditore defuncti, vt fusiùs tradunt Molfes. Lezana, Bonacina, & alij, loc. sup. cit.

DVBITATIO VII.

Quibus incumbat onus curandi, vt defunctus sepulturæ tradatur: & qualis sit hæc obligatio.

RESpondeo, & dico primò: Hoc onus ex officio, & consequentèr ex iustitia, & tacito contractu incumbit hæredibus defuncti, ad quos bona defuncti perueniunt; quarè ab ipsis fieri debent expensæ funeris, ex *l. 1. ff. de Relig. & sumptibus funerum.* Deindè ex virtute pietatis idem onus incumbit patri respectu filiorum: & econtra, & viro respectu vxoris non habentis dotem. Quia prædicti tenentur illis subuenire in rebus necessarijs: Sepultura autèm est necessaria defuncto, ità Syluester *verbo sepultura*, & alij Summistæ eodem verbo.

Dico secundò. Quandò defunctus est pauper, nec relinquit bona, ex quibus fieri possint expensæ funeris (deficientibus eius propinquis) tenetur quicunque eo modo, quo potest opera, vel pecunia curare, vt illius corpus sepulturæ tradatur, quia tunc censetur defunctus in extrema, vel valdè graui necessitate constitutus: in quo casu tenetur quilibet pro suo posse, & sub graui peccato ad opera misericordiæ: inter quæ meritò numeratur, sepelire mortuos: & quidèm censetur magna miseria carere sepultura, ità cum Bannes, Turriano, Layman, & alijs docet Bonacina *d. de cal. disp. 3. q. 4. pun. 6. n. 1.*

In primis verò curare debet Parochus illius Parochiæ, in qua huiusmodi pauper decedit, nè suo muneri desit, & absque stipendio persoluat illud charitatis officium, quod alijs exhibere solet accepto stipendio; idemq; dicendum de alijs Sacerdotibus, vel eiusdem Ecclesiæ Parochialis, vel aliarum, qui prædictæ grauis necessitatis notitiam habent. Quocircà ità monet Rituale Romanum *tit. sepiùs citato de exequijs.* Pauperes verò, quibus mortuis nihil, aut ità parum superest, vt proprijs impensis humari non possint: gratis omninò sepeliantur, & debita lumina suis impensis, si opus fuerit, adhibeant Sacerdotes, ad quos defuncti cura pertinet, hactenùs Rituale.

DVBITATIO VIII.

An locus sepulturæ vendi possit.

RESpondeo, & dico primò. Si vendatur locus sepulturæ in Ecclesia, vel Cœmeterio benedicto, quatenùs est locus sacer; ità vt aliquid accipiatur vltrà æstimationem loci materialis ratione benedictionis, seù consecrationis, manifestum est, committi graue peccatum sacrilegij, & simoniæ contrà ius diuinum naturale; quia venditur spirituale pro temporali, in quo consistit malitia simoniæ, & docent communitèr DD. in *tract. de simonia.*

Dico secundò, Si vendatur locus sepulturæ ratione materiæ; seù terræ, & soli materialis; quamuis stando in solo iure naturali id non esset illicitum sub hac præcisa ratione vendere calices &c. Nihilominùs est illicitum, quia prohibitum; & committitur simonia iuris ecclesiastici, vt constat ex *cap. Abolendæ de sepul. cap. non satis, & cap. audiuimus de simonia.* Sic autèm specialitèr in hac materia cautum fuit, quia maius erat periculum aliquid plus exigendi ratione consecrationis, ità Sanchez *in opusc. lib. 2. cap. 3. dub. 14.* Layman *lib. 4. tract. 10. cap. vlt. nu. 36.* Bonacina *de simonia q. 4. §. 6.* & alij, quos citat Lezana *qq. RR. verbo sepultura num. 14.*

Colligitur primò; non esse illicitum, vendere locum profanum; vt ibi deindè construatur cœmeterium; sicut potest vendi terra, in qua Ecclesia erigenda est, quia nulla obstat prohibitio, & iura citata loquuntur de loco sepulturæ in cœmeterio iàm benedicto, &c. ità DD. cit.

Dico tertiò. Licitum est pro loco sepulturæ aliquid accipere, non vt pretium ipsius loci, vt suprà, sed sub alijs honestis titulis, videlicèt, primò accipi aliquid potest pro fabrica Ecclesiæ; decens est enim, vt defuncti, qui templum inhabitant, ad eiusdem templi fabricàm, seu reparationem contribuant. Secundò pro sustentatione Ministrorum Ecclesiæ, quorum ministeria resultant in vtilitatem, & suffragia defunctorum; qua ratione exiguntur eleemosynæ, siuè stipendia pro Missis. Tertiò potest aliquid exigi pro loco honoratiori sepulturæ; quia honor huiusmodi est quod temporale, pendens ex hominum æstimatione; & per accidens coniungitur rei spirituali; & ideò vendi potest. Quartò licitum est pretium accipere pro iure perpetuo sepulchri, seù pro obligatione, qua se adstringunt Rectores Ecclesiæ non inferendi aliquem in tale sepulchrum præter emptorem, & successores, &c. quia hæc obligatio quid temporale est. Quintò, ratione consuetudinis legitimæ præscriptæ potest exigi pretium pro loco sepulturæ, quia cum vendere terram, seù locum materialem, non sit contrà ius naturale, sed merè ecclesiasticum; hoc potest contrario consuetudine abrogari, ità Sanchez loc. sup. citato, Naldus, Io. de Cruce, & alij apud Lezanam sup. nu. 14.

Colligitur. Licitè vendi, & emi cappellas Ecclesiæ, seù loca ad construendas cappellas; tum quia

quia non venditur præcisè locus sepulturæ, de quo extat prohibitio, tum quia venditur ius perpetuum, & obligatio, ne alius extraneus ibi sepeliri possit, DD.cit.

DVBITATIO IX.

Qualitèr sit prohibitum Clericis inducere aliquem ad eligendam sepulturam in suis Ecclesijs.

RESpondeo. Prohibitum esse, tum Clericis Secularibus, tum omnibus Regligiosis aliquem inducere ad vouendum, iurandum, vel promittendum, vt apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel iàm electam non mutent, quæ prohibitio grauis est sub interminatione maledictionis æternæ, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Papæ reseruatæ; sicuti constat *ex cap. 1. de sepult. in 6. & ex Clem. cupientes de pœnis*. Quod cautum fuit ad reprimendam auaritiam Ecclesiasticorum, & tollendas causas discordiarum inter eos, de qua re videri possunt Rodriquez *qq. RR. q. 85.* Suarez *de censuris disp. 22. sect. 4.* Bonacina *de censuris in particulari tom. 3. disput. 2. q. 5.* Pasqualigus *decis. 373.* Lezana *verbo sepultura num. 6.*

Colligitur primò, non esse transgressores huius constitutionis eos, qui simplicitèr aliquem inducunt ad electionem sepulturæ absque voto, vel iuramento, & absque promissione: quià constitutio loquitur de inducentibus ad vouendum, &c. ità Pasqualigus Lezana, & alij citati.

Colligitur secundò. Nec sub dicta prohibitione comprehendi eos, qui aliquem inducunt, & suadent, vt eligant sepulturam in testamento, vel codicillo, quià testamentum non est Promissio, nec votum, & semper in vita reuocari potest, Lezana suprà cum alijs citatis.

Colligitur tertiò. Nec comprehendi inducentes ad electionem sepulturæ in alienis Ecclesijs, etiam sub iuramento, &c. quià constitutio loquitur de inducentibus ad electionem prædictam in proprijs Ecclesijs ipsorum inducentium, DD. citati.

Colligitur quartò ad incurrendas pœnas latas in transgressores satis esse secutum fuisse votum, vel iuramentum, aut promissionem ex vi inductionis; nec requiri effectum sepulturæ, DD. citati.

DVBITATIO X.

An sit prohibitum exhumare corpora defunctorum, & ea transferre de loco in locum.

RESpondeo affirmatiuè, nisi ex rationabili causa id fiat, & de licentia Episcopi, vt constat ex *cap. corpora Sanctorum de consecrat. dist. 1.* Ratio assignari potest, tum ex parte defuncti, qui talem sepulturam elegit absolutè, & in perpetuum; nec licitè absque vrgenti causa eius vltima voluntas commutari potest. Tum ex parte Ecclesiæ, cui acquisitum est ius seruandi in tali loco illud corpus; quod violari non potest. Tum denique ad vitandos abusus; qui facilè sequi possent, ita Lezana cum alijs, *verbo sepulturam num. 21.* & Diana *p. 3. tract. 2. resol. 120.*

Colligitur primò. Prohibitionem explicatam non habere locum quoad corpora defunctorum, quæ ad tempus, & loco depositi alicubi humantur: nec quandò vrgens, & rationabilis causa id suadet, e.g. si Ecclesia, vel capella renouari debeat; quià in his casibus cessant rationes suprà adductæ, DD. cit.

Colligitur secundò. Non posse Regulares permittere exhumari cadauera sepulta in suis Ecclesijs, vt recognoscantur à Curia seculari, sed requiri necessariò licentiam Episcopi, ad quem pertinet examinare causam exhumandi corpora defunctorum, atque ità fuisse decisum a Sac. Congreg. refert Lezana vbi suprà.

DVBITATIO XI.

Quibus deneganda sit ecclesiastica sepultura.

RESpondeo, Iure canonico, nonnullos malefactores priuari post mortem ecclesiastica sepultura in pœnam suorum scelerum, & præsertim impœnitentiæ finalis. Quarè ex graui, & rigoroso præcepto, & sub grauibus pœnis prohibetur parochis, & alijs Rectoribus Ecclesiarum, ne permittant eorum corpora sepeliri in locis sacris. Qui autèm sint huiusmodi delinquentes, quos Ecclesia sic excludit à sepulturis sacris, breuitèr notantur in Rituali Romano his verbis. *Ignorare non debet Parochus, qui ab Ecclesiastica sepultura ipso iure sunt excludendi, nè quemquam ad illam contra sacrorum canonum decreta vnquam admittat.* Negatur autem.

Primò. Paganis, Iudæis, & omnibus infidelibus, Hæreticis, & eorum fautoribus, Apostatis a Christiana Fide, Schismaticis, & publicis excommunicatis maiori excommunicatione, interdictis nominatim, & ijs, qui sunt in loco interdicto, eo durante.

Secun-

Secundò seipsos occidentibus ob desperationem, vel iracundiam, (non tamen si ex insania id accidat) nisi ante mortem dederint signa pœnitentiæ.

Tertiò Morientibus in duello, etiam si ante obitum dederint pœnitentiæ signa.

Quartò. Manifestis, & publicis peccatoribus, qui sine pœnitentia perierunt.

Quintò, Ijs, de quibus publicè constat; quod semel in anno non susceperit Sacramenta confessionis, & communionis in Pascha, & absque vllo signo contritionis obierunt.

Sextò. Infantibus mortuis absque baptismo. Vbi verò in prædictis casibus dubium occurrerit ordinarius consulatur. Hactenus Rituale Romanum sub *tit. de exequijs*, vt autem aliquo modo innotescat, quid resoluendum sit in casibus dubijs; breuitèr hic aliqua duximus adnotanda in benigniorem partem ex probabili Doctorum sententia.

Circa primum aduerte, excommunicatum toleratum ex probabili sententia posse admitti ad sepulturam ecclesiasticam; quamuis publicè de excommunicatione constet. Hæretici verò, vt ea priuentur, non est opus denunciatione; sed satis est manifestè constare de delicto hæresis.

Circa secundum aduerte, eum, qui reperitur laqueo suspensus, vel in puteo suffocatus; tunc priuandum esse ecclesiastica sepultura; quandò constat seipsum occidisse. Quod si sint coniecturæ, quod ab alio fuerit occisus; vel quod ex insania se ipsum occiderit priuari non debet. Hinc si sic repertus, spectatæ probitatis, aut Religionis fuerit; vel ob antecedentem melancholiæ morbum furori, & amentiæ, eum fuisse obnoxium viri prudentes testentur; excludi non debet ab ecclesiastica sepultura; quia in dubio non est præsumendum delictum, præsertim tam atrox; & a natura alienum. Tandèm non rarò accidit, vt aliquis in puteum cadat; non a seipso voluntariè præcipitatus; consequentèr in tali dubio, defunctus excludi non debet a loco sacro; sicut nec ille, qui antequàm expirauit signa contritionis dedit, de quibus præter Dianam infra citandum, videri potest Layman *lib. 3. tract. 3. p. 3. cap. 1.* vbi de homicidio sui ipsius.

Circa tertium aduerte, eum, qui vulneratus in duello, posteà moritur domi, vel extrà locum duelli, iuxta probabilem nonnullorum sententiam sepeliri posse in loco sacro, quià non dicitur in omni rigore mori in duello.

Circa quartum aduerte; aliquos Doctores apud Dianam infrà sentire, peccatorem publicum, quandoque sepeliri posse in loco sacro; quamuis externa contritionis signa non dederit; quia fieri potest, vt decesserit in gratia per contritionem internam, sed meo iudicio, requiritur necessariò aliqua coniectura internæ contritionis.

Circa quintum aduerte, contingere posse, vt quis confessus fuerit occultè cum Religioso, vel alio dilata in posterum communione; atque adeò si hoc sit verisimile, hunc non esse priuandum ecclesiastica sepultura.

Circa vltimum, aduerte, infantem baptizatum baptismo dubio; ex quocunque capite oriatur dubium, sepeliendum esse in loco sacro. Atque hæc satis sit, breuitèr hic adnotasse; quæ fusiùs explicata videri possunt apud Dianam; & Doctores, quos ipse allegat, & compendiosè collecta, legi possunt in summa Dianæ, verbo *sepultura in loco sacro num. 1. & seq.*

SECTIO XII.

De Benedictione Campanarum, deque signis Salutationis Angelicæ, & orationis pro Defunctis.

PRÆLVDIVM I.

De origine, & caussis Benedictionis Campanarum.

RESPONDEO, & dico primò: De origine campanarum sic scribit Gulielmus Durandus in *Rationali lib. 1. cap. 4. num. 1.* campanæ sunt vasa ænea in Nola Ciuitate Campaniæ primò inuenta: maiora itaque vasa campanæ a campaniæ regione; minora verò Nolæ a Nola Ciuitate dicuntur. Consonat Vualfridus Strabo *de rebus Ecclesiæ cap. 5.* & communitèr asserunt S. Paulinum Episcopum Nolanum, antè mille ab hinc annos campanas instituisse ad conuocandum populum ad Ecclesias; sicuti inter alios notant Delrius *disquisit. magic. lib. 6. cap. 3.* & Stephan. Durant. *de ritib. Eccles. lib. 1. cap.* 22. Hæc autèm meo iudicio intelligi debent de campanis secundùm hanc formam ampliorem, & magis exquisitam, sub qua modo sunt in vsu, vt S. Paulinus primò eos introduxerit in Ecclesijs Christianorum. Cæterùm constat simplicitèr, earum originem esse lòngè antiquiorem; siquidèm tum in veteri testamento apud Hæbreos, fit mentio de tintinnabulis, quæ ex præcepto Dei appensa esse debebant vestibus Summi Sacerdotis, vt audiretur sonitus, quandò ingressurus erat Sanctuarium; vt patet *Exod.* 39. & *Eccles.* 45. Tum apud Gentiles antè Christi aduentum frequens erat vsus campanarum, sicuti apertè testantur Strabo *lib. 14. Geograph.* Suetonius in August. Dio *lib. 5. cap. 4.* Plinius *lib. 3. cap. 13.* Polidorus *de Dijs Gentium*, & alij. Referunt enim prædicti Auctores, solitos fuisse Gentiles sono campanarum conuocare populum ad termas, & balnea, ad mercatus, ad triumphos, ad superstitiosa sacrificia, &c.

Quoniàm verò campanæ sunt instrumenta valdè apta ad conuocandum populum, cumque monendum de aliqua publica functione; meritò apud

Christianos inoleuit solemnis consuetudo constituendi campanas in omnibus ferè Ecclesijs, quorum sono, connocarentur fideles ad sacra peragenda, ad audiendam sacram concionem, & similes ecclesiasticas functiones exercendas. Insuper benedictione sanctificantur; vt eas veneremur, tanquam sacra Ecclesiæ instrumenta, & eorum signis auditis, maiori promptitudine ad Ecclesias conueniamus; & deuotiùs oremus; Ritus autèm benedicendi campanas facilè credi potest ortum habuisse a D.Paulino, (quod fortè voluerunt Authores initiò citati;) cumque postea a Summis Pontificibus ad meliorem formam redactum, ad omnes Prouincias Christiani orbis deriuasse. Portò de campanis fit mentio in *cap.in causis de elect. cap. Ioannes de homicid.* & alijs; & earumdem meminit Beda *lib.4.histor. Anglicanæ cap.23.* Alcuinus *de diuin. offic. cap. quid significent &c.* Amalarius *de eccles. offic. cap. 1.* alijque interpretes diuinorum officiorum.

Dico secundò. Materia huius benedictionis sunt vasa ænea prædicta, quæ campanæ dicuntur. Causa formalis consistit in titibus, & precibus, quibus fit benedictio, prout in Pontificali Romano. Minister est Episcopus, vel Abbas consecratus. Tandèm causa finalis est conuocatio, tum Cleri, tum populi ad diuina officia, & sacras functiones; sicut olim in veteri testamento inuitabatur populus ad assistendum sacrificijs tubarum sonitu: quarum formam exprimit Iosephus *lib.3.antiquitatum cap.11.* dicens, eas desinere in extremitatem campanellæ similem.

PRÆLVDIVM II.

De Mysterijs, & Documentis eiusdem benedictionis, & Sacrarum Campanarum.

PRimò, & principalitèr sacræ campanæ sunt tubæ sonoræ Ecclesiæ militantis, seu fidelium Christi militum, certantium contra diabolicas potestates; quorum supremus Dux est Christus; quique habent Crucem pro vexillo, & campanas pro tubis ad terrendos, & fugandos dæmones, ità Durandus *in Rationali lib.4.cap.6.num.19.*& *lib.1. cap.4.* consonat Stephan.Durant.*de ritib.eccles. lib.1.cap.23.* Tandèm in Concilio Colon.*cap.14.* sic expresse habetur. *Benedicuntur campanæ, vt sint tubæ Ecclesiæ militantis, quibus vocetur populus ad conueniendum in templum, & audiendum verbum Dei; & vt dæmones terreantur.*

Secundò: Campanarum sonus, designat voces Prædicatorum; ipsæ enim campanæ, mysticè significant ora concionatorum, & earum plectrum, linguam prædicantium doctrinam Christi; Prædicator ergò Euangelicus similis debet esse campanæ, videlicèt, vt eius vox fit tanquam sonus æris, vehemens in redarguendis vitijs; sonora, & suauis in persuasione virtutum; vndè Apostolus *argue, obsecra, increpa in omni patientia, &c.* Itèm campanæ, quæ sunt tubæ noui tastamenti fiunt ex ære ad differentiam tubarum veteris testamenti, quæ erant corneæ; quià prædicatores noui testamenti solidiores esse debent, & constantiores in afferenda veritate, sicut æs solidius est cornu, atque longiùs, latiùsque eorum voces diffundi debent, iuxtà illud psalmi: In omnem terram exiuit sonus eorum sicut sonus æris fusiùs diffunditur, quam sonitus cornu. Olim enim tantum in Iudæa notus erat Deus; post prædicationem vero Euangelij per totum orbem adoratur, ità vterque Durandus loc. sup cit. Amalarius *lib.3.de eccles.off.*& alij interpretes Sacrorum Rituum.

Tertiò: Sacræ campanæ collocantur super turres, vt indè meliùs, & altiùs resonet; quod etiam benè aptatur prædicatoribus Euangelicis. Nam Turris ex D.Ambrosio *lib. 11.in Lucam*, verticem legis significat, idest loca sublimiora, & magis proficua Sacræ Scripturæ; prædicator ergò euangelicus, tanquam sacra campana ex alta Turri resonare debet; quià debet ex Sacra Scriptura suos conceptus depromere, explicando sublimem, & cœlestem doctrinam sacrorum librorum, & non conuerti ad vanas fabulas poetarum. Hinc Petrus *ep.2.cap.1.* non doctas fabulas sequuti; notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem; sed speculatores facti illius magnitudinis, & ex voce de Cœlo allata, &c.

Tandèm campana iuxtà motum funis, qui trahitur sonum edit maiorem, vel minorem; funis autèm significat mensuram vitæ singulorum ex Durando in *Rationali loc.cit.* quo typo exprimitur debere prædicatorem aptare sonum suæ prædicationis, iuxtà mensuram, & conditiones vitæ, & morum audientium, redarguendo vitia & peccata, quæ magis vigent in audientibus. Hinc *Isaias 58. Clama ne cesses, annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum*, Durand. vbi sup.

PRÆLVDIVM III.

De virtute, & effectibus eiusdem benedictionis, & Sacrarum Campanarum.

REspondeo: Campanas benedictas, seu consecratas, ratione benedictionis habere virtutem sono suo.

Primò fugandi, & profligandi dæmones: quià cum campanæ ex supradictis sint tubæ Regis superni, dæmones earum sonum timent, & expauescunt, sicut tyrannus valdè timet auditis tubis veri Regis contrà se venientis; ita ex Concilio Coloniensi suprà citato, docent communitèr Auctores allegati *prælud. 1.* & ex Neotericis Delrius *disquis.magic.lib.6.cap.3.* vbi refert ex actibus iudiciarijs inquisitorum Fidei constare, maleficos fateri, si quando a Diabolis feruntur ad fœdos conuentus;

vel

vel indè domum referuntur ad sonum alicuius sacræ campanæ, ipsos dæmones fugere, relictis maleficis.

Secundò valet sonus campanarum ad sedandas tempestates, ad depellendas grandines, & procellas turbinum, &c. præsertim quandò a diabolis excitantur, qui dicuntur spiritus procellarum : vndè falluntur asserentes discuti procellas vi naturali sonitus aerem dissipantis, sicuti asserit Petrus Mexia cum alijs, quos citat Delrius suprà citatus. Verè enim id tribuendum est virtuti supernaturali, & efficaciæ benedictionis, ex meritis, & impetratione Ecclesiæ; sicuti colligi potest ex orationibus, quibus fit benedictio, & docent vterque Durandus vbi sup. Delrius loco citato, Barbosa *de potest. Episcop.p.* 2.*alleg*. 27. cum alijs, quos citat.

Tertiò: Sacrarum campanarum sono, crescit in populis deuotio ex gratijs excitantibus in hunc finem, per merita Ecclesiæ a Deo collatis, quarè dum auditis campanarum signis promptè accurrunt fideles ad diuina officia, ad audiendum Sacrum, &c. facilius superant dæmonum tentationes, feruentiùs orant, & efficacius obtinent, quæ postulant a Deo ex meritis, vt dicebamus, & intercessione Ecclesiæ, quæ in orationibus, quibus fit benedictio campanarum prædictos omnes effectus suis fidelibus à Deo precatur his verbis, inter alia, *vt cum melodia campanarum auribus insonant populorum, crescat in eis deuotio Fidei; procul pellantur insidiæ inimicorum, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum, &c.*

DOCTRINA MORALIS.

Et dubia conscientiæ de eadem benedictione, de licito campanarum vsu; deque signis Salutationis Angelicę, & Orationis nocturnæ pro mortuis.

DVBITATIO I.

An Abbates præsertìm Regulares possint benedicere campanas, non solum ad vsum suarum Ecclesiarum, sed etiam alienarum.

PRima sententia sustinet: Abbates prædictos non posse benedicere campanas, neque alia vasa, vt calices, &c. nisi ad vsum suarum Ecclesiarum, non aliarum; & probant ex *cap. Abbates de priuileg. in 6.* ita Suarez *de Relig. tom.* 4. *lib.* 2. *cap.* 30. Maceratensis *lib.* 2. *ref.* 112. Ricciùs Piasec. & alij. Quæ sententia vera est stando in iure communi. cæterùm inspectis specialibus priuilegijs Regularium, oppositum est veriùs.

Secunda ergò sententia probabilior docet, Abbates habentes vsum mitræ, & baculi pastoralis, absolutè posse benedicere campanas, & calices, &c. etiam ad vsum aliarum Ecclesiarum ex priuilegio Innocentij Octaui, Vrbani Secundi, & Pauli Tertij, quorum tenores refert Tamburinus *de iure Abbatum tom.* 1. *disp.* 23. *q.* 13. & docent etiam Barbosa, Miranda. Portel, & alij, quos affert, & sequitur Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 15.

DVBITATIO II.

An sit licitum pulsare sacras campanas in signum prophanæ solemnitatis, vel functionis.

E. G. An licitè pulsentur campanæ ad conuocandum populum ad comædias, ad ludos ad balnea, &c.

Respondeo negatiuè. Probatur, quià res sacræ, & benedictione sanctificatæ non possunt licitè adhiberi ad vsus profanos, vt suprà dicebamus *tit.* 1. *sect.* 7. *dub.* 4. Itèm non licet vti rebus benedictis, nisi in ordine ad finem, & effectus, ad quos ab Ecclesia per benedictionem destinantur; sed benedictio campanarum fit in ordine ad functiones spirituales, & ecclesiasticas, ex dictis supra in præludijs; ergò, &c. ità ex communi DD. sententia docet Syluius in *resol. var. verbo campanæ.*

Quale autèm peccatum sit prædictus campanarum abusus in ordine ad spectacula prophana; crederem non esse peccatum mortale, sed veniale, secluso scandalo, vel contemptu; quià non apparet, nisi quædam indecentia, sicuti diximus *tit.* 1. *sect.* 7. *citata*.

Colligitur primò, licitè, & laudabilitèt pulsari sacras campanas in signum diuinorum officiorum, & festiuitatum Sanctorum, ad depellendas procellas, & similes effectus explicatos præl. 3. ad quos verè dirigitur earum benedictio, & explican-

tur illis versibus approbatis a Glossa in *extrauag. de offic.custodis cap.1.*

Laudo Deum verum, plebem voco, congrego Clerum.
Defunctos ploro, nimbum fugo, festaque honoro.

Colligitur secundò non esse reprehendendam, sed potiùs retinendam consuetudinem pulsandi campanam aliquam benedictam, in signum, quod aliquis mal. factor sit morte plectendus: quià tunc sonus campanæ dirigitur ad excitandum populum ad fundendas pro eo orationes ad Deum, & pro illius transitu in gratia, sicuti contra Syluium suprà citatum, rectè probat Diana *p. 6.tract.7. resolut.37.* sicut enim licitè, & laudabilitèr pulsantur sacræ campanæ in exequijs defunctorum, vt excitentur fideles ad orandum pro ipsis; ità paritèr in casu nostro.

Colligitur tertiò: Conuenientèr etiam pulsari campanas in signum lætitiæ, & honoris in aduentu Episcopi, vel etiam Principis secularis, quià id fit, vt excitentur populi ad gratiarum actiones pro eorum incolumitate; & ad impetrandum à Deo bonum regimen; sicuti notant Ostiensis, Zabarela: & alij Canonistæ in *cap.1.de offic.custod.*

DVBITATIO III.

Quibus temporibus sit prohibitus campanarum sonus.

RESpondeo, & dico primò: Tempore interdicti localis, quandò non possunt in Ecclesijs loci interdicti celebrari publicè diuina officia, prohibitus est sonus campanarum: tum in signum mæstitiæ, & detestationis delicti, quod fuit causa interdicti: tum quià cessat finis conuocandi populum ad officia diuina. Ita præcipitur in *cap. Alma mater de sent.excom.in 6.* Quarè cum hæc prohibitio grauis sit, & ordinata ad grauem finem conseruationis disciplinæ ecclesiasticæ, & rigoris censurarum; non excusantur a peccato mortali pulsantes campanas eo tempore contra præceptum Ecclesiæ. Ità DD. communitèr de interdicto, & Syluest. cum alijs Summistis *verbo interdictum 5.q.5.* Vbi idem Syluester notat, non prohiberi sonum campanarum ad consueta signa Salutationis Angelicæ ter in die, neque pro concione; quæ tunc licita est; neque in signum horarum, videlicèt in horologijs, quia prædicta signa non aduersantur præcepto prohibenti sonum campanarum pro diuinis officijs, & in signum lætitiæ.

Dico secundò: In triduo maioris Hebdomadæ, quandò celebrantur mysteria passionis, & mortis Christi, silere omninò debent a principio Missæ feriæ 5. in Cœna Domini vsque ad Missam Sabbati Sancti exclusiuè. Ratio est, quia sonus campanarum communitèr, est signum lætitiæ; & idcircò prohibetur eo tempore, quo Ecclesia est in luctu, & mœrore ob Christi mortem. Deindè silentium campanarũ eo tempore mysticè designat silentiũ Apostolorum; qui ob timorem dispersi, & absconditi; a Christi prædicatione, & publica eius confessione cessarunt; campanæ autèm sunt symbolum prædicatorum, & publicæ Fidei confessionis, vt suprà dicebamus *prælud.2.*ità Rupert.*de diuin.offic.lib.5.cap.29.* Tandèm id fit ad intimandùm deuotionis silentium populo Christiano, in memoriam silentij ipsius Christi, qui in sua passione tanquam Agnus coràm tondente se obmutuit, & non aperuit os suum.

An autèm hæc prohibitio grauis sit, & sub peccato mortali. Videtur dicendum non constare de rigoroso præcepto; sed solùm de monitione, ex vi rubricæ directiuæ, quæ in Missali habetur. Cæterùm ratione scandali, & virtualis contemptus grauis ritus ecclesiastici vix excusaretur a peccato mortali, qui tunc data opera pulsaret campanas. Non videtur tamen prohibita signa horologij ad distinguendas, & cognoscendas diei horas; quamuis multis in locis laudabilitèr etiam tunc silere horologia soleant; standumque est consuetudini.

DVBITATIO IV.

Qualis sit prohibitio non pulsandi campanas in Sabbato Sancto, nisi post sonum Ecclesiæ Cathedralis, vel matricis.

REspondeo: Certum esse id prohiberi tum Religiosis, tum Clericis Secularibus inferiorum Ecclesiarum ex decreto hac de re edito in Concilio Lateranensi *sess.11.* sub pœna centum ducatorum contrà transgressores.

Difficultas est, an decretum huiusmodi obliget ad culpam, vel ad solam pœnam. Dicendum breuitèr est, satis esse probabile non obligare ad culpam saltèm grauem, sed ad pœnam, ex doctrina Nauarri in *manual. cap.13. num. 55.* Nàm qui ex duobus alterum tantum affirmat, videtur alterum negare, ex *l. cum Prætor, ff. de iudic. ex cap. nonnè de præsump.* ergò legis lator, qui ad pœnam æternam, & temporalem obligare potest, seu ad culpam, & ad pœnam temporalem; & solius pœnæ temporalis meminit, vt in casu nostro; non videtur intendisse obligare ad culpam; quam doctrinam plures sequuntur, vt videre est apud Dianam *p. 1.tract.10. de legibus resol. 17. & p. 10. tract. 15 res.46.*

Colligitur. Nomine Ecclesiæ matricis intelligendam esse etiam Ecclesiam Parochialem, vbi non est Ecclesia Cathedralis, vel præcipua collegialis; atque adeò non possunt ibi Regulares, & alij, neque confratriæ suas campanas in Sabbato Sãcto pulsare, antequam sonuerint campanæ Ecclesiæ Parochialis, ex decreto *Sac. Rit. Congr. 19. Feb. 1608.*

DVBI-

DVBITATIO V.

An Episcopi possint præcipere Regularibus, nè certis horis pulsent campanas suarum Ecclesiarum.

Respondeo Negatiuè. Probatur tum ex *Bulla Pij V. quæ incipit, & si mendicantes ordines*, prout in Bullario: tum ex declaratione Sac. Congreg. apud Quarantam in *sum. Bullarij*, in qua præcipitur ordinarijs, nè impediant fratres pulsare campanas ad matutinum, vel ad reliquas horas, & Missam, &c. antequàm pulsentur campanæ maioris Ecclesiæ; præterquàm in die Sabbati Sancti, ità Lezana *qq. RR. tom. 2. cap. 3. num. 43.*

DVBITATIO VI.

An sit aliqua obligatio tenendi campanas in Ecclesijs: & quot ex illis haberi possint in singulis Ecclesijs.

Respondeo, & dico primò: Retentio campanarum, siue earum vsus in Ecclesijs, non cadit sub obligatione: quia nullibi extat de hac re præceptum; neque consuetudo videtur introducta animo obligandi. Decens tamen omninò est, vt in præcipuis Ecclesijs, præsertim Cathedralibus collegiatis, & Parochialibus, sit saltèm vna campana propter fines suprà explicatos conuocandi Clerum, & populum ad diuina officia, & Missam audiendam.

Dico secundò. Quoad numerum campanarum olim a Ioanne 22. in *Extrauag. de offic. custodis, capvnico* statutum fuisse, nè Religiosi mendicantes in suis Conuentibus, vel Ecclesijs plures campanas haberent; sed vnam tantùm pro quolibet loco. Ratio vero talis decreti ibidem assignatur, videlicèt ad vitandas contentiones, & discordias, quæ ea occasione oriebatur inter Regulares, & Clericos aliarum Ecclesiarum; qui conquerebantur in sui præiudicium vergere multitudinem campanarum Ecclesiarum Regularium. Cæterum cum prædictæ extrauaganti, iàm contraria consuetudine sit derogatum; liberum est omnibus, quem voluerint campanarum numerum, in proprijs Ecclesijs retinere; videri potest Stephan. Durant. de *ritib. eccles. lib. 1. cap. 21.*

DVBITATIO VII.

An Campanilia, seù Turres, in quibus sacræ campanæ sunt collocatæ, gaudeant immunitate Ecclesiarum.

Respondeo: Quamuis aliqui simplicitèr affirment; Nihilominùs iuxtà probabiliorem, & receptam sententiam distinguendum est; atque dicendum, campanile adhærens Ecclesiæ, seù coniunctum cum fabrica Ecclesiæ, gaudere immunitate; sicut eadem gaudent aliæ habitationes Ecclesijs adhærentes, e.g. Sacristia, Monasteria Religiosorum, &c. *ex cap. si quis contumax 17. q. 4.* Si verò sit ab Ecclesia seiunctum, & dissitum; tunc solùm gaudet immunitate, quandò non distant ab ea vltra triginta passus, secus si longiori spatio sit ab Ecclesia separatum. Quià in priori casu censetur moralitèr ipsi Ecclesiæ adhærens, secus in posteriori, prout refertur fuisse decisum a Sac. Congreg. immunitatis. Ità alijs citatis Diana *p. 4. tract. 1. resol. 118.*

DVBITATIO VIII.

De signis Salutationis Angelicæ, campanarum sono, vespere, mane, & meridie dari solitis.

§. I.

De origine signorum Salutationis Angelicæ.

Respondeo: Consuetudo pulsandi campanas mane, & vespere, & dandi signa Salutationis Angelicæ, ducit originem ab Vrbano Secundo Summo Pontifice; qui hanc deuotionem instituit pro recuperatione terræ sanctæ, ex meritis, & intercessione Sanctissimæ Virginis Dei Genitricis, atque prædictis signis voluit moneri fideles ad salutandam Deiparam, & fundendas ad eam preces pro dicta recuperatione. Ità scribit Arnoldus *lib. 6. de signis Virg.*

Deinde, quià mos ille in desuetudinem abierat, renouatus fuit a Gregorio IV. *anno* 1239. simili occasione, vt fideles orarent, & implorarent patrocinium B. Virginis contra persecutores Ecclesiæ, qui tunc vigebant; sicut scribit in suis annalibus Bzonius *eodem anno* 1239.

Tandèm Calistus Tertius *anno* 1456. ad reprimendum furorem Turcarum, Regnum Vngariæ obsidentium, recurrendum esse decreuit ad eiusdem Sanctissimæ Virginis tutelam, & confirmatis prioribus signis Angelicæ Salutationis, addidit tertium signum in meridie ex eodem Bzouio anno 1456.

Cæte-

Cœterum Polidorus Virgilius *lib.6.cap.12.* scribit hunc morem dandi signa salutationis angelicæ ter in die, initium habuisse a Ioanne Vigesimo secundò, *anno* 1084. qui primò illum introduxit, in memoriam, & venerationem mysterij Incarnationis Verbi Diuini; & eiusdem Genitricis Mariæ. Quare dicendum videtur, piam, & laudabilem hanc consuetudinem, suam primam originem habuisse a Summo Pontifice, Ioanne 22. deindè variè intermissam, restitutam fuisse ab aliis successoribus modo explicato.

§. *II.*

De principali mysterio, & fine institutionis signorum Salutationis Angelicæ.

Respondeo, & dico primò: Quamuis occasio instituendi hæc signa Salutationis Angelicæ, fuerit necessitas recurrendi ad patrocinium Virginis Deiparæ in varijs tribulationibus, vt suprà dicebamus, nihilominùs finis principalis fuit iugis omnium fidelium memoria, & veneratio mysterij Sanctæ Incarnationis, & Aduentus Filij Dei in hunc mundum, propter nos homines, & nostram salutem. Itèm veneratio semper debita Sanctissimæ Genitrici eiusdem Filij Dei; vt nempè, Vitam datam per Virginem, gentes redemptæ quotidiè plauderent. In quem etiam finem in omnibus Missis, legitur in fine Euangelium S. Ioannis, & Verbum caro factum est, &c.

Dico secundò: Conuenientissimè institutum fuit, vt dentur prædicta signa ter in die, vespere, & mane, & meridie, tum, vt præcipuis diei horis ad Deum recurramus, & primum Redemptionis nostræ mysterium recolamus, ixta illud *psal.* 54. *vespere, & mane, & meridie narrabo, & annuntiabo*; quem orandi morem tribus prædictus diei temporibus commendauit SS. Hieronymus, & Augustinus in psal. citatum. Tum ob varias Doctorum sententias circa horam Annuntiationis B. V. Primum ergò signum manè datur; seu diluculo; quià Archangelus Grabriel in ipso diei crepusculo Incarnationis mysterium Virgini nuntiasse creditur, iuxtà sententiam Alberti Magni super missus est, quem sequitur Canisius de *B. Virgine lib.* 3. *cap.* 2. Secundum signum datur in meridie in memoriam mortis Christi Domini nostri, qui hora nona in Cruce expirauit, & consumauit opus Redemptionis, ob quod incarnari voluit; & idcircò simul recolitur memoria vtriusque mysterij Incarnationis, & mortis. Tertium signum datur in solis occasu; quia Christus venit, seu incarnari voluit sub mundi finem, ex eodem Canisio. *Verbum supernum prodiens, &c. venit ad vitæ vesperam.*

Melius tamen meo iudicio sentire videtur Suar. *tom.* 2. *in* 3. *p. disp.* 9. *sect.* 5. vbi asserit triplex hoc signum dari in memoriam Incarnationis Verbi Dei, prædictis horis diuersis; vel quià de hora certa Annuntiationis factæ ad Virginem; & consequentèr Incarnationis non satis constat, vel quià horæ prædictæ cum sint diei præcipuæ, magis accomodatæ visæ, sunt ad excitandum populi deuotionem per memoriam Incarnationis, & exaltationis B. V. ad dignitatem Matris Dei. Cœterùm subdit idem Suarez quoad horam Incarnationis probabiliùs videri, peractum fuisse hoc mysterium media nocte ex verbis *Sapientiæ* 8. *Dum medium silentium, &c. & nox in suo cursu medium iter perageret; omnipotens sermo tuus Domine, de Cœlis à regalibus sedibus venit.*

Confirmatur: Quià Christus natus est media nocte excommuni sensu totius Ecclesiæ; ergò eadem hora conceptus fuit in carne, & mysterium Incarnationis completum fuit, eò, quià a conceptione ad partum, nouem menses integri absque vllo defectu decurrerunt.

Nec intempestiuum, vel incongruum videri debet prædictum tempus mediæ noctis, vt tunc Angelus Virgini appareret; cum propter quietem, & silentium sit orationi aptissimum. Et certè credendum omninò est, Regiam Virginem Dauidicæ stirpis solitam fuisse, non solùm imitari ipsius Regis Dauid exemplum: quod scriptum reliquit, dicens, *media nocte surgebam adconfitendum tibi*, sed maiorem noctis partem in diuinis laudibus insumere. Tandèm idem tempus mediæ noctis congruum fuit Incarnationis mysterio; quod dicitur secretum, & absconditum, vide Suar. loc. cit.

§. *III.*

De precibus recitandis ad signa Salutationis Angelicæ: deque ritu in eis seruando.

Respondeo, & dico primò. Preces recitandæ cum dantur signa Salutationis Angelicæ, tum in Solis occasu, tum mane, & meridie, sunt ipsa salutatio angelica Aue &c. ter repetita, & antiphonæ interpositæ, cum versibus, & oratione Gratiam tuam; videlicèt, antè primam salutationem, dicitur, *Angelus Domini nuntiauit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto*. Ante secundam, *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*. Ante tertiam, *Et Verbum Caro factum est, & habitauit in nobis*. Deindè versic. *Angelus Domini*, &c. & tandèm oratio *Gratiam tuam*, &c. vt constat ex vsu fidelium.

Ter autèm dicitur *Aue* ad laudem Sanctissimæ Trinitatis; quià Incarnatio Verbi fuit opus excellentissimum eiusdem indiuiduæ Trinitatis.

Aliqui tamen, tempore paschali recitare solent Antiphonam, *Regina Cœli* &c. cum suis versibus, & oratione, *Deus, qui per resurrectionem*, &c. Cœterùm cum constet prædicta signa instituta fuisse in memoriam Incarnationis, magis conuenit recitare salutationem angelicam modo explicato, imò id necessarium videtur ad lucrandas indulgentias, de quibus infrà dicemus §. sequenti.

Dico secundò: Quoad ritum seruandum in huiusmo

iusmodi precum recitatione, sic docet Castaldus in *praxi cærem.lib. 2. sect.1.cap.4.num.* Ad tria tempora, mane videlicèt, vespere, & meridie, quibus campanarum sono, datur signum salutationis angelicæ; flexis genibus orare oportet; excepto tempore paschali, & diebus dominicis à vespere Sabbati; tunc enim iuxtà Nicenum Concilium stantes orare debemus.

In triduo veró maioris hebdomadæ; quandò campanæ silent, datur huiusmodi signum ligneo istrumento, vt notum est, An autem Ecclesiæ inferiores ad hæc signa danda expectare debeant signa Ecclesiæ Cathedralis, vel matricis, & non prævenire. Dicendum in rigore non esse obligationem expectandi; nisi fortè alicubi consuetudo oppositum introduxerit; sicuti declarauit Sac. Congregat. apud Lezanam *qq. RR. tom. 2. cap. 1. num.44.*

§. IV.

De indulgentia concessa recitantibus Salutationem Angelicam ad signa prædicta.

RÉspondeo: Fideles, qui ad signum salutationis angelicæ, quod vespere datur in Solis occasu, recitant preces supra explicatas, prætermeritum ex opere operantis lucrari, indulgentiam plenariam, ex concessione Summi Pontificis Adriani VI. qui meritò ità liberaliter spirituales diuitias dispensauit ex thesauro Ecclesiæ, ad propagandam, & augendam deuotionem fidelium erga Cœli Reginam, & Dei Genitricem, & ad conseruandam in eis memoriam Incarnationis Filij Dei. De qua indulgentia ex probatissimis Auctoribus testantur Diana *par.10. tract.16. res.1.* Lezana in *summa qq.RR.tom.3.verbo indulgent num. 20.* Layman, Escobar, & alij apud Dianam loco citato, vbi addit. Quod si quis recitauit serò salutationes prædictas in statu peccati mortalis, si postea e.g.mane redeat ad statum gratiæ, eum probabilitèr lucrari prædictam indulgentiam.

DVBITATIO IX.

De campanarum signo in suffragium Defunctorum.

CIrcà primam, vel secundam noctis horam, communitèr in Ecclesijs dari solet signum pulsibus campanarum, quo inuitantur fideles ad orandum pro mortuis, seù ad ferendum aliquod suffragium pro animabus Purgatorij, de quo breuitèr hic differendum est.

§. I.

De origine signi orationis pro Defunctis.

RÉspondeo, & dico primò: Apud veteres Scriptores non haberi mentionem aliquam de hoc signo particulari, de quo modo nos loquimur; sed solum de communi vsu pulsandi campanas in exequijs Defunctorum, de quo agit Durandus in *Rationali lib.1. cap.4.* & Stephanus Durantus *de ritib.eccelef.lib. 1.cap. 22. vbi num.4.* sic habet; *Pulsantur campanæ, ait Albertus Pius ad finem lib. 7. in exequijs defunctorum; vt excitentur ciues ad præstanda officia defunctis, eorum opem implorantibus; ac si dicerent: Miseremini mei, &c.* Beda *lib. 4. cap. 23. Campanis populum conuocari solitum ad funerum deductionem prodidit.* Hæc Durantus prædictus, ergò mos pulsandi quotidiè campanas sub noctem, vt oretur pro defunctis non est validè antiquus, vt ex dicendis patebit.

Dico secundò: Hic mos dandi quotidiè signa orationis pro defunctis primò cœpit Neapoli circà annum 1534. opera, & industria Sanctissimæ fœminæ Mariæ Laurentiæ Longæ: atque indè propagatus fuit vbique gentium, ità refert P. Silos in *histor.Clericorum Regularium lib.5.pag.171.* vbi narrat gesta B.Caietani Thienei eorundem Cler. Regul.Fundatoris; quo duce, seù vitæ spiritualis magistro ipsa Maria Laurentia tunc vtebatur; nec dubitandum ipsius Beati Caetani suasu, & consilio piam hanc fœminam fuisse hoc opus aggressam. Deindè, vt refert Lezana *tom.2.qq. RR.verbo indulgentia num.20.* Papa Gregorius XIII. præcepit eundem morem introduci per omnes Ecclesias, & concessit peculiares indulgentias, omnibus, ad signum prædictum, fundentibus preces pro Defun[illegible]

[illegible] tertiò: Hæc consuetudo dandi signa orationis pro defunctis, fuit conuenientissimè introducta, & meritò approbata a Summo Pontifice: Primò, quia orare pro mortuis est opus excellentissimum pietatis, & misericordiæ. *Machab. 12. sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare:* Secundò, quia excitatur in nobis memoria mortis, qua frenamus à peccatis. Tertiò, quia animæ liberatæ a Purgatorio, agunt causam nostram apud Deum in Cœlo: Tandèm, quia ex speciali Dei prouidentia paria suffragia post mortem ferentur pro nobis, & citiùs liberabimur a flammis purgantibus; eadem quippe mensura, qua alijs mensi fuerimus remetietur, & nobis.

§. II.

§. II.

De precibus recitandis ad hoc signum, deque ritu in eis seruando.

Respondeo, & dico primò: Recitatur conuenientèr psalmus Deprofundis cum oratione fidelium, Deus omnium, &c. vt constat ex communi vsu piorum; & ex petitionibus, quæ ibi continentur valdè accommodatis ad opem a Deo implorandam pro defunctis. Alij autèm, qui legere nesciunt, recitare poterunt ter orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, vel alias preces ad libitum pro deuotione cuiusque.

Dico secundò: Preces explicatæ pro defunctis, quandò datur signum, de quo loquimur, recitari semper debent flexis genibus, etiam tempore paschali, & in Dominicis; quia tunc agitur memoria status pœnarum, & luctus, in quo manent animæ Purgatorij, cui memoriæ congruit compassio, & mæror; & consequentèr genuflexio; sicut è contrà gaudio congruit erectio; quamuis enim tempore paschali, & in Dominicis propter gaudium resurrectionis stantes orare debeamus, excipi tamen debet oratio prædicta pro defunctis, ob rationem explicatam.

Confirmatur, quià in Missis Defunctorum, quæ cantantur tempore paschali; qui sunt in Choro genuflectere debent ad orationes, &c. ergò pariter in casu nostro.

Similiter finita oratione, quæ pro defunctis dicitur, quandò datur signum prædictum; non fiunt salutationes ad inuicem: quæ fieri solent post salutationem angelicam; sed cum silentio surgendum est, quia salutatio magis congruit gaudio; & è contra silentium mærori. Cœterum cum de hac re nihil sit præscriptum in Ritualibus ecclesiasticis, standum est locorum consuetudini.

SECTIO XIII.

De Benedictione in fine Missæ.

Finem imponimus huic titulo de benedictionibus solemnibus, ea, quæ datur in fine Missæ, & simili, quæ dari solet in fine diuinorum officiorum, quæ solemnitèr celebrantur, vt populus assistens lætus ab Ecclesia dimittatur, Episcopi, vel Sacerdotis benedictione munitus.

Benedictio autèm in fine Missæ, vel solemnitèr datur, quandò Missæ solemni assistit personalitèr, & publicè Episcopus; vel priuato modo in Missis priuatis a celebrante. Nos hic de vtraque agemus; quia eadem est ratio vtrique, & differentia solùm est in ritibus accidentalibus; nè in titulo sequenti eadem repetere cogamur.

PRÆLVDIVM I.

De origine, & causis Benedictionis, quæ datur populo in fine Missæ.

Respondeo, & dico primò; Benedictionis vsus in fine Missæ est antiquissimus.

Probatur primò auctoritate SS. Patrum, qui de eo testantur; siquidèm S. Hieronymus *Epis. ad Rusticum*, sic ait. *Si Præsbyter Christum consecrat, cum in Altari Dei Sacramenta benedicit; debet etiam benedicere populo*. Consonant S. August. *epis. 39. ad Paulinum*, vbi etiam loquitur de benedictione Episcopi, & B. Cesarius *homil. 5.* cum alijs, qui videri possunt apud Steph. Durant. *de ritib. eccles. lib. 2. cap. 57.* De eadem benedictione fusiùs tractant antiqui interpretes sacrorum rituum, Amalarius in *præfat. ad lib. de eccles. offic.* Micrologus *de eccles. obseruat. cap. 21.* Durand. in *Rat. lib. 4. cap. 59.* alij plures.

Probatur secundò; Ex iure canonico, in quo sæpiùs fit mentio de hac benedictione *can. 57. & can. Missas de consecrat. dist. 1.* præcipitur, vt antè benedictionem Sacerdotis, populus ab Ecclesia egredi non præsumat. Idem habetur in Concilio Aurelianensi *can. 28.* apud Burcardum *lib. 3. decretorum cap. 29.* & in Concil. Agathen. *can. 30.* & alijs.

Tandem in *Liturgia S. Petri* indicatur hæc benedictio, & in *lib. 8. Constit. Apostolicarum cap. 23.* ex quibus omnibus satis colligitur originem huius benedictionis ad Apostolos referendam esse.

Dico secundò; Quoad causas, subiectum, cui applicatur hæc benedictio, est populus fidelis; qui Missæ interfuit. Causa formalis consistit in precibus, & signis, quibus fit benedictio; & quoad benedictionem solemnem, quæ datur ab Episcopis habetur in *Pontificali*, & in *Cærem. Episcop.* quoad priuatam, quæ datur a quolibet celebrante habetur in *Missali*. Causa efficiens, seù minister, est Episcopus, vel Sacerdos, vt diximus. Tandèm causa finalis est profectus spiritualis fidelium, quibus per inuocationem diuini nominis Sacerdos, vel Episcopus bona precatur: Itèm repræsentatio mysteriorum, quæ in eadem benedictione continentur, de quibus mox dicemus.

PRÆLVDIVM II.

De Mysterijs, & Documentis benedictionis, quæ datur populo in fine Missæ.

Hac benedictione repræsentatur Primò: Mysterium Ascensionis Chri

mini. Sicut enim Christus completis operibus nostræ Redemptionis per sacrificium Crucis, & Resurrectionem a mortuis, discessurus ex hoc mundo ad Patrem, eleuatis manibus, benedixit discipulis; sic Episcopus, vel Sacerdos completo sacrificio, discessurus a populo, ei benedicit, & bona precatur, sic imitans, & repræsentans factum Christi *Lucæ* 24. ità Micrologus, Durand. locis sup. cit. cum alijs interpretibus communitèr.

Secundò: Eadem benedictione significatur missio Spiritus Sancti super Apostolos in die Penteco. stes: qua ijdem Apostoli, & discipuli innumeris donis repleti fuerunt. Sicut enim Christus, ne fructus sacrificij Crucis periret, neuè thesaurus meritorum eius absconditus remaneret, & otiosus; sed potiùs per totum orbem effunderetur; misit de Cœlo Spiritum Sanctum, qui erudiuit Apostolos ad disseminationem Euangelij, & totum mundum benedictione amplissima sanctificauit: sic Episcopus, vel Sacerdos post sacrificium incruentum, seu in fine Missæ precatur, vt idem sacrificium sit omnibus propitiabile, & immediatè benedicit populo; quasi effundens super eo dona Spiritus Sancti, ità Durand. *lib.4. cit. cap.59.*

Tertiò, tam hæc benedictio in fine Missæ, quam quæuis alia, confertur formato super populo signo Crucis, & facta inuocatione Sanctissimæ Trinitatis: quia Crux Christi est fons omnium benedictionum, & omnium causa gratiarum in virtute Trinitatis deificæ; sicuti declarant SS. Patres, Nanzianzenus *orat.6.* Prosper *lib.6. de prædicationibus*, Aug. in *orat. de quinque hæresibus*, & alij.

Quartò: Episcopus benedicens populo, etiam in Missa priuata, ter format super eo signo Crucis, seu ter ei benedicit: Simplex verò Sacerdos semel tantum; quià Episcopus est pastor animarum, & ex vi talis muneris tenetur pascere suas oues, triplici pabulo, videlicèt, verbo veritatis, vitæ exemplo, & temporali subsidio; vndè Christus *Io.* 21. committens suas oues Petro, ter ei dixit, *pasce oues meas*. ità D. Greg. *homil.* 14. *in Euangel.* & D. Bernardus *serm.2. de Resurrect.* Simplex verò Sacerdos semel tantum populo benedicit propter Sacramentum vnitatis; quià vnus Deus, vna Fides, vnum baptisma.

PRÆLVDIVM III.

De virtute, & effectibus benedictionis in fine Missæ.

Respondeo breuitèr, quod benedictio super populum, præsertim quæ fit ab Episcopo, computatur inter præcipua sacramentalia; consequentèr operatur effectus, quos explicauimus *tit. 1. de benedictionibus in genere sect.5. dub.2. & sequ.* videlicèt remissionem peccatorum venialium, & pœnarum temporalium, ad quem effectum solent etiam Episcopi concedere indulgentiam 40. dierū populo, quem benedicunt. Item compressionem dæmonum, & salutem corporum. Præsertim verò hac benedictione in fine Missæ precatur à Deo Sacerdos, vt sacrificium Missæ proficiat illis, qui fuerunt præsentes, & eius virtute, a Deo custodiantur, & a periculis omnibus liberentur; & ideò in historijs ecclesiasticis narrantur mirabiles effectus diuinæ protectionis ergà illos, qui Missæ frequentèr intersunt, de quibus videri potest Rodriq. in *exercit. perfectionis tom.2. tract.8. cap.16.*

DOCTRINA MORALIS,

Et dubia conscientiæ de eadem benedictione, & de præcepto audiendi Missam.

DVBITATIO I.

De obseruandis circà benedictionem in fine Missæ.

Respondeo, & dico primò: Benedictio in fine Missæ, nunquam omittitur a celebrante (præterquam in Missis defunctorum;) vt constat ex *rubricis Missalis*, & præcipitur in Concilijs citatis *præludio* 1. Quod si Missæ intersit Episcopus in loco suæ iurisdictionis; vel Cardinalis, vel Summus Pontifex; Sacerdos non benedicit illis; sed facta eiusdem debita reuerentia, quasi licentiam benedicendi petens; benedicit populo a parte, vbi non est Pontifex, vel Cardinalis, aut Episcopus, de quo ritu fusè nos diximus in *comment. ad rub. Missali par.2. tit.3. dub.1. & tit. 12. in expos. literæ.*

Dico secundò: Si in Altari, vbi celebratur Missa, sit expositum Sanctissimum Sacramentum; Sacerdos non benedicit populo in medio Altaris, ne terga vertat Sacramento: sed a latere Euangelij, & non perficit circulum; sed eadem via rediens, genuflectit antè Sacramentum; deindè accedens ad latus Euangelij, legit vltimum Euangelium S. Ioannis, de qua re videri potest Castaldus in *praxi cærem. lib.3. sect.6. cap.3.*

Dico tertiò: In Missis defunctorum non datur populo benedictio in fine missæ. Tum quià ritus benedictionis præsefert hilaritatem quandam, & lætitiam, quæ non congruit defunctis, qui sunt in mærore, & cruciatu Purgatorij. Tum quià in missis defunctorum, (vt inquit Hugo Victorinus *de Missæ obseru.*) magis defunctorum, quàm nostri memores, indulgeri eisdem precamur; & hac

ätione omittitur benedictio super viuentes, seù missæ adstantes, quià fructus principalis missæ tunc dirigitur ad defunctos, videnda sunt ea, quæ diximus in *comment. ad rubr. missalis part. 2. tit. 13. in expos. litera c.*

DVBITATIO II.

De præcepto audiendi Missam: An detur, & quos obliget.

RESpondeo, & dico primò: Datur præceptum audiendi missam in dominicis, & festis diebus.

Probatur ex *cap. si quis etiam, cap. omnes fideles, & cap. missas de consecrat. dist. 1.* & constat ex vsu, & praxi Ecclesiæ.

Dico secundò: Omnes fideles vsum rationis habentes, tenentur sub peccato mortali missam audire diebus festis.

Probatur, quià præceptum est de re graui; & latum in ordine ad grauem finem diuini cultus; ergò obligat sub peccato mortali. Itèm latum est vniuersalitèr, & absque limitatione; ergò obligat omnes, qui sunt præcepti capaces, quales sunt habentes sufficientem rationis vsum, quo bonum a malo possunt discernere, atque adeò possunt mereri, & demereri, ità DD. communitèr de præceptis Ecclesiæ.

Colligitur iuxtà communem sententiam, hoc præcepto obligari pueros, statim completo septennio; quia tunc censentur adepti sufficientem rationis vsum. Non videtur tamen improbabile ad contrahendam hanc obligationem sub mortali, requiri perfectiorem rationis vsum, qualis requiritur ad vsum Eucharistiæ, qui non præsumitur in pueris, nisi circà decimum annum ætatis. Ratio est, quia licet antè decennium plures sint capaces peccati mortalis, in trãsgressione præceptorum iuris naturalis, seù decalogi; quorũ obligatio faciliùs apprehenditur naturali dictamine rationis; secus tamen esse videtur de illis præceptis, quæ versantur circà obiecta supernaturalia; quænon ità facilè apprehenduntur, vt in casu nostro est præceptum audiendi sacrum, ità Marchantius, quem refert, & non improbat Diana *p. 5. tract. 13. res. 77.*

DVBITATIO III.

Qualis præsentia, & quæ attentio requiratur ad satisfaciendum huic præcepto.

RESpondeo, & dico primò: Certum est requiri præsentiam in loco, vbi dicitur missa; sufficit autem præsentia moralis.

Prima pars probatur, quià ex vi præcepti tenentur fideles interesse sacro, vt constat ex iuribus citatis dub. 2.

Secunda verò pars probatur, quià communitèr in præceptis moralibus moralis mensura, & non metaphisica adhibenda est. Dicitur verò quis præsens moralitèr, & humano modo in casu nostro, si sit loco, vndè possit aliquo modo aduertere quid agatur a celebrante missam, ità Sotus, Nauar. Toletus, & alij, quos citat, & sequitur Layman *lib. 4. tract. 7. cap. 3.*

Colligitur primò; quamuis plures afferant existentem extrà Ecclesiam è regione fenestræ, vel portæ eiusdem Ecclesiæ non satisfacere præcepto audiendi missam, quià non potest dici præsens in loco, vbi missa celebratur; Nihilominùs dicendum est, eum verè satisfacere, si indè possit aduertere, quod verè in ea Ecclesia tunc celebratur missa, & saltèm confuso modo quid agatur a celebrante, quia sic dicitur moralitèr præsens ità satis probabilitèr nonnulli DD. quos citat, & sequitur Diana *par. 10. tract. 14. resol. 47.*

Colligitur secundò: Neque cæcos, neque surdos excusari a precepto audiendi sacrum, quià possunt ei esse moralitèr præsentes; quippè necesse non est, vt audiens missam, vel oculi Sacerdotem videat, vel auribus percipiat verba illius; sed vt ibi deuotè assistat, vbi missa celebratur. Quod si quis simul esset, & cæcus, surdus (posito, quod moralitèr apprehendere possit vim præcepti) teneretur etiam sacro interesse ob eandem rationẽ, ita ex communi sententia, Diana *p. 5. tract. 6. res. 8.*

Dico secundò. Ad satisfaciendum præcepto audiendi missam, non est necessaria attentio interna; sed ad vitandum peccatum mortale, sufficit, & est necessaria attentio, seù deuotio externa; hoc est, vt audiens missam exterius segerat in speciem orantis; & nihil interim agat externæ religiositati repugnans; & sic verè satisfacit præcepto, etiamsi interiùs mente vagetur, & sit voluntariè distractus. Ratio est, quià Ecclesia non præcipit actus merè internos, sed actus religiosos externos, vt nos fusè probauimus in *comment. ad rub. missalis par. 1. tit. 16. dub. 5.* & videri potest Diana *par. 10. tract. 15. resol. 2.*

Colligitur primò: Non satisfacere huic præcepto, & consequentèr grauitèr peccare eum, qui dum interest sacro confabulatur, vel scribit, aut pingit, vel ludit, &c. si per partem notabilem missæ prædicta exerceat, quià caret deuotione, seù attentione illa externa, quæ est absolutè necessaria, vt auditio missæ sit actus religiosus externus qualis ab Ecclesia præcipitur. Ità DD. communitèr. Quamuis Layman sup. citatus in prima concl. excusare videatur a mortali confabulantes, etiam per spatium notabile, si partim attendant, partim confabulentur; nec enim in nulla requiritur attentio adeò rigorosa, sicut in horis canonicis.

Colligitur secundò; Posse licitè ab audiente missam, recitari coronam, vel officium, ad quod ex obligatione tenetur; e.g. ex voto, vel pœnitentia, &c. quià nulla apparet repugnantia. Non satisfacit tamen, qui tempore Missæ confitetur sacramentalitèr, vel cõfessiones excipit, quià moralitèr loquendo; neuter potest aduertere ad ea, quæ peraguntur

raguntur a celebrante; ità Diana *p. 10. tract. 14. resol. 45.*

DD. videri pnterunt apud Dianã *p. 2. tract. 17. resol. 18. & par. 8. tract. 7. res. 89. & p. 10. tr. tr. 15. resol. 3.*

DVBITATIO IV.

An satisfaciat huic præcepto, qui Missam integram non audit.

Respondeo, & dico primò: Ex vi præcepti tenentur fideles integram missam audire, saltèm vsque ad Sacerdotis benedictionem ex Concilio Agathensi *can. 47. & ex cap. ad celebranbas dist. 1. de consecrat.* Quarè omittens sine iusta causa aliquam partem missæ peccat, vel mortalitèr, si pars omissa notabilis sit; vel solùm venialitèr, si sit pars exigua; sicuti contigit in alijs præceptis communitèr, quorum trasgressio in materia graui, est p. m. econtra veniale in re leui, & exigua.

Docet autèm communitèr DD. non censeri omittere partem notabilem, eum, qui intersit missæ a principio Euangelij vsque ad finem, vel a princio missæ ad peractam communionem celebrantis. Imò si quis accederet ad Ecclesiam post lectum euangelium, & reliquam missam audiret a principio offertorij vsque ad Euangelium vltimum S. Io. inclusiuè (quod aliàs non cadit sub præcepto) excusatur etiam a peccato mortali; quià hoc vltimum Euangelium compensat primum, quod neglexerat, ità ex communi sententia docet Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 3. nu. 3.*

Id autèm, quod dicit Nauar. in *Enchir. de orat. cap. 10. num. 43.* posse compensari primum Euangelium, si quis illud priuatim legat, meritò reijcitur, quià priuata ea lectio est impertinens, cum nullo modo ad missam pertineat.

Colligitur: Non satisfacere huic præcepto eum, qui non intereft missæ, tempore consecrationis; nec etiam tempore communionis, quamuis omnes reliquas partes audiat, quià in prædictis partibus consistit tota essentia sacrificij; reliquæ autèm partes sunt ad ornatum. Quod si alteri solùm sit præsens, idest, vel consecrationi, vel communioni celebrantis; excusari potest, quià non satis constat, in qua earum, consistat essentia sacrificij; modo ex reliquis non omittat partem notabilem, vide Dianã *p. 5. tract. 13. res. 6. & p. 10. tract. 15. res. 4.*

Dico secundò: Qui audit duas partes duarum Missarum, e.g. alteram missæ, quæ iam cæpta erat, cui solùm intereft ab eleuatione vsque ad finem; & posteà audit alteram subsequentis Missæ a principio vsque ad eleuationem; hic inquam satisfacit præcepto; quià duæ medietates duarum missarum constituunt vnam missam integram.

Imò qui eodem tempore audit vnam medietatem ab vno Sacerdote, & alteram ab alio, probabilitèr etiam satisfacit ob eandem rationem. Tandem, qui cum debeat siuè ex voto siuè ex pœnitentia ei iniuncta a confessario duas missas audire; eas simul, & eodem tempore audit, quià in Ecclesia, vbi reperitur simul plures missæ celebrantur; satisfacere videtur: quià verè est præsens duabus missis

DVBITATIO V.

Vbi Missa audiri debeat.

Respondeo; Satisfieri huic præcepto, in quauis Ecclesia Missa audiatur, & in quouis oratorio publico; vel etiam si in aperto campo fiat sacrum, quià nullo iure definitur locus determinatus in hunc finem; & quamuis optimum consilium sit in dominicis, & festis accedere ad Ecclesiam parochialem, vbi annunciantur vigiliæ, & festa, &c. nihilominùs id non præcipitur, ità Syluest. *verbo missa 2. q. 4.* Sotus, Molina, Suarez, & alij; quos affert Layman vbi sup.

Quod limitari debet, nisi quis audiret Missam in oratorio priuato, seù domestico alicuius magnatis, & non esset de illius familia, hic enim non satisfaceret præcepto, quià sic expressè cauetur in indultis, quibus illud priuilegium soler magnatibus concedi. Quamuis non desint Auctores, oppositum sentientes, videlicèt verè satisfieri; quià illa clausula apponitur ex antiquo stylo Curiæ, quando vigebat consuetudo satisfaciendi præcepto solùm in Ecclesia parochiali. vide Dianam *p. 9. tract. 1. resol. 3. & 4. & p. 6. tract. 8. resol. 40.*

DVBITATIO VI.

De causis excusantibus ab obligatione audiendi Missam.

Respondeo: Si quis ex insta, seù rationabili causa Missam in die festo non audiat, excusatur a peccato. Ratio est, quià cum leges præsertim ecclesiasticæ debeant esse suaues, & humanæ fragilitati accomodatæ; non ita rigidè obligant, quin admittant causas excusantes, sicut de lege ieiunij, & alijs, docent communitèr DD. In casu autem nostro de præcepto Missæ; triplex causa ab eo excusans assignatur.

Prima est impotentia absoluta, seù phisica, e.g. nauigantium in mari, incarceratorum, lecto affixorum, &c. quod si infirmus, vel quiuis alius non potens domo exire, priuilegium habeat audiendi Missam in priuato oratorio suæ domus; nihilominùs non tenetur celebrari facere; quia nemo cogitur vti suo priuilegio, quamuis possit, sicuti pluribus allegatis tradit Diana *p. 4. tract. 4. res. 80. & p. 9. tract. 1 res. 19.*

Quoad detentos in carcere publico, vel priuato docent probabiliter nonnulli Doctores, etiam si illi sua culpa nolit, seu negligant inde liberari, cum possint; adhuc eos excusari a peccato non audiendo Sacrum. Ratio est quia dum impediti sunt vinculis excusantur, & aliunde, hoc præceptum Ecclesiæ non obligat ad tollendum impedimentum, sed solum, vt eo sublato Missa audiatur.

Ita cum Suarez, & alijs sustinet Fagundez de *Præcepto Eccles. Præcep.1.lib.2.cap.8.num.1.*

Dubium hic emergit. An iudex, vel alius superior, ad quem pertinet cura detentorum in carceribus, teneatur curare, vt illi Missam audiant diebus festis?

Respondeo si possit superior absque suis expensis, vel alio notabili incommodo prouidere, vt coram illis in loco apto Missa celebretur absque apertione carcerum, &c. quia suppetunt redditus ad hunc Effectum assignati; vtique eum teneri: quilibet enim Dominus, & legitimus superior tenetur curam adhibere, vt subditi, & alij eorum curæ comissi seruent præcepta Dei, & Ecclesiæ. Quod si id fieri commodè non possit, excusatur etiam superior a tali obligatione, sicut excusantur incarcerati, qui vt dicebamus, non tenentur procurare e duci e carcere in eum finem audiendi Missam: vel stipendium offerre Sacerdoti celebraturo: ergò nec iudex, vel superior ad similia obligatur ex qua doctrina.

Colligitur primò. Si Pater familias filium inobedientem domi claus retineat, vt corrigatur; vel ei vestes decentes deneget, vnde ob vestitus negationem Sacrum non audiat diebus fæstis; neque filium peccare contra præceptum audiendi Missam, quia est legitimè impeditus: neque Patrem familias, qui intendit emendationem filij, non sacri omissionem, quæ per accidens inde sequitur, Ita cum Fagundez docet Tamburinus in *Decalogum lib.4.cap.2.§.2.n.4.*

Colligitur Secundò similiter non peccare Prælatum regularem detinentem in carcere subditum ex rationabili causa: nec permittentem ei exitum e carcere ad audiendam Missam diebus fæstis ob rationem assignatam: quia Prælatus rationabiliter illum inclusit, & per accidens sequitur omissio sacri, & docet Tamburinus loco cit. vbi addit grauiorem causam requiri, vt prohibeatur religiosus, ne è carcere, vel cella, in qua clausus retinetur, ad oratorium pro Missa accedat, quam vt prohibentur secularis, ne ad Ecclesiam extra Domum, vbi tanquam in carcere detinetur ad audiendam Missam pergat: quia in priori casu maior apparet indecentia.

Secunda causa excusans, est impotentia moralis; si videlicèt Missa audiri non possit sine magna difficultate, vel iactura bonorum alicuius momenti, siue salutis corporalis, siue famæ, & honoris, siue rerum, quæ pecunia æstimantur, ex quo capite excusantur primò honestæ mulieres, non honestè vestitæ, vel ex occulta fornicatione prægnantes, &c. Secundò, conualescentes, vel debiles, qui absque salutis aliquali dispendio non possunt ire ad Ecclesiam. Tertiò seruientes infirmis: itèm matres, vel nutrices, quæ infantibus assistere debent, nec possunt absque periculo eos solos relinquere. Quartò, qui nimis distant a loco, vbi Missa audiri potest. Quintò, qui domum, vel gregem custodire debent, nè damnum inferatur. Sextò, qui itineris comitem valdè sibi vtilem, vel nauigandi occasionem amisurus est, si ad Missam accedat. Septimò famuli, qui a dominis, vel opificij magistris impediuntur: nec sine dissidio illis resistere possunt: nec facilè alium dominium, vel magistrum; quærere quamuis grauiter peccent domini, & superiores, si sine iusta causa impediant subditos ne festis Missam audiant Nauar. *sum. cap.14.*

Tertia tandèm causa, est rationabilis consuetudo scientibus Prælatis introducta; qualis esse solet in vidua, maritum defunctum lugente; in puella nubili, & similibus, videri potest Caetanus *sum. verbo festorum violatio*, Nauar. *sum. cap. 21. num.4.* Suarez *tom. 3. in 3. p. disp.* 88. Layman *tit. 4. tract. 5. cap. 4. num. 3.*

TITVLVS TERTIVS DE BENEDICTIONIBVS SIMPLICIBVS, SEV PRIVATIS IN PARTICVLARI.

BEnedictiones priuatæ a nonnullis Auctoribus appellantur, quæ priuata auctoritate conferuntur a quolibet fideli, ex merito personali, ad differentiam illarum, quæ publica Ecclesiæ auctoritate fiunt, vel dantur ab Episcopo, vel Sacerdote. Nos autèm priuatas appellamus, quæ simplici ritu perficiuntur absque apparatu; quatenùs, ità distinguuntur a solemnibus: cum quibus tamen conueniunt in eo, quod etiam hæ simplices, seu priuatæ benedictiones sunt ab Ecclesia institutæ, dantur ex publica Ecclesiæ auctoritate. Alias verò benedictiones, quæ priuata auctoritate conferuntur, maioris claritatis gratia laicas appellamus; quia possunt a laicis dari, & a fœminis, vt aliàs notauimus, inter quas computatur benedictio parentum super suos filios, de qua dicemus in fine huius tituli.

SECTIO I.

De Benedictione Aquæ lustralis, quę vulgo aqua sancta appellatur.

HÆc benedictio primo loco ponitur, tum in Missali, vbi in fine præscribitur ritus benedictionum simplicium, seu priuatarum, tum in Rituali Romano, sub hoc titulo, ordo ad faciendam aquam benedictam, & merito, quia insignis est, & concurrit, vt causa ad reliquas ferè omnes benedictiones. Cum enim res aliæ benedicuntur, aqua lustrali asperguntur, & sanctificantur; ab ea igitur exordium sumimus huius tituli.

PRÆ-

PRÆLVDIVM I.

De origine, & causis Benedictionis aquæ lustralis.

RESpondeo, & dico primò: Institutio huius ritus benedicendi aquam sale conspersam, a nonnullis tribuitur Alexandro Primo Summo Pontifici, & martyri, quem quintum a B. Petro numerat Concilium Florentinum. Ità cum alijs Durandus *in Rationali lib.*4.*cap.*4.*co*, quià ipse S. Alexander decreuit, vt ab omnibus Sacerdotibus hæc benedictio fieri possit in *can. aquam de consecrat dist.*3.

Cœterùm ex ipsis verbis Alexandri satis colligitur, hunc ritum benedicendi aquam, antiquiorem esse: nam in cit. can. sic ait: Aquam sale conspersam populis benedicimus, vt ea cuncti aspersi sanctificentur, & purificentur; quod ab omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus. Vbi notandum est illud verbum, benedicimus, quo denotatur vsus iam introductus benedicendi aquam; non enim dixit decernimus benedicendam esse aquam; sed aquam benedicimus, & hoc ab omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus, nè videlicèt populi, ex defectu ministrorum, eo subsidio iam consueto careant.

Dicendum est ergò hunc ritum benedicendi aquam sale conspersam originem ducere ab Apostolis, quod apertè docet S. Clemens Romanus *lib.* 8. *Apostolicarum Constitutionum cap.* 35. *vel* 39. & ex alijs Auctoribus eruditè probat Marsilius Columna *in sua Hydragiologia sect.*2. *cap.*2. *a num.* 38. Præcipuè verò S. Mattheus fuisse perhibetur primus auctor huius benedictionis, ab alijs deindè Apostolis approbatæ, & disseminatæ per totum orbem, videri etiam potest Stephanus Durant. de *ritib. Eccles. lib.*2. *cap.*21.

Dico secundò: Materia, cui applicatur hæc benedictio, est aqua, cui miscetur sal paritèr benedictum, ob mysteria inferiùs explicanda. Forma consistit in ritibus exorcismis, & precibus in Missali præscriptis. Minister ex dictis supra, est quilibet Sacerdos. Tandem causa finalis est, vt fideles purgentur a peccatis venialibus, & consequantur alios effectus salutares, de quibus dicemus prælud.3.

PRÆLVDIVM II.

De Mysterijs, & Documentis eiusdem benedictionis, & aquæ benedictæ.

PRimò: Benedicitur aqua sale conspersa; atque ea asperguntur fideles, vt hac cœremonia externa discant qualitèr se interiùs purificare debeant. Aqua enim a sordibus mundat; sal putredinem fugat. Aqua nitorem præbet, sal adhibet sinceritatem. Aqua fœcundat, sal a corruptione præseruat. Aspersione igitur aquæ lustralis, monentur fideles, vt aqua lacrimarum, seù compunctionis animam a sordibus peccatorum mundent; & sale timoris Domini putredinem malitiæ fugent. Petant a Deo aquam gratiarum, qua fœcundentur virtutibus, & salem sapientiæ, quo a corruptione præseruentur, ità Raban. *de instit. Cler. lib.* 2. *cap.*55.

Secundò priùs benedicitur sal, quam aqua: postea miscentur ad inuicem; quia per sal intelligitur amaritudo pœnitentiæ, per aquam verò gratia sanctificans, & emundas animam, siuè in baptismo, siuè in Sacramento pœnitentiæ. Cum ergò pœnitentia, seù cordis contritio debeat præcedere baptismum, & similitèr absolutionem Sacerdotis, qua per gratiam, fit peccatorum remissio; meritò benedictio salis præmittitur benedictioni aquæ. Deindè miscetur sal cum aqua, ob geminum effectum vtriusque Sacramenti, videlicèt interitus delictorum, & ortus virtutum, ità Durand *in Rationali lib.*4. *cap.*4.

Tertiò: Per aquam significatur populus, seù natura humana mortalis, quæ sicut aqua dilabitur super terram; per salem verò denotatur sapientia, & doctrina Euangelij. Hac igitur benedictione, & mixtione salis cum aqua, repræsentatur primò, Mysterium Incarnationis, seù coniunctio increatæ sapientiæ, & Verbi Diuini, cum natura humana. Secundò repræsentatur vnio populi fidelis cum Christo, mediante doctrina Euangelij, & vera Fide, quæ veram sapientiam continet, ità Durand. *sup. lib.*1. *cap.*7. & Marsil. Columna *Hydrag. sect.*2. *cap.*4. *num.*2.

Quartò: Aqua significat pœnitentiam de delictis præteritis; Sal verò discretionem, & cautelam in posterum; quæ duo, si misceantur simul, amara conscientiæ in dulcedinem vertuntur, ita Vgo de Sancto Victore *lib. de Sacram.*

Quintò. Aqua benedicta exponitur omnibus in Ecclesiarum vestibilis; nè audeat quis ad Altare Dei accedere, qui priùs se lauerit, & a peccatis, se per contritionem mundauerit. Si enim in veteri testamento, qui immundus erat, prohibebatur templum ingredi, antequam aqua lauaretur *ad Heb.*9. multò magis in lege euangelica purificari debent fideles, antequam Deum oraturi ad Altare accedant, Durand. vbi supra *lib.*4. *cap.*4.

PRÆLVDIVM III.

De virtute, & effectibus aquæ benedictæ, seu lustralis.

VIrtus aquæ lustralis, & eius effectus mirabiles, partim exprimuntur in *can. aquam de consecrat. dist.*3. partim colliguntur ex orationibus, quibus fit eiusdem aquæ benedictio; & insuper innumera eorum exempla referuntur a SS. Patribus, & alijs Scriptoribus Ecclesiasticis.

Primus effectus est remissio peccatorum venialium, & pœnæ temporalis pro prædictis debitæ, de quo testantur communitèr Scholastici cum D. Thoma 2.*p.* 65.*art.* 1.*ad* 6.*&* *q.* 83.*art.* 3. *ad* 3.*&* *in* 4.*dist.*2.*q.*1.*art.*2.*ad* 7.& ibi expositores. Qualitèr autèm aqua benedicta concurrat ad hunc effectum, & qualis dispositio requiratur ex parte subiecti, super quod fit aquæ aspersio, diximus tit.1.sect.5.dub.3.Hic solùm notamus conuenientèr ab Ecclesia adnecti hanc virtutem aquæ lustrali, vt ex effectibus, quos operatur aqua exteriùs intelligamus eos, quos virtute supernaturali, & ex meritis ipsius Ecclesiæ operatur interius; siquidèm aqua exteriùs abstergit sordes, & ignem extinguit; & ideò assumitur ab Ecclesia, vt instrumentum, quo sordes animæ absterguntur;& ignita iacula diaboli extinguuntur, vide Durand *in Rationali lib.* 4.*cap.*4.

Secundus effectus consistit in gratijs præueni entibus, quibus per aspersionem aquæ lustralis, & intuitu meritorum Ecclesiæ excitamur a Deo ad actus contritionis, & deuotionis: sicuti colligitur ex orationibus, quibus fit hæc benedictio, & explicant DD.agentes de Sacramentalibus: inter quos Viguerius *lib. de christiana instit. cap.*46.*&* *cap.*57.sic ait:*Virtute benedictionis aquæ lustralis,excitantur fideles ad petendum a Deo; vt sicut in sacri Baptismatis fonte purgati sunt aqua; ita pariter contritionis aqua eorum conscientias emundare dignetur*, &c.de qua re fusiùs tractat Marsil. Columna *in Hydragiol.sect.*3.*cap.*2.

Tertius effectus est compressio, & fuga dæmonum, iuxtà modum suprà a nobis explicatum *tit.* 1.*sect.*5.*dub.*6.& quidèm super omnia sacramentalia magnam vim habet contrà insultus dæmonum vsus aquæ lustralis; sicuti probant quamplura exempla, quæ leguntur in historijs ecclesiast.apud Auctores infrà cit.& præsertim videri possunt nonnulla insignia in vita S.Teresiæ.

Quartus effectus, est sanitas corporum, & liberatio ab infirmitatibus, & languoribus; de quo etiàm referuntur innumera exempla a Stephano Duranto *de ritib.Eccles.lib.*1.*cap.*21.a Marsil io Columna, vbi *sup.sect.*3.*cap.*5.a Gretsero de *benedict. lib.*2.*cap.*10.& alijs.

Tandèm valet aqua lustralis ad auertendas procellas, & grandines contrà sterilitatem, & similia flagella iræ diuinæ. De quibus omnibus effectibus, & virtutibus aquæ benedictæ tractant Epiphanius *hæres.* 30. Cassian. *collat.* 15.*c.*14. S.Greg. Magnus *lib.* 1.*dialog. cap.* 10. Durant. Marsil. Columna suprà cit. & alij plures auctores.

DOCTRINA MORALIS,

Et dubia conscientiæ de eadem benedictione, & de aqua benedicta.

DVBITATIO I.

An aqua benedicta sit Sacramentum, & de intellectu illius propositionis: Maxima quæque Sacramenta in aquarum substantia condidisti.

Quoad primum quæsitum, quod proponitur a Syluestro, verbo aqua benedicta. Respondeo negatiuè, videlicèt: Aquam benedictam, non esse Sacramentum; vt cum D. Thoma, & alijs DD. communitèr, docet idem Syluest.vbi sup.Ratio est, quià hæc aqua lustralis non est signum efficax gratiæ sanctificantis animam, seù non est instituta ad producendam infallibilitèr, & ex opere operato gratiam sanctificantem; sed solùm est instrumentum, quo mediante Deus confert gratias præuenientes, & remissionem venialium per modum impetrationis ex intercessione Ecclesiæ, & non infallibilitèr, vt explicauimus *tit.*1.*sect.*5. Aqua ergò lustralis non est Sacramentum; sed vnum ex præcipuis Sacramentalibus, quæ ordinantur ad remouendum prohibens, idest nequitiam dæmonum; & omne, quod impedire potest effectum Sacramentorum, vide Syluestrum vbi suprà, & Suar. *tom.* 3. *in* 3.*p. disp.* 15.*per totam*.

Quoad secundum quæsitum oritur ratio dubitandi ex verbis, quibus Ecclesia vtitur in hac benedictione aquæ lustralis, videlicèt in oratione, quæ incipit Deus, qui ad salutem humani generis maxima quæque Sacramenta in aquarum substantia condidisti, &c. Cum enim aqua non sit materia, nisi solius Sacramenti Baptismatis; quomodo verum est plura,& maxima quæque Sacramenta a Deo esse condita in aquarum substantia?

Quidam Auctores ex verbis prædictis nituntur probare, Aquam vino infusam, esse simul cum vino materiam Euchatistiæ in consecratione sanguinis. Quià opinantur modicam illam aquam vino mixtam non conuerti in vinum; sed simul cum vino conuerti immediatè in sanguinem Christi; & hac ratione affirmati ab Ecclesia maxima quæque Sacramenta fuisse a Deo instituta in aqua, videli-

videlicèt Baptiſmum, & Euchariſtiam: quæ ſunt maxima inrer omnia Sacramenta.

Cœrerùm prædicta opinio de immediara conuerſione aquæ in ſanguinem Chriſti graues patitur difficultates, quas non eſt noſtrum hic examinare. Hac ergò expoſitione omiſſa.

Reſpondeo. Poſſe duplicitèr explicari illam Eccleſiæ propoſitionem. Primò, poſito, quod ibi ſit ſermo de ſeptem Sacramentis nouæ legis; hæc dici condira, ſeù inſtituta a Deo in aquarum ſubſtantia; quatenùs omnia Sacramenta, & præſertim Baptiſmus, & Euchariſtia radicalitèr vim, & originem habent ex aqua, & ſanguine, quæ ex latere Chriſti manarunt, quandò vnus militum lancea latus eius aperuit Siquidèm in huiuſmodi ſanguine, & aqua, ſignificata ſunt omnia Sacramenra Eccleſiæ, quæ ex Chriſti morte habent efficaciam. Aqua enim indicat Baptiſmum, qui eſt ianua: ſanguis verò Euchariſtiam, quæ eſt finis, & conſummatio Sacramentorum; & ideo ſub his duobus, reliqua comprehenduntur, & in hoc ſenſu SS. Patres communirèt aſſerunt per hoc myſterium, indicatum eſſe, omnia Sacramenta de latere Chriſti manaſſe, de qua re videri poteſt Suarez. *tom. 1. in 3. diſp. 39. ſect. 2. & tom. 2. in 3. p. diſp 51. ſect. 1.*

Secundò, & planiùs in germano ſenſu dici poreſt illis verbis, maxima quæque Sacramenta &c. non ſignificari Sacramenta nouæ legis, quibus animæ ſanctificantur, ſed myſteria, & prodigia, quæ ab initio mundi Deus operatus eſt, maximè in aquarum ſubſtantia, quæ videlicèt enumerat Eccleſia in Benedictione fontis baptiſmalis in Sabbato Sancto, dicens, benedico te creatura aquæ per Deum, qui te de Paradiſi fonte manare fecit, &c. Deus, cuius ſpiritus ſuper aquas inter ipſa mundi primordia ferebatur, vt iam tunc virtutem ſanctificationis aquarum natura conciperet. Qui nocentis mundi crimina, per aquas abluens, regenerationis ſpeciem in ipſa diluuij effuſionem ſignaſti, & alia plura, quæ ibi legi poſſunt. Hæc ergò myſteria nomine Sacramentorum, etiam in benedictione aquæ luſtralis intelligere debemus, vt ex contextu liquet, & ſic ceſſat difficultas.

DVBITATIO II.

An benedictio aquæ luſtralis ſit actus ordinis Sacerdotalis.

RESpondeo breuitèr affirmatiuè; quarè inualidè fieret à non Sacerdote. Quod ſi fieret à Sacerdote excummunicato; hic incurreret in irregularitatem, atque ità docent Sylueſt. *verbo aqua benedicta q. 4.* Azor. & alij, quos citat, & ſequitur Lezana *qq. Reg. verbo benedictio nu. 20.* & nos fuſius explicauimus *ſup. tit. 1. ſect. 4. dub. 8. & 9.*

DVBITATIO III.

Vtrum vnica benedictione poſsint benedici plures fontes aquæ inter ſe diſtantes.

RESpondeo: poſſe validè, & licitè benedici omnes aquæ fontes, qui ſunt coram Sacerdote, ſeù benedictionis miniſtro intrà viginti paſſus, modo idem miniſter poſt orationes, vel exorciſmos, accedat ad ſingulos, quandò facienda eſt mixtio ſalis cum aqua. Ratio, quia ſufficit præſentia moralis materiæ, quæ benedicitur coram miniſtro, quæ iudicio prudentium ſaluatur intrà viginti paſſus; ſicuti fuſiùs diximus ſuprà *tit. 1. ſect. 2. dub. 4.*

DVBITATIO IV.

De tempore faciendi benedictionem aquæ luſtralis, & de modo aſperſionis eiuſdem ſuper populum.

RESpondeo, & dico primò: Singulis diebus dominicis fieri debet benedictio aquæ luſtralis, atque adeò renouari ſingulis hebdomadis; proiecta in ſacrarium alia præcedentis hebdomadæ; ſicuti colligitur ex Rubricis Miſſalis, & Ritualis Romani: & conſtat ex conſuetudine, de qua teſtantur Syluest. Angelus, Lezana, & alij Summiſtæ, verbo *aqua benedicta*. Hoc autèm introductum fuit, tum ob myſterium, videlicèt, ad renouandam ſingulis dominicis memoriam Sacramenti Baptiſmi; quod olìm in Dominica tantùm Reſurrectionis, & Pentecoſtes conferri ſolebat, vt ſupra diximus *tit. 2.* dum de benedictione fontis baptiſmalis. Tum, vt ipſa aqua benedicta purior ſeruetur. An autem peccent ij, ad quos pertinet talis cura, vt ſacriſta, & ſimiles, ſi aquam benedictam non renouent ſingulis hebdomadis. Dicendum videtur eos non peccare contrà ius poſitiuum Eccleſiæ; quia non conſtat de præcepto, & rubricæ citatæ videntur directiuæ. Cœterùm ſi tandiù morentur, vt aqua benedicta corrumpatur; vel valdè fœdetur, peccant venialitèr contrà reuerentiam debitam rebus ſacris, & ob indecentiam, & aliquam populi offenſionem.

Excipiuntur autèm à prædicta regula Dominicæ Reſurrectionis, & Pentecoſtes, in quibus non benedicitur aqua luſtralis in Eccleſijs, in quibus eſt fons baptiſmalis; ſed aſpergitur clerus, & populus cum aqua pridiè benedicta, videlicèt fontis baptiſmalis, & in hunc finem reſeruata; ſicuti conſtat ex Miſſali Romano de benedictione fontis baptiſmalis.

Tandèm ſi occurrat cauſa, renouandi aquam benedictam, ſeù luſtralem intrà hebdomadam, & ſic benedicendi aliam extrà diem Dominicam; id lici-

id licitè fieri potest, vt expressè habetur in Rituali Romano, his verbis. *Diebus dominicis, & quandocunque opus fuerit fit benedictio aquæ, &c.*

Dico secundò: Singulis diebus dominicis post tertiam, seù immediatè antè missam solemnem, fieri debet à celebrante aspersio aquæ lustralis super Clerum, & populum, eo ritu, quo in Missali facienda præscribitur, & fusius explicat Castaldus *in praxi cær. lib. 2. sect. 2. cap. 1.* vbi *num. 4.* notat, si quando celebrans aspergit Clerum adsint in Choro Prælati in eorum residentijs, vel Cardinales, in hoc casu reuerentèr illis porrigat aspersorium, vt seipsos aspergant; quod si velint aspergi à celebrante, hic eos aspergat; factà antè, & postea cuilibet eorum profunda reuerentiâ; Reliquos verò Prælatos, quibus opus est, inclinationibus singillatim aspergat.

Si verò in Ecclesia adsit aliquis supremus Princeps, vel Principissa in loco suæ iurisdictionis ante omnes alios, oportunis adhibitis inclinationibus aspergantur.

Notat etiam Lezana suprà citatus, verbo *benedictio num. 22.* ex quadam declaratione S. Congreg. aquæ aspersionem in Choro debere fieri singillatim pro singulis incipiendo à dextro cornu chori, & non vnico ictu.

Tandem in illis Ecclesijs, in quibus non cantatur missa, decens erit, vt in diebus dominicis fiat aquæ aspersio à celebrante ante Missam parochialem, quæ dicitur immediatè post horas, & habetur loco missæ conuentualis: vel cum pluuiali, si habetur; vel cum stola super albam sine manipulo, ità Castald. vbi sup.

DVBITATIO V.

An possit licitè aquæ benedictæ misceri parum aquæ rosaceæ ob fragrantiam boni odoris.

Ratio dubitandi est, quià non est licitum quidquam extranei liquoris miscere cum materia alicuius ex Sacramentis; ergò neque cum materia Sacramentalium.

Respondeo. In parua quantitate, id non esse illicitum. Tum quià nulla apparet indecentia. Tum quià consuetudo, ità obtinuit, scientibus, & non contradicentibus Episcopis, & Ecclesiarum Prælatis. Tandèm probatur à pari; quia cum incenso benedicendo misceri solent alia aromata melioris odoris, vt suo loco diximus; & candelæ benedictæ ornari solent auro superposito; sicut etiam pal mæ, &c.

Ad rationem dubitandi respondetur, esse disparem rationem, quià materiæ Sacramentorum pendent ex sola Christi institutione; & ideò alterari non possunt; secus est de materijs Sacramentalium, quæ pendent ex arbitrio Ecclesiæ, & ex eius tacito consensu, alterari possunt iuxtà receptam consuetudinem.

DVBITATIO VI.

An, & qualitèr peccaret, qui in Ecclesia exponeret aquam non benedictam pro benedicta,

Respondeo, & dico primò; Si id contingeret ex inaduertentia inuincibili; quià e. g. sacrista impleuit fontem aqua, mane benedicenda; deindè oblitus fuit eam benedicere; & in hoc casu nulla esset culpa, vt per se patet: teneretur tamen sacrista postquàm id aduertit, statim, ac potest illam benedicere ad tollendam fictionem, aliàs peccaret, vt infrà.

Dico secundò, si id fieret data opera, vel ex graui negligentia; peccaret sacrista, sed solùm venialitèr (secluso contemptu, vel fine moralitèr malo). Quià in hoc non apparet grauis irreuerentia contra Religionem, nec graue damnum aliorum; sicut nec grauitèr peccaret, qui daret alteri candelam non benedictam pro benedicta.

Dices is, qui exponit adorandas falsas reliquias pro veris grauitèr peccat ex communi DD. sententia, vt videri potest apud Sanchez *sum. lib. 2. cap. 37. num. 9.* ergò paritèr in casu nostro, quià Sacramentalia æquiparantur reliquijs sacris.

Respondetur negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quià Sanctorum reliquiæ sunt in superiori ordine rerum sacrarum, & maiori venerationa dignæ, & ideò in ea fictione circa reliquias, maior interuenit irreuerentia, & fit maior iniuria Religioni. Cuius signum est, quià nunquam permittit Ecclesia, sacras reliquias in terram projici, vel conculcari; cum tamen sæpissimè contingat, aquam benedictam in terram cadere, quandò ea asperguntur fideles, nec vlla adhibetur cautella, nè à prætereuntibus teratur pedibus, ideò est dispar ratio.

DVBITATIO VII.

Vtrùm ad consequendos effectus aquæ bebenedictæ requiratur eiusdem contactus physicus, vel sufficiat moralis.

Respondeo. Sufficere contactum moralem, qui censetur interuenire, quoties aspersio aquæ acceptatur à personis, super quas dirigitur signo aliquo, e. g. inclinatione, aut simili gestu. Vel si fiat aspersio super res insensibiles, quoties intentio aspergentis ad eas dirigitur, quamuis aqua non pertingat phisicè ad illas.

Probatur primò à simili, quià ad valorem Sacramenti ordinis, & impressionem characteris sufficit, contactus moralis materiæ ordinis ex probabili multorũ sententia, ergò à fortiori, ad con-

quendos effectus aquæ lustralis, sufficit contactus moralis; minùs enim requiri videtur ad hos effectus quam ad effectum Sacramenti ordinis.

Probatur secundò: Ex praxi, & modo, quo secundùm Ecclesiæ vsum fieri solet aspersio huiusmodi aquæ, vel in Choro super Clerum, vel in Ecclesia super populum in tali distantia, vt vix aqua ad paucos pertingat; & tamen omnes censentur aspersi, & participes fructuum indè prouenientiū; ergò non requiritur tactus phisicus, sed sufficit moralis. Itèm quando benedicuntur palmæ, vel candelæ, &c. præsertim in magno numero; certum est, aquam non pertingere ad singulos ramos, vel candelas singulas; & tamen omnes censentur benedictæ, & aqua sanctificatæ, ergò, &c.

DVBITATIO VIII.

An vsus aquæ benedictæ sit prohibitus excommunicatis.

RAtio dubitandi est: Quià excommunicati priuantur communibus Ecclesiæ suffragijs; aqua verò benedicta numeratur inter hæc suffragia; quippè totam vim suam habet ex meritis, & intercessione Ecclesiæ, ergò &c.

Prima sententia absolutè docet, excommunicatum non posse vti licitè aqua benedicta, sed venialitèr peccare, si se ea aspergat ob rationem explicatam, ita Vgolinus, & alij quos refert, & sequitur Bonacina *de excommun. disput. 2. quæst. 2. §. 2. num. 9.*

Secunda tamen, & probabilior sententia sustinet, non esse prohibitum absolutè, & simplicitèr excommunicatis vsum aquæ benedictæ, sed secundùm quid. Quamuis enim non possint ea vti, tanquam bono communi, seù communi Ecclesiæ suffragio, videlicèt ad consequendos eius effectus ex meritis Ecclesiæ, à quibus sunt exclusi, possunt nihilominus ea vti, tanquam re sacra, & instrumento suæ priuatæ deuotionis, sicut possunt vti signo Crucis, Rosario, vel Corona B.V. tunsione pectoris, & alijs similibus rebus sacris, quarum aliquæ inter Sacramentalia computantur, ità Suarez *de censuris disp. 12. sect. 3.* Filiucius, & alij, quos affert, & sequitur Lezana *qq. RR. ver. excommun. num. 16.*

SECTIO II.

De benedictione ad quodcunq; comestibile, seù esculentorū in genere:

IN Missali Romano post benedictionem aquæ lustralis, præscribiuntur formulæ benedicendi Agnum in Paschate, oua, panem, &c. & tandèm quodcunque comestibile. Antequàm autem accedamus ad explicationem benedictionum prædictarum rerum comestibilium in particulari, priùs secundùm doctrinæ ordinem differemus de hac benedictione esculentorum in genere, seu ad quodcunque comestibile, vt explicatis ijs, quæ omnibus sunt communia; breuiùs deindè, & clarius expedire possimus ea, quæ pertinent ad singulas in particulari.

PRÆLVDIVM I.

De origine, & causis benedictionis esculentorum, seu rerum comestibilium.

REspondeo, & dico primò. Vsus laudabilis, (qui apud pios fideles communis est) non sumendi cibum sine benedictione, trahit originem à Christo, & ab Apostolis; Primo enim de Christo Domino, sæpè legimus in Euangelijs, eum benedixisse alimenta, quæ vel ipse sumpsit, vel alijs distribuit. Sic *Marci 6. acceptis panibus, intuens in Cælum benedixit.* Item *Lucæ 9. respexit in Cælum, & benedixit, ac fregit; & distribuit Discipulis* &c. & post Resurrectionem *Lucæ 24. accepit panem, & benedixit, ac porrigebat illis.* Deindè Apost. 1. *ad Thim. 4.* *Nihil* inquit, *reiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* Hinc mos inoleuit benedicendi alimenta, & res comestibiles priusquam sumantur, videlicèt verbis sacris, & salutari signo Crucis, ad quod alludit S. Cyrill. Hierosol. *Catechis.* 13. vbi ait, *in omnibus Crux fiat, & in panibus comedendis, & poculis bibendis, &c.*

Dico secundò: Materia, cui applicatur hæc benedictio, sunt esculenta quæcunque ex supradictis. Forma consistit in verbis cum signo Crucis, vt in Missali præscribitur, tum in genere ad quocunque comestibile, tum in particulari super carnes, oua, & c de quibus posteà dicimus. Minister benedictionis est quilibet Sacerdos. Tandèm causa finalis est vtilitas fidelium in ordine ad salutem corporum, & animarum, videlicèt, vt sumantur alimenta salubritèr, &

absque

absque nocumento salutis corporalis; & cedant etiam in salutem animarum, quatenùs sumantur cum gratiarum actione ad Deum,& secundùm regulas virtutis temperantiæ.

PRÆLVDIVM II.

De mysterijs, & documentis eiusdem benedictionis.

PRimò, & principalitèr hac benedictione monentur fideles, sumendos non esse cibos brutali modo ad satisfaciendum ventri, & gulæ, sed modo rationali, videlicèt in finem virtutis propter vitę conseruationem in obsequium,& laudem Dei.Cibos ergò,quos à Deo nobis prouenire cognoscimus, vt ipsius verbis benedictionis fatemur: secundum Dei placitum sumere debemus, & in eius gloriam; quem admodùm monet Apost.1. *Cor.10.siuè* inquit *manducatis,siuè bibitis* &c.*omnia ad gloriam Dei facite*. Hinc D.Basilius *orat. 16. de ingluuie, & ebrietate*, sic ait, *victus, & ratio viuendi, hominis christiani vnum scopum sibi propositum habent, nempè gloriam Dei siuè enim cibum capessitis, siuè bibitis; omnia ad gloriam Dei facite*.

Secundò Benedicuntur cibi materiales,vt ex his verbo Dei sanctificatis excitemur ad desiderium, & famem ciborum spiritualium animæ, qui secundùm se, & proprissimè sunt sancti, & vitam spiritualem conseruant; huiusmodi sunt actus virtutum, quibus Dei mand ata, ac voluntatem exequimur; vndè Christus *Io. 4. meus inquit, cibus est, vt faciam volunta tem eius; qui misit me, & Matth.5. Beati, qui esuriunt iustitiam, quoniàm ipsi saturabuntur*.

Tertiò: Cum propter hominum intemperantiam vsurpauerint sibi dæmones nonnihil potestatis in cibos, vt notat S.Gregorius *lib.1. Dialog.* vbi narrat, dæmonem inuasisse monialem quandam, eò, quià ausa fuerat comedere lactucam sine præuia benedictione, & refert etiam Durand in *Rationali lib.6. cap.86.* de quibusdam dæmonibus, qui suam fixerant sedem in quodam malo granato; quod cum puella comedisset, eam inuaserunt; idcircò, vt vis, & potestas diaboli expellatur à cibis sumendis, adhibetur antidotum præuiæ benedictionis; quam valdè timet diabolus serpens à Deo maledictus. Hinc S.Ioan. Chrisostomus de *fide Annæ* docet, hanc benedictionem prodesse ad abigendos dæmones,&nos ipsos in sobrietate continendos.

PRÆLVDIVM III.

De virtute,& effectibus eiusdem benedictionis.

REspondeo: Virtute huius benedictionis, eos, qui sumunt cibos verbo Dei sanctificatos, indè percipere corporis sanitatem, & animæ tutelam; quemadmodùm in oratione. seù formula benedictionis precatur Ecclesia; his verbis, vt per inuocationem diuini nominis quicunque ex eis sumpserint, corporis sanitatem, & animæ tutelam percipiant. Quarè ex meritis, & intercessione Ecclesiæ confert Deus gratias huic fini proportionatas, quibus adiuti fideles à vitio gulæ declinent, & sobrietatem seruent; & hac ratione alimenta, præuia benedictione sanctificata, tam corpori, quàm animæ prosunt. Vndè ad duo capita reuocantur fructus, & effectus, quos virtute huius benedictionis consequimur; primò enim præseruamur à malis, & nocumentis, quæ proueniunt à vitio gulæ in detrimentum corporis, & animæ Secundò fruimur bonis temperantiæ, & sobrietati adnexis, corpori, & animæ proficuis: quæ breuitèr hìc adnotabimus, vt melius innotescat virtus & vtilitas huius benedictionis.

Quoad primum caput: Vitium gulæ, & vsus inordinatus cibi, & potus primò fert secum sui ipsius supplicium, & pœnam. Nàm corpus onerat,sanitatem lædit, morbos creat, vitam abbreniat: Itèm respectu animæ, hebetat intellectum, mentemque perturbat, & subindè voluntatem peruertit, fouet luxuriam,& otium nutrit omnium vitiorum seminarium.

Secundò: Gula, & crapula valdè prouocant iram Dei;vt constat exemplo primorum parētum, qui propter esum pomi, amisso innocentiæ statu,è paradiso fuerunt eiecti. Similitèr Israelitæ, quandò carnes in deserto inordinatè appetiuerunt, iram Dei experti fuerunt, *psal.77. & ira Dei ascendit super eos*, &c.

Tertiò: In alia vita peculiari supplicio afficiuntur gulosi, exemplo diuitis, qui epula batur quotidiè splendidè, & indè siti, ac fame rabiosa in æternū punitur.A prædictis ergò pœnis,& damnis præseruantur,qui virtute huius benedictionis gulæ frænum imponunt.

Quoad secundum caput de fructibus temperantiæ,primò hæc virtus sobrietatis alleuiat corpus, & præseruat a morbis:conseruat sanitatem,vitamq; producit. Insuper recreat animam, & disponit ad suscipiendas cœlestes consolationes; qui enim corporis cibos non necessarios sibi subtrahunt, cælesti pabulo à Deo recreantur. Tandem auget viros ad pugnandum contrà diabolum,&illi fortitèr resistendum;siquidèm,(teste Antonio Magno) pertimescit Satanas piorum vigilias, & ieiunia,& plures alios similes fructus gignit sobrietas, & ieiunium,de quibus luculentèr pertractant SS.PP.Ambrosius de *Elia, & ieiunio*. Gregorius *homil.in Ezech.*

Ezech. Bernardus *de Consoli*, aliique. Præsertim D. August. *lib. de moribus Eccles.* sic ait, *Sobrietas est mentis, corporisque tutela, castitatis, & pudicitiæ munimentum, vitiorum omnium profuga, &c.* His ergò bonis virtute huius benedictionis fruimur, quatenùs ex meritis Ecclesiæ, vndè benedictiones vim habent, Deus confert gratias, quibus sobrietatem sectamur.

DOCTRINA MORALIS,

Et dubia conscientiæ de peccatis gulæ, & ebrietatis, oppositis fini huius benedictionis.

DVBITATIO I.

Quid sit gula, & quotuplex.

Respondeo, & dico primò: Gula est appetitus inordinatus cibi, & potus, seu delectationis in vsu cibi, & potus, ità D. Thomas 2.2.*q.*148.*art.* 1. & ibi expositores communitèr. Dicitur primò: apetitus inordinatus loco generis, in quo gula conuenit cum superbia, auaritia, luxuria, & alijs peccatis capitalibus, quibus aliquid appetitur contra ordinem rectæ rationis, seu contrà debitum modum iure naturali, & recta ratione præscriptum. Reliquæ particulæ sunt loco differentiæ, vt per se constat.

Dico secundò: Gula diuiditur in quinque species, iuxta quinque modos, quibus contingit peruerti ordinem a recta ratione præscriptum circà vsum cibi, & potus, qui hoc versiculo continentur, relato a D.Thoma *sup.art.*4.

Præpropere, lautè, nimis, ardentèr, studiosè

Ratio est, quià peruersio debiti ordinis a ratione præscripti esse potest, vel circà ipsum cibum, vel circà illius sumptionem. Rursùs circà cibum, vel ratione substantiæ, vel quantitatis, vel qualitatis. Circà ipsius sumptionem, vel ratione temporis, vel ratione modi.

Ratione substantiæ circà cibum peruertitur debitus ordo, cum appetuntur cibi pretiosiores, quam conueniat statui, e.g. si Religiosus contemptis alijs cibis, nulit comedere, nisi perdices, phasianos, & cætera huiusmodi, & hoc insinuatur per ly, lautè.

Ratione quantitatis, cum nimium comeditur, seù plusquam natura requirit, & hoc insinuatur per nimis.

Ratione qualitatis, cum in condimentis, & studio præparandi cibos est excessus; vt si quis nulit cumedere, nisi cibos multo saccaro, vel succis varijs conditos, & hoc indicat studiosè.

Ratione temporis in ipsius cibi sumptione contingit peruersio debiti ordinis præueniendo, vel sæpiùs quam deceat comedendo, quod indicat præpropere.

Ratione modi, vt si quis voracitèr comedat cibos non mansos, deuorando, sicut canes, & hoc significat ardentèr, ita D.Thomas art.4. citato, & expositores communitèr, atque hos quinque modus inordinatos, seù gulæ species apertè tradit, & enumerat D. Gregor. citatus a D. Thoma *lib.* 30. *moral.cap.*27.

Dicetis, prædicta diuisio videtur insufficiens, & diminuta; sunt enim alij modi inordinati; & peruersi circà vsum cibi, & potùs; ergò etiam plures species gulæ.

Antecedens probatur: nàm qui comedit carnes tempore vetito, e.g. feria 6. peccat peccato gulæ. Similitèr, qui comedit ante communionem: & tamen nullo prædictorum modorum peccat: tertiò, qui comedit in loco indebito, e.g. in templo, quartò, qui vtitur cibis noxijs; tandèm comedentes carbones, vel carnem humanam, aut alios cibos exectandos peccant etiam peccato gulæ, quod reduci non potest ad species assignatas, ergò dantur aliæ species gulæ.

Respondeo: Species gulæ propriè dictas esse illas, quæ constituuntur per circumstantias, directè oppositas virtuti abstinentiæ; tales autèm sunt solùm quinque supradictæ a D. Thoma assignatæ. Circumstantiæ verò, quæ inducunt inordinationem repugnantem alteri virtuti, non constituunt species gulæ; sed alterius vitij diuersi a gula; possunt enim in eodem actu peccaminoso esse malitiæ specie diuersæ, vt notum est, & contingit in exemplis, in obiectione adductis, in quibus, vel est malitia gulæ reducibilis ad quinque species assignatas, vel alia diuersæ speciei contrà aliam virtutem ab abstinentia diuersam.

In primò itaque casu est species gulæ, quæ reducitur ad præpopere, quatenùs præuenitur conueniens tempus vtendi tali cibo.

In secundò, est peccatum sacrilegij; quià tunc quis non tàm peccat comedendo, quam volendo post cibum communicare.

In tertiò casu est etiam quædam species sacrilegij, vel irreligiositatis contrà reuerentiam debitam loco sacro.

In quarto, est peccatum contra sui charitatem.

Tandèm in vltimo non tàm est vitium gulæ humanum, quàm feritas belluina, vel fatua, quale autèm peccatum sit comedere carnem humanam; videri potest Lessius *lib.* 4.*cap.*3. *dub.*2. Certum est autèm extrà grauissimam necessitatem esse peccatum mortale.

DVBI-

DVBITATIO II.

Quale peccatum sit gula.

Respondeo, distinguendo cum D. Thoma *q. citata* 148. Si inordinatio gulæ accipiatur secundum auersionem a fine vltimo, sic gula est peccatum mortale; quod quidèm contingit, quandò delectationi gulæ ità inhæret homo, vt propter eam paratus sit Dei præcepta violare; & consequentèr eam delectationem Deo præferre. Si verò in vitio gulæ sit inordinatio secundum ea, quæ sunt ad finem, vtpotè, quià nimis, & indebito modo concupiscitur delectatio ciborum, non tamen ità, vt Deo, & eius mandatis præferatur, sic est peccatum veniale, ità D. Thoma *art.* 2. *cit. in corp.* & expositores communitèr.

Col igitur primò. Peccare mortalitèr eos, qui vel nimis comedunt, vel cibos noxios cum notabili damno propriæ salutis, seù valetudinis, si id aduertat, quià violat præceptum propriæ charitatis; quod si nocumentum non sit graue, erit solùm peccatum veniale. Secundò committi etiam peccatum mortale, quandò ex quantitate, vel qualitate cibi, quis probabilitèr timet se lapsurum in peccatum incontinentiæ; quod si putaret, se satis firmum ad resistendum motibus impuris, nec illis consensurum, non peccaret mortalitèr, sed venialiter. Tertiò, quando quis ex certo genere cibi, aut potus putat se nocturnam pollutionem passurum, non peccat mortiferè, modo pollutio non sit intenta, nec sit periculum consentiendi in delectationem, videri potest Lessius *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 1.

Colligitur secundò: Quamuis aliqui DD. damnent peccari mortalis comedentes carnes crudas animalium absque vrgenti necessitate. Nihilominus, probabilius est, hoc non excedere culpam venialem (secluso notabili damno salutis); quià non opponitur speciali præcepto; ità cum alijs Diana *par.* 8. *tract.* 7. *ref.* 84. idemque dicendum videtur de edentibus carbones, cretam, & alia huiusmodi.

Colligitur tertiò comedere, aut bibere absque vlla necessitate ob solam voluptatem, vel sensualitatem, etiam secluso damno salutis esse peccatum veniale ob carentiam debiti finis; quamuis aliqui id ab omni culpa excusent apud Dianam *par.* 3. *tract.* 5. *ref.* 6. sed id, quod diximus, est magis conforme doctrinæ D. Thomæ *art.* 2. *citato*, & SS.PP. apud eundem D. Thomam.

DVBITATIO III.

Qua ratione gula numeretur inter peccata capitalia: & quarum filiarum sit mater.

Respondeo, & dico primò. Gula meritò numeratur inter peccata capitalia; quià ex hoc vitio, tanquàm semine, vel radice, multa alia veluti rami pullulant, quæ gulæ filię appellari solent. Ratio est, quià à cibus, & potus, circà quæ gula versatur, vehementèr trahunt affectum hominum; tum quià sunt media necessaria conseruandæ vitæ, quæ hominibus præ cæteris rebus, est chara; tum ratione voluptatis, quæ maximè appetitur. Hinc fit, vt horum causa pertrahantur homines ad alia vitia; & sic gula est radix, & caput aliorum vitiorum, & dicitur peccatum capitale. ità D. Thom. *cit. q.* 48. *art.* 5. & ibi expositores communitèr.

Dico secundò. Gulæ assignantur communitèr quinque filiæ, vt ex D. Gregorio *lib.* 31. *moral.* docet D. Thomas supra *art.* 6. videlicèt inepta lętitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, & hebetudo mentis. Ratio est, quià gula est vitium, quò rèquiritur superflua delectatio, immoderato vsu cibi, & potus, ergò ea vitia meritò recensentur, tanquam filiæ gulæ, quæ ex tali immoderato vsu nascuntur. vt sunt iàm enumerata. Primò enim oritur in intellectu hebetudo mentis, ratione vaporum, quibus cerebrum oppletur. Deindè in appetitù nascitur inepta lętitia: quià mens hebetata non percipit altiora, & in ea voluptate magnum bonum imaginatur, ideò exultat animus, tanquam partem quandam felicitatis adeptus, & exterius per risum, & alia signa lætitiæ se effundit. Tertiò in ore parit multiloquium, & scurrilitatem; quià ratio hebetata, & voluptati intenta, non considerat, quid dicat, sed facilè quicquid videtur iucundum, effutit. Denique in corpore parit immunditiam, videlicèt, vel vitia carnis, vel vomitus, & similes fœdas excretiones, ità D. Tho. vbi sup. quem sequuntur communitèr alij DD.

DVBITATIO IV.

Quale peccatum sit euomere cibos, vt iterùm edatur, ob solam voluptatem.

Svnt aliqui, ità gulæ, & ventri dediti, qui, vt sæpiùs expelant appetitum inordinatum cibi, & potus, & fruantur delectatione indè orta; comedunt, vt euomant, & euomunt, vt iterùm comedant; quærimus ergò qualitèr peccent.

Prima sententia sustinet, id esse peccatum mortale. Tum quia prædicti videntur constituere vltimum finem in ea voluptate, iuxta illud Apostoli, *quorum*

quorum Deus venter est, ità Fernandez *in exam. theol. moralis*, citans Syluestrum, Angelum, & alios graues Doctores in manuscriptis.

Secunda sententia probabilior docet. Secluso graui damno propriè salutis, vel aliorum scandalo, id non excedere culpam venialem; quia non opponitur speciali præcepto Dei, vel Ecclesiæ, ità Iõ: Henriquez, quem citat, & sequitur Diana *p. 5. tract. 13. resol. 40.*

Ad rationes oppositæ sententiæ respondetur, hanc gulæ inordinationem continere quidem magnam deformitatem contrà modestiam, & decentiam, meritò reprehendendam; non tamen indè sequitur esse peccatum mortale; quia non opponitur obligationi legali, sed obligationi morali, & cuiusdam decentiæ.

Ad secundam, negandum est illos ponere vltimum finem in ea delectatione: quia non violant præceptum graue diuinum, vel ecclesiasticum; & consequentèr ex hoc præcisè nõ auertuntur à Deo.

DVBITATIO V.

De vitio ebrietatis.

Respondeo, & dico primò: Ebrietas est excessus in potando, causa voluptatis, vsque ad violentam vsus rationis priuationem. Colligitur ex D.Thoma 2.2.*q*.150.*art*.1. Dicitur primò, excessus loco generis, in quo conuenit cum intemperantia, respectu ciborum, qua fit excessus, vel in quantitate, vel qualitate, &c. modis suprà explicatis; vndè ebrietas, iuxtà D. Thomam dicta est, quasi extrà briam, seu mensuram. Reliquæ particulæ sunt loco differentiæ, dicitur enim in potando, vt distinguatur ab intemperantia, seu vitio gulæ in edendo, propriè enim ebrietas aduersatur sobrietati, cuius munus est moderari gulam quoad appetitum potus, ex D.Thoma cit. Dicitur tertiò: causa voluptatis, nàm causa medicinæ, vel similis finis naturæ conuenientis: non esset ebrietas, vt hic sumitur pro culpa, & docet Caetanus, & alli expositores D.Thomæ suprà. Tandèm dicitur vsque ad violentam, &c. quià rationis vsus potest auferri, aut suspendi, vel modo naturali, e. g. per somnum; vel violentè per excessum aliquem ex causa naturæ contraria, vt in casu nostro, & fusiùs explicat Lessius *lib.4.cap.3.dub.3.*

Dico secundò; Ebrietas voluntaria est peccatum mortale; ità D.Thomas cit.q.150.art.2. quem sequuntur communitèr alij DD. contrà Abbatem in *cap. à crapula num.1. de vita, & honestate Clericor.* & constat ex Apost. ad *Galatas* 5. vbi ebrietatem ennmerat inter peccata, quæ homines excludunt à Regno Dei.

Probatur ratione; Quià certè grauis deformitas censetur, & graue malum, abiecta rationis potestate, (qua nihil in homine præstantiùs est) ad brutorum stoliditatem, causa voluptatis, se vltrò abijcere, quod egregiè explicat S. Basil. *homil. in ebrietatem.*

Confirmatur, quià ebrietas multa alia mala in se contrahit; ob quæ meritò graue crimen censeri debet; excitat enim ad mores absurdos, & grauia crimina; vt videri potest apud Lessium loc. cit.

Colligitur primò, grauitèr peccare, tum illum, qui nimia vini potatione expressè, & directè se inebriare intendit; tum illum, qui aduertit se inebriandum, si pergat potare, & nihilominùs non desistit: quià etiam hic dicitur velle se inebriare consensu tacito; & saltèm inditectè voluntario; & eadem est ratio de quouis alio potu inebriante, e.g. ceruisia, &c. ità Lessius vbi sup. & alij DD. communitèr.

Colligitur secundò: Si quis nimio vini potu non se exponat periculo consumatæ ebrietatis, qua tollitur vsus rationis, sed ebrietatis imperfectæ, qua nonnihil phantasia turbatur, vel lingua titubat, &c. citrà priuationem vsus rationis, eum venialitèr peccare, ratione paruitatis materiæ, ità Caietanus sum. verbo ebrietas, Layman *lib.3.sect. 4.num.5.* & alij DD. communitèr.

Colligitur tertiò, quandò ad vitandam mortem, siuè ex morbo, siuè ex malitia alterius imminentem, necesse est tantùm bibere, vndè quis inebrietur, licitè id fieri, quià id non fit causa voluptatis; sed medicinæ, seu medij necessarij ad salutem, ità cum alijs Diana *p.6.tract. 7. res.44.* plura videri poterunt apud citatos DD.

SECTIO III.

De Benedictione Agni in Pascha.

PRÆLVDIVM I.

De origine, & causis Benedictionis Agni in Pascha.

Respondeo, & dico primò. Iam olim inoleuit pius vsus apud Christianos, post quadragesimale ieiunium, sumendi aliquid de carnibus benedictis Agni, priusquam alias carnes gustent, vndè ipsa die Resurrectionis solent a Parochis, vel alijs Sacerdotibus in hunc finem benedici agni. Quo autèm præciso tempore idem vsus cœperit, non constat. Cœterùm cum sit antiquissimus, probabilitèr dici potest, eum ab Apostolis originem ducere, iuxtà regulam D. August. quam suprà explicauimus *tit. 1. sect.1 dub.1.* Porrò de antiquitate huius benedictionis constat ex ordine Romano vetustissimo, vbi ritus præscribitur benedicendi agnum in Pascha; sicuti testatur Durand. *in Rationali lib.6.cap.86.num.7.*

Dico secundò: Materia huius benedictionis est agnus igne assus, Forma consistit in verbis, seu preci-

precibus, & signis præscriptis tum in Missali, tum in Rituali Romano. Minister est quilibet Sacerdos. Denique causa finalis est incolumitas fidelium, & repræsentatio mysteriorum, de quibus mox dicemus.

PRÆLVDIVM II.

De Mysterijs, & Documentis eiusdem benedictionis.

PRimò. Benedicitur agnus à Sacerdote ipso die Paschatis, & de illius carnibus cum gaudio fideles comedunt; ad repræsentandum, quod Deus per Moysen iussit comedi agnum in memoriam exitus, & liberationis populi Israelitici de Ægypto, & liberati a morte per signum, seu notam sanguinis agni, quod totum fuit expressa figura redemptionis humani generis, eruti de potestate Diaboli per sanguinem Christi agni immaculati, ad Tessal. 1. Hinc ergò populus Christianus præsiguratus in populo Israelitico, agnum benedictum lætus comedit in Pascha, gaudens iam, in seipso impletum esse per sanguinem Christi, qui est verus Dei agnus, quod olim præfiguratum fuerat in sanguine agni typici veteris legis, ità Durand. vbi suprà. Nihil ergò iudaismi in hoc ritu continetur; non enim intendit Ecclesia, agnum esse imaginem, seu typum venturi Messiæ, sicut erat in lege veteri; sed potiùs agni benedictione protestatur, iam Christum venisse, & in eo fuisse impletas prophetias, & figuras veteris testamenti; & præsertim figuram iàm explicatam agni paschalis.

Secundò. Benedicitur, & manducatur agnus in Pascha ad recolendum beneficium Sacramenti Altaris, seu agni eucharistici eodem tempore à Christo instituti, & per agnum legalem præfigurati; quod ipse Christus declarauit, dum instituit hoc Sacramentum immediatè post cœnam agni legalis, & typici; dans finem figuris, & principium veritati, seu rei figuratæ, ita Expositores communitèr.

Tertiò. Cum agnus sit typus innocentiæ, & symbolum prædestinatorum. *Matth. 25. Statuet agnos a dextris, &c.* meritò fideles agnum benedicunt, & læti comedunt in Pascha: quandò impleto præcepto confessionis, & communionis, innocentiam sunt adepti, itèm, vt prædestinati aspicerent ad æternam gloriam in Pascha, quandò Christus æternitatis nobis aditum deuicta morte reserauit.

Tandèm, benedicitur agnus in Pascha, antequam comedatur; quià nihil in hac sancta die sumendum, quod a Sacerdote priùs benedictum non fuerit, sicuti notat Durandus, [initio citatus, & ex eo Castaldus in *praxi cærem. tit. de Sabbato Sancto*. Rationem reddit idem Durandus; quià, inquit, inimicus noster tunc nos magis satagit supplantare, videlicèt, suggerendo crapulam, & immoderatum vsum ciborum paschalium post ieiunium quadragesimæ, sicut enim tentauit Christum in deserto post ieiunium; ità, & membra Christi seu fideles tunc præcipuè supplantare conatur, videlicèt, completo ieiunio quadragesimali; quandò appetitus ciborum auidior est. Nè igitur diabolus præualeat, præmittitur benedictio ciborum; & ea præmunitur populus fidelis contra insidias inimici, Durand. loc. cit.

PRÆLVDIVM III.

De virtute, & effectibus eiusdem benedictionis Agni in Pascha.

REspondeo breuitèr: Effectus huius benedictionis esse eosdem, quos suprà declarauimus de benedictione esculentorum in genere hoc *tit. 3. sect. 2. prælud. 3.* qui efficaciùs obtinentur virtute Resurrectionis Christi, cuius inuocationem adhibet Ecclesia in hac benedictione agni paschalis.

DOCTRINA MORALIS,

Et dubia conscientiæ de sumptione Agni Eucharistici: ex secundo documento suprà explicato, seù de præcepto communionis paschalis.

DVBITATIO I.

An Sacramenti Eucharistiæ sit medium necessarium ad salutem.

REspondeo, & dico primò: Sacramentum Eucharistiæ non est absolutè necessarium ad salutem, (seù non est) necessarium necessitate medij, ità D.Th. *3. p. q. 65. art. 4.* quem sequuntur communitèr.

Probatur, quià duo tantùm Sacramenta, sunt, (inquit D. Thomas) quæ personis singularibus consti-

constituta sunt, tanquam media necessaria iustificationis, videlicet, Baptismus; & Pœnitentia: Baptismus in remedium peccati originalis; Pœnitentia vero pro lapsis post baptismum. Cum ergò Eucharistia non sit medium per se iustificationis, consequenter neque est medium necessarium ad salutem æternam; quam assequuntur decedentes in statu gratiæ, etiam si sacram Eucharistiam sumere non potuerint.

Dico secundò. Sumptio Eucharistiæ est adultis necessaria necessitate præcepti; tum iuris diuini, præsertim in articulo mortis (de quo modo non loquimur) tum Ecclesiastici in Paschate, ex cap. omnis vtriusque de pœnit. & remiss. & ex Trid. *sess. 13. cap. 9.* de quo hic agimus occasione agni, qui vt supra dicebamus, benedicitur in Pascha in memoriam institutionis eiusdem Sacramenti.

Hinc colligitur hoc præceptum ecclesiasticum obligare ad communionem determinato tempore, videlicet in Pascha, quod iure communi completitur quindecim dies, computandos a Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in Albis inclusiuè, ex declaratione Eugenij IV. quam refert Nauar. *sum. cap. 21. nu. 45.* & in quibusdam locis, vel ex consuetudine, vel priuilegio Summi Pontificis latiùs extenditur.

DVBITATIO II.

Vtrum, qui non communicauit in Pascha, teneatur quamprimùm communicare.

Respondeo Affirmatiuè: siuè iusta, siuè iniusta ex causa sacram communionem quis intermiserit, quarè elapso termino eò magis peccatum auget, quò longiùs differt sumptionem Eucharistiæ. Ratio est, quià tempus Paschæ non determinatur ad finiendam hanc obligationem, sicut e. g. determinatur vigilia pro ieiunio; sed ad eam soluendam tunc, quando idem Sacramentum fuit à Christo institutum.

Antecedens probatur, quià intentio Ecclesiæ principalis est obligare fideles ad sumendam Eucharistiam, saltèm semel in anno; secundariò autèm determinat tempus paschæ ob congruentiam explicatam sicuti manifestè conuincitur ex verbis citati *cap. omnis vtriusque* ibi *semel saltèm in anno*; & ibi *ad minus in Pascha*; ergò ex eo, quod quis neglexerit hoc, quod secundario præcipitur, non excusatur a principali, ita Nauarr. Suarez. & alij plures apud Layman *lib. 5. tract. 4. cap. 5. num. 8.* quamuis non desint oppositum sentientes apud Dian. *p. 3. tract. 4. resol. 41.*

DVBITATIO III.

An qui præuidit se in Pascha à sacra communione impeditum iri, teneatur præuenire.

Respondeo distinguendo. Si præuidit impedimentum duraturum, integro anno, ita vt communicare non possint vsque ad sequens Pascha; tenetur vtique præuenire; quia intentio principalis Ecclesiæ in hoc præcepto est, vt fideles saltèm semel in anno communicent, vt supra dicebamus, ergò, vt illi satisfiat, qui non potest communicare posteriori anni parte tenetur præuenire. Si verò quis probabilitèr existimet, se infra annum habiturum oportunitatem communicandi post Pascha, non teuetur præuenire, quia potest satisfacere intentioni Ecclesiæ quoad substantiam præcepti, ità Syluius, Nugnus, & alij, quos affert Diana *par. 3. tract. 4. res. 42.*

An autèm, qui ob præuium impedimentum communicauit ante Pascha, cessante præter opinionem impedimento, teneatur iterùm in Pascha sumere Eucharistiam, variant DD. probabile est autèm non teneri, Diana vbi sup.

DVBITATIO IV.

An communicans indignè, seù in statu peccati mortalis satisfaciat præcepto.

Respondeo affirmatiuè; quarè non tenetur iterùm in statu gratiæ communicare. Ratio est, quià præcipitur sumptio Sacramenti quoad substantiam; quod autèm hoc fieri debeat in statu gratiæ pertinet ad modum, & finem præcepti, qui non cadit sub præcepto ecclesiastico.

Confirmatur, quià etiam si postea innotescat Ecclesiæ, aliquem indignè communicasse; non solet ei præcipi ab Ecclesia, seù ab eius Prælatis, vt iterùm communicet; ergò signum est eum satisfecisse præcepto; quamuis grauissimè peccauerit contra præceptum iuris diuini, ità Sotus, Suarez, & alij plures apud Dianam, vbi sup. res. 43.

DVBITATIO V.

Vbi fieri debeat communio ad satisfaciendum huic præcepto.

Respondeo: Faciendum esse necessariò in propria Parochia: sicuti colligitur ex *cap. citato, Omnis vtriusque*, & constat ex communi praxi Ecclesiæ.

Difficultas est, an huic præcepto satisfieri possit in

sit in Ecclesia Cathedrali omissa propria Parochia. Aliqui enim absolutè affirmant, quia in qualibet Ciuitate Ecclesia Cathedralis est parochia communis, sicut Episcopus est supremus, & communis omnium parochus, Nihilominus dicendum, id non esse absolutè verum, nisi fiat de licentia Episcopi vel consuetudo legitimè præscripta id obtinuerit; alias confusio orietur, vt fusius explicat Diana *p.9.tract.6.resol. 64.*

DVBITATIO VI.

An pueri obligentur præcepto communionis.

RESpondeo, & dico primò. Pueri imbecillioris ætatis non statim obligantur hoc præcepto, etiam si completo septennio adepti sint vsum rationis; sed solum in prouectiori ætate, quando maturius iudicium sunt assecuti; sicuti constat ex communi praxi Ecclesiæ. Ratio est maior reuerentia, quæ præ cæteris debetur Sacramento Eucharistiæ, in quæ Christus realiter continetur.

Dico secundò. In quo præciso ætatis anno incipiant obligari pueri præcepto communionis, non est lege aliqua determinatum; sed id remittitur arbitrio confessorum, & parentum. Communiter autem seruatur, vt confessarij possint quidem admittere ad communionem pueros bonæ indolis, statim a septennio, non tamen teneri, nisi a decimo vsque ad quartum decimum annum & summum, considerata singulorum capacitate, & morum probitate; sicuti fusius explicauimus in *comment. ad rub. Missalis par. 2. tit. 10. sect. 3 dub. 2.*

Colligitur. Pueros non obligari hoc præcepto, antequam illis fuerit intimatum a parocho, vel confessario; confessarios verò teneri illis intimare ab anno decimo, vt supra, nec differre posse vltra annum decimum quartum.

DVBITATIO VII.

De pœnis latis in transgressores huius præcepti.

RESpondeo. Contra violatorem huius præcepti latas esse pœnas in cit.cap. omnis vtriusque, his verbis; alioquin; & viuens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens christiana careat sepultura; quæ vt patet ex verbis non sunt latæ, sed ferendæ sententiæ. Vnde parochi cum careant iurisdictione in foro externo, non possunt eas ex se inferre; sed iubente ordinario; Quapropter attendi debent speciales Diœcesum consuetudines, & constitutiones, ità DD. communiter, videri potest Suar. *tom.3.in 3.p.disp. 70.sect.5.fine.*

SECTIO IV.

De Benedictione Ouorum.

PRÆLVDIVM I.

De origine, & causis Benedictionis ouorum.

REspondeo, & dico primò. Huius benedictionis origo; quatenùs fit in Pascha; manat ex eisdem principijs, a quibus sumpsit exordium benedictio agni in Pascha, de quibus diximus *sect. præcedenti prælud.* 1. Quatenus verò fit extra tempus paschale, reducitur ad principia esculentorum in genere, quæ supra explicauimus sect. 2. prælud. 1. & applicari possunt huic benedictioni.

Dico secundò. Materia huius benedictionis sunt oua, præsertim gallinarum, ob rationes sequenti prælud. adducendas. Formula est, quæ præscribitur, tum in Missali, tum in Rituali Romano. Minister est quilibet Sacerdos. Denique causa finalis est incolumitas fidelium, & repræsentatio mysteriorum, de quibus dicemus in sequenti prælud.

PRÆLVDIVM II.

De Mysterijs, & Documentis benedictionis ouorum.

PRimò. Benedicuntur oua, præsertim in pascha, vt virtute benedictionis ex his cibis materialibus, verbo Dei sanctificatis excitemur ad desiderium, & famem ciborum spiritualium, vt supra dicebamus sect. 2. prælud. 2. de esculentis in genere. Cum autem inter cibos materiales primû, & præcipuum locum sibi vendicent oua; eò, quia sunt optimi nutrimenti, & exquisitæ conditionis; sicuti eruditè explicat noster Aresius in *sacris emblematibus*, vulgò, Imprese sacre, *tom. 1. lib. 2. impres. 5.* consequentèr hac peculiari ouorum benedictione monemur, in pascha, & paschali tempore (quandò renouati per gratiam ob recepta Sacramenta confessionis, & communionis animæ nostræ sunt melius dispositæ) monemur inquam dicto præsertim tempore, nos delectari debere pinguedine spiritus; & vacare excellentissimis, & optimis virtutum actibus, ac frequentiæ Sacramenti Eucharistiæ, cuius, (vt infra dicemus) oua sunt typus, & figura. Hinc Aposto. 1. *Cor. 5. Pascha nostrû immolatus est Christus; itaque epulemur, non in fermento malitiæ, sed in azimis sinceritatis, & veritatis.*

Secundò: Oua, teste D. August. *serm. 29. de verbis Domini*, sunt symbolum spei; siquidèm ex illis expectamus futuras auiculas, quarum semen oua continent. Per benedictionem ergò ouorum, quæ, fit in Pascha, seù in festo Resurrectionis Christi, erigimur in spem futuræ nostræ Resurrectionis in gloriam, ob quem finem (inter alios) Christus Dominus præcipuè resurrexit; sicuti probat D. Thomas 3. *p. q.* 53. *art.* 1. his verbis, *Tertiò necessarium fuit Christum resurgere ad sublevationem nostræ spei, quia dum videmus, Christum resurgere, qui est caput nostrum; speramus, & nos resurrecturos*, vnde dicitur 1. *Cor.* 15. *Si Christus prædicatur, quod resurrexit, quomodò quidam dicunt, quod resurrectio mortuorum non est*, & D. Greg. 14. *moral. cap.* 27. *Redemptor*, inquit, *noster suscepit mortem, nè mori timeremus, ostendit resurrectionem, vt nos resurgere posse confidamus*.

Tertiò: Benedicuntur oua in pascha ob quandam proportionem typicam, quam habere videntur cum Sacramento Eucharistiæ, quod ex præcepto sumi debet in Pascha. Sicuti enim sub cortice oui continetur optimum corporis nutrimentum, ità sub accidentibus Eucharistiæ continetur caro Christi per modum cibi, & cœlestis animæ nutrimenti. Itèm intrà ouum quædam pars alimenti est alba, & candida; quædam rubea, & sanguinea; sic in Eucharistia continetur caro Christi candida, & purissima, & sanguis prætiosissimus eiusdem, de qua proportione fusius disserit Aresius vbi sup.

Quartò. Benedicuntur oua, præsertim in Pascha, & abiectis corticibus eorum medulla nutriuntur fideles; ad significandum, quod abiecto cortice literæ sacrificiorum, & cœremoniarum veteris legis; reficiuntur medulla veritatis, quæ sub illis figuris, veluti corticibus latebat; relictis solis corticibus, & figuris Sinagogæ Iudæorum. Præsertim verò id fit in Paschate Resurrectionis, quia per ipsam Christi Resurrectionem completo opere Redemptionis, cessarunt figuræ veteris legis, & veluti rupti fuerunt cortices literæ sacrarum scripturarum, & manifestatus fuit verus earum sensus, quo per fidem nutriuntur fideles, ità Aresius loc. cit. apud quem plura legi possunt de ouorum prærogatiuis, & mysticis significationibus.

PRÆLVDIVM III.

De virtute, & effectibus benedictionis ouorum.

RESpondeo. Virtute huius benedictionis obtineri illos effectus, quos suprà explicauimus de esculentis in genere *sect. 2. prælud. 3.* quatenus oua Dei verbo sanctificata prosunt ea sumentibus ad salutem corporis, & animæ; in hunc enim finem ab Ecclesia hæc benedictio ordinatur, vt constat ex formula eiusdem.

DOCTRINA MORALIS,

Et dubia conscientiæ de licito, & illicito ouorum vsu.

DVBITATIO I.

An sit peccatum comedere oua cruda.

RAtio dubitandi est, quia comedere carnes animalium crudas computantur inter peccata gulæ, & plures DD. hoc damnant peccati mortalis, vt suprà dicebamus *sect. 2. dub. 2. coroll. 2.* continet enim grauem deformitatem, qua homo declinat ad feritatem belluinam, & se reddit similem lupis, canibus, & coruis; huic autèm peccato videtur affine, sumere oua cruda, quæ sunt veluti carnes liquidæ.

Respondeo. Certum videri id non esse peccatum mortale.

Probatur, quia, vt probauimus dub. 2. citato secundùm probabiliorum sententiam non est peccatum mortale comedere carnes animalium crudas; secluso grani damno salutis; ergò multo minùs comedere oua cruda, in quo est minor deformitas. Imò nullum videtur peccatum sumere oua recentia, & calida, statim ac à gallina sunt edita, quia perindè est, ac si sumerentur cocta. Cæterùm ea sumere cruda, & frigida ex auiditate, & gulositate non vacat culpa; cum sit contrà rationem; sed non videtur nisi venialis deformitas, secluso periculo damni propriæ salutis, ità Machadus cum alijs, quos affert Diana *p. 8. tract. 7. resf. 84.*

DVBITATIO II.

An oua sint prohibita sub peccato mortali in ieiunijs quadragesimæ.

CErtum est, oua esse prohibita in quadragesima, vt constat ex *cap. denique dist. 4.* & ex praxi totius Ecclesiæ. Difficultas est, an hæc prohibitio sit grauis, & sub peccato mortali, qualis est prohibitio carnium, vel potius leuis, & sub peccato veniali.

Prima sententia sustinet prohiberi quidem oua in quadragesima, sed solùm sub peccato veniali.

Proba-

Probatur, quia oua non sunt materia principalis prædicti præcepti prohibentis, sed minus principalis, & accessoria; ergò non censentur prohibita sub eo rigore, quo prohibentur carnes; consequentèr non sub peccato mortali, sed solùm sub veniali, ità Fagundez, Palatius, & alij apud Dianam *p. 3. tract. 6. res. 80.*

Communis tamen, & vera sententia docet, oua æque, ac carnes prohiberi simplicitèr, & sub peccato mortali.

Probatur tum ex verbis citati canonis, quæ sonant absolutam, & rigorosam prohibitionem, tum ex praxi Ecclesiæ; tum ex communi sensu Doctorum, quos affert, & sequitur Diana *loc. cit. & p. 9. tract. 8. res. 66.*

DVBITATIO III.

An saltèm in Dominicis quadragesimæ licitum sit vesci ouis.

Prima sententia affirmat. Ratio est, quia oua, & lacticinia prohibentur in quadragesima, ratione ieiunij; sed dominicæ non sunt dies ieiunij: ergò in Dominicis non censentur prohibita, ità Gomez, Llamar, Escobar, & alij, quos citat, & reprobat Diana *p. 3. tract. 6. resol. 80. & p. 10. tract. 11. res. 46.*

Secunda, & vera sententia negat.

Probatur ex *cap. denique distin. 4.* vbi declara Pontifex, quod in illis diebus quadragesimæ, in quibus abstinemus à carnibus, debemus etiam abstinere à lacticinijs; & ouis cum ergò constet in dominicis quadragesimæ abstinendum esse à carnibus, manifestè sequitur abstinendum etiam esse ab ouis, & lacticinijs.

Confirmatur ex communi vsu fidelium, & praxi totius Ecclesiæ. Atque ità docent communitèr DD. apud Dianam *p. 9. tract. 8. res. 66.* & alijs locis suprà citatis, in quibus meritò aduertit, primam sententiam modò non esse probabilem; cùm iam reprobata fuerit à Sac. Cong. Indicis, & de mandato eiusdem deleta fuerit ex codicibus cuiusdam auctoris, qui eam defendebat.

Ad argumentum primæ sententiæ, respondetur negando maiorem; non enim prohibentur oua, ratione ieiunij, cui absolutè non obstant, sed ratione temporis quadragesimalis ex vi præcepti distincti, à præcepto ieiunij, vt benè aduertit Sanchez *sum. lib. 4. cap. 11. num. 53.*

DVBITATIO IV.

An in vigilijs intrà annum possit fieri collatio, seu refectiuncula cum ouis.

Ratio dubitandi est, quia plures DD. affirmant in collatione serotina, seu refectiuncula, quæ permissa est in diebus ieiuniorum sumi posse ex cibis concessis pro refectione ad libitum ieiunantis, modo non excedatur quantitas ipsi refectiunculæ competens, e. g. sex, vel ad summum octo vnciarum, sed in vigilijs intrà annum, seu extra quadragesimam non prohibentur oua in refectione; ergò neque censentur prohibita in collatione, & refectiuncula: Maiorem propositionem tradunt Marchantius, Ghetius, Vuiguers, Trullenhc, Zambelli, quamuis non assentiat Diana *p. 9. tract. 6. resol. 8.* sed videtur satis probabilis, saltèm ex principio extrinseco. Minor verò constat ex dub. præcedenti, & consequentia videtur manifesta, vndè aliqui Doctores apud Dianam *p. 10. tract. 14. resol. 59.* hanc partem affirmantem defendunt, quos meritò ipse Diana reijcit cum communi DD.

Respondeo ergò ad propositum dubium negatiuè. Ratio est, quia cum collatio, seu refectiuncula prædicta originem habeat ex sola consuetudine legitimè præscripta; non licet in ea sumere, nisi cibos eadem consuetudine introductos a viris pijs, & timoratis; nunquàm autèm introductus fuit vsus ouorum ob affinitatem, quam habent cum carnibus: ergò, &c. ità DD. communitèr apud Dianam vbi sup. & *p. 4. tract. 4. resol. 117.* Imò Turrianus *cent. 2. dub. 94.* oppositam sententiam dicit esse scandalosam, & temerariam.

Ad rationem dubitandi respondetur. Maiorem propositionem intelligendam esse cum grano salis de cibis, quæ communitèr sumi solent in diebus ieiuniorum, videlicèt de herbis, leguminibus, & etiam piscibus; quatenùs paulatim consuetudo ferè omnes introduxit pro refectiuncula; facienda est tamen excepto de ouis, quibus ipsa consuetudo obstat: cum tamen alijs cibis non obstet.

Colligitur primò, non esse illicitum in collatione sumere parum panis dulciarij confecti ex farina cum ouis, & saccaro, quem vulgo appellant biscotto, quia cùm valdè exigua pars oui ibi contineatur, non tàm habetur eius ratio, quàm alterius substantiæ, nempè farinæ, seu panis, & sic indubitantèr inter bellaria numeratur, quæ sunt propria collationis, secus est de ouis secundùm se. Ità Diana *p. 1. tract. 9. res. 31. & p. 10. tract. 14. resol. 57. fine.*

Colligitur secundò. An etiam pro collatione sit prohibitus caseus, sicut censentur prohibita oua. Dicendum est enim non videri prohibitum, parum caseum in vigilijs extra quadragesimam; quia communitèr numeratur inter bellaria; nec caseo, ità obstat consuetudo, sicur obstat sumptioni ouorum, ità Layman, Turrianus, Syluius apud Dianam *p. 10. cit. resol. 57.*

DVBITATIO V.

An ieiunijs ex voto, vel pœnitentia debitis satisfieri possit cum ouis, & lacticinijs.

RESpondeo, & dico primò. Si quis expressè vouerit abstinentiam ab ouis, & lacticinijs, non poterit satisfacere ieiunio promisso cum ouis, &c.quia non impleret id, quod promisit; consequenter comedendo oua, esset voti transgressor, vt per se patet, & grauitèr peccaret, ità ex communi sententia, Sanchez *sum.lib.4.cap. 11.num. 46.*& idem est de ieiunio iniuncto in pœnitentiam, si confessarius expressit abstinentiam ab ouis, vel etiam a lacticinijs.

Dico secundò. Si in voto non fuit facta expressa mentio abstinentiæ ab ouis, sed simplicitèr quis se obligauit ad ieiunandum; potest tali ieiunio satisfacere cum ouis, eo modo, quo suprà dicebamus *dub.*4. de obseruatione ieiuniorum extra quadragesimam. Ratio est, quia votum non obligat; nisi ad id, quod vouens expressit; item quia votum strictè interpretari debet, vt quantum fieri potest minùs obliget, vt vitetur occasio sacrilegæ eius transgressionis; & eadem ratio est de ieiunio a confessario iniuncto; cum ergò possit ieiunio, absolutè loquendo, satisfieri cum ouis, & lacticinijs, ex supra dictis; potest etiam eodem modo satisfieri voto ieiunandi, ità Sanchez cum communi sententia vbi supra *num.46.& seq.*

Colligitur: Si quis vouerit abstinentiam ab ouis, non teneri ex vi voti abstinere a lacticinijs, quia non tenetur nisi ad id, quod expressit. Ita Sanchez loc. cit. vbi plura legi possunt circa hoc punctum.

SECTIO V.

De Benedictione Panis.

PRÆLVDIVM I.

De origine, & causis Benedictionis panis.

REspondeo, & dico primò. Hæc benedictio ducit originem ab ipso Christo, & ab Apostolis, quià, vt suprà dicebamus de esculentis in genere sect. 2. prælud. 1. Christus Dominus pluriès benedixit panes. Lucæ 9. & 24. & alijs locis ibidem citatis. Refert etiam Abdias *lib.1.certaminis Apostolici* & Petrum Apostolum solitum fuisse benedicere panes, & illis plures infirmos liberasse a varijs morbis.

Insupèr in primitiua Ecclesia a principio fideles, vel quotidiè, vel frequentissimè sumebant Sacramentum Eucharistię: tepescente verò postmodū eo spiritus seruore, quia non omnes dispositi erant ad communionem Sacramentalem; post Missam benedicebantur panes, simplici benedictione, & distribuebantur fidelibus; ne illi, qui sacram Eucharistiam non sumpserant absque vllo fructu benedictionis discederent, & saltèm communicarent spiritualitèr; atque adeò panes huiusmodi benedicti dabantur ad conseruandam memoriam panis cœlestis, seu Sacramenti Altaris, & ad excitandum in eis votum, & desiderium communionis Sacramentalis. Iidem etiam panes benedicti mittebantur ad absentes in signum Catholicæ vnionis, sicut apertè colligitur ex *Canone Ty Papæ 1. de oblationibus populorum*, & ex Concilio Laodicensi *can.14.& 49.* & ex Concil. Cartag.3. *cap.* 5. & hac ratione panibus huiusmodi benedictis inditum fuit græcum nomen Eulogiæ. Similia legi possunt apud D.Augustinum *lib.1. de peccat. meritis cap.26.* vbi panem hunc benedictum Cathecumenis etiam dari solitum affirmat. Plura etiam de hac benedictione panis, & de Eulogia, videri possunt apud Gretserum de *benedictionibus lib.2.cap.24. & sequ.* apud Dusaussay *in Panoplya Sacerdotali p. 2. lib.2. art.5.*& Layman *lib.4.sum.tract.6.cap.7.*

Dico secundò. Materia huius benedictionis est panis communis, & vsualis. Formula est, quæ habetur, tum in Missali, tum in Rituali Romano. Minister est quilibet Sacerdos. Tandèm causa finalis est incolumitas fidelium, & intelligentia mysteriorum, quæ in sequenti prælud. explicabimus.

PRÆLVDIVM II.

De Mysterijs, & documentis eiusdem benedictionis.

DE hac benedictione panis, fusè differit S.Vincentius Ferrerius *serm.10.sub hoc tit. de pane benedicto*; vbi §.2. docet ipso pane benedicto triplex documentum ostendi, videlicet 1. Veritatis, 2.Vtilitatis, 3.Charitatis; vnde iuxta hunc ordinem ex doctrina eiusdem Sancti nonnulla breuitèr hic adnotabimus.

Primum documentum est Veritatis: benedicitur enim panis, primò, vt cognoscamus hanc veritatem, videlicet, tam panem, quam alios cibos dari nobis a Deo; vnde in oratione Dominica a Deo petimus panem quotidianum. Et *ps.* 144. *oculi omnium*, ait Propheta, *in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore oportuno: aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*: Ex hac autem veritate sequitur, quod si panis, & omne nostrum alimentum ex diuina largitate, & benedictione procedit; debere sumentes cibos Deum

Deum benedicere, & non sine gratiarum actione hoc beneficio vti. Secundò, hac benedictione, & distributione panis benedicti insinuatur veritas realis præsentiæ Christi in Sacramento Eucharistiæ, cuius hospitio nos esse indignos veracitèr confitemur; Cum enim hic ritus benedicendi panem in primitiua Ecclesia introductus fuerit in solatium eorum, qui non communicabant sacramentalitèr, vt loco Eucharistiæ panem benedictum reciperent, veluti quendam eius typum, & vmbram, manifestè ipso pane benedicto insinuatur excellentia Sacramenti Altaris, & indignitas nostra ad recipiendum tantum hospitem, vt fusiùs declarat S. Vincentius vbi supra.

Secundum documentum est vtilitatis. Duplex enim vtilitas prouenit fidelibus ex pane benedicto prima est in salutem corporum; quatenùs idem panis, virtute benedictionis vim habet sanandi infirmos, & depellendi morbos, vt in sequenti prælud. Secunda in salutem animarum, præsertim, quia, vt suprà dicebamus, ex intentione Ecclesiæ panis distribuitur fidelibus tanquam memoriale quoddam Eucharistiæ, quo ijdem fideles excitantur ad desiderium recipiendi ipsum Sacramentum Altaris; & hac ratione ipso voto, seu desiderio sumitur spiritualitèr idem Sacramentum, & percipitur suo modo effectus illius, qui est vnio cum Christo per fidem, & charitatem: & ideò hic modus sumendi Eucharistiam in voto, seu desiderio appellatur communio spiritualis a D.Thoma 3.p. q.80.art.1.& valdè commendatur a viris sanctis, vt fusiùs infrà explicabimus in Doctrina morali, & dubijs sequentibus.

Tertium documentum est charitatis; siquidèm in ipso pane clauditur mysterium vnitatis, & mutuæ charitatis; sicut enim vnus panis ex multis granis conficitur; sic ex multis fidelibus vna Ecclesia adunatur, in quibus debet esse cor vnum; & anima vna; qua etiam ratione panem instituit Christus pro materia Eucharistiæ, ex D.Thoma 3.p.q.64.art.5.

Insupèr distributione panis benedicti monentur fideles exercitij charitatis, & misericordiæ ergà pauperes, vt qui panibus, & diuitijs abundant, dent ex eis largitèr pauperibus; vt, & ipsi a Deo benedictionibus repleantur; eadem quippe mensura, qua mensi fuerimus, remetietur nobis, vndè D.August.*serm. 15.de verbis Domini petit*, inquit, *te mendicus, & tu es Dei mendicus; quid petit à te mendicus? panem, & tu quid petit a Deo, nisi Christum, qui est panis viuus, &c. Date, & dabitur vobis.*

PRÆLVDIVM III.

De virtute, & effectibus benedictionis panis.

Respondeo. Panem benedictum virtute benedictionis operari omnes effectus, quos suprà explicauimus loquentes de cibis benedictis in genere hoc *tit.3.sect.2.prælud.3.* & insupèr specialem habere vim depellendi morbos, & sanandi infirmos. Vnde maximi olim faciebat pietas christiana panes huiusmodi a viris sanctis benedictos; quod vel vnicum D.Hilarionis exemplum comprobat, de quo sic scribit Hieronymus in eius vita, Concurrebant Episcopi, & Præsbyteri, greges etiam Monachorum, alijque nobiles, & ignobiles, vt benedictum ab eo panem acciperent, quo innumeri sanabantur, &c. & similia legi possunt tum in vita D.Bernardi Abbatis Clareuallensis, tum aliorum Sanctorum, quæ minutim refert Gretserus *de benedict. loco sup. cit.* referens quamplura miracula pane benedicto edita.

DOCTRINA MORALIS,

Et dubia conscientiæ de communione spirituali, ad quam nos inuitat panis benedictus, iuxtà secundum documentum prælud. 2. explicatum.

DVBITATIO I.

Quid sit communio spiritualis, & in quo differat à Sacramentali.

Respondeo, & dico primò; Communio spiritualis est votum, seu desiderium sumendi Sacramentum Eucharistiæ. Colligitur ex Conc.Trid.*sess.13.cap.8.* & ex D.Thoma *3.p.q.80.art.1.ad 3.* & tradunt alij Theologi communitèr, Rabanus *de corpore, & sanguine Domini cap.26.* Aleusis *q.43.memb.3.* Suarez *tom.3.in 3.p.disp.62.sect.1.*

Explicari autem sic potest. Quià, vt hæc communio dicatur verè, & propriè vsus Sacramenti; oportet, vt ad ipsam Eucharistiam formalitèr terminetur; cum autèm non terminetur per actum corporis, & manducationem sensibilem ipsius Eucharistiæ; necesse est terminari ad illam per actum internum animæ, nullus autèm est actus, qui hanc denominationem possit suscipere, nisi desiderium, & votum, seu propositum efficax sumendi Eucharistiam;

ristiam; siquidèm in actibus humanis solùm propositum, seù desiderium efficax censetur suo modo æquiualere actui externo, quandò hic exerceri non potest.

Confirmatur a pari. Sicut enim aliqui dicuntur baptizari, baptismo flaminis ex voto, & desiderio Sacramenti baptismatis, antequàm realitèr suscipiant Ipsum Sacramentum, ità paritèr in casu nostro, dicuntur manducare spiritualitèr Sacramentum Eucharistiæ, qui hoc idem Sacramentum desiderant sumere, antequàm sumant sacramentalitèr, sicuti ijsdem ferè verbis id explicat D.Thomas *art. 1. citato ad 3.*

Dico secundò. Differt communio hæc spiritualis a Sacramentali dupliciter, primò secundùm se; quià communio spiritualis terminatur ad Eucharistiam solùm obiectiuè, & per actum merè internum; non autèm executiuè quoad actum externum; Sacramentalis verò etiam executiuè, & reali manducatione externa. Secundò differt penès effectum; quià licet per vtramque communionē homo vniatur cū Christo per fidem, & charitatem, seù gratia (in quo consistit præcipuus effectus Sacramenti;) nihilominùs in communione merè spirituali non vnitur realitèr caro Christi cum carne communicantis; sicuti contingit in communione sacramentali, sed solùm intentionalitèr, & per affectum. Deindè communicans dignè sacramentalitèr recipit augumentum gratiæ iustificantis ex opere operato vltrà meritum operantis; cœterùm communicans spiritualitèr tantum, seu solo desiderio, acquirit augumentum gratiæ, solùm ex merito operantis, vt dicemus *dub. 5.*

DVBITATIO II.

Quinam sint capaces communionis spiritualis, & quæ dispositio in eis requiratur ad eam ritè perficiendam.

RESpondeo, & dico primò. Soli homines adulti in hoc statu legis euangelicæ sunt capaces communionis spiritualis.

Probatur, Quià communio spiritualis consistit in voto, seù desiderio deliberato sumendi Eucharistiam: cuius soli adulti sunt capaces. Deindè hoc desiderium efficax in solo statu legis euangelicæ potest habere locum, quandò idem Eucharistiæ Sacramentum fuit institutum ergò &c. ità Suar. *cit. disp. 62. a sect. 1.*

Colligitur primò, qualitèr sit intelligendum id, quod ait Apost. 1. *Cor.* 10. de Patribus veteris testamenti; *omnes eandem escam spiritualem manducauerunt*, &c. Dicendum est enim, id non posse propriè intelligi de spirituali manducatione huius Sacramenti; siquidèm desiderare non poterant sumere, quod tunc non erat; neque enim desiderium efficax ferri potest in impossibile, sed intelligi debet de manducatione spirituali, seù desiderio Christi secundùm se: Alia est enim manducatio Christi absolutè; alia verò Christi in Sacramento Eucharistiæ; prior fit per fidem Christi secundùm se, quæ omni tempore fuit necessaria, & sic Patres veteris testamenti manducabant spiritualiter Christum, quià credebant in Christum venturum. Posterior verò terminatur ad Christum, quatenùs continetur in Sacramento Eucharistiæ, & ad vsum Sacramenti; & hæc est propria legis euangelicæ, vide Suar. vbi suprà.

Colligitur secundò. Angelos non esse capaces huius spiritualis communionis, de qua loquimur, quià cum sint incapaces communionis sacramentalis, sunt etiam incapaces cōmunionis spiritualis, quæ habet pro obiecto sacramentalem, sicuti fusiùs explicat D.Th. *q. 80. cit. art. 2.*

Dico secundò. Ad communionem spiritualem ritè, & validè faciendam requiritur ex parte communicantis status gratiæ, & deuotionis actualis.

Probatur, quià ex Concil. Trid. *sess. 13. cap. 8.* non omne desiderium, seu votum sumendi Eucharistiam censetur spiritualis sumptio eius, seù spiritualis communio, sed solùm illud, quod ex fide viua proficiscitur; fides autèm viua statum gratiæ, & charitatis supponit. Ratio est, quià hæc communio non tantùm dicitur spiritualis, quià fit actu interno, & spirituali, sed præcipuè, quià ordinatur ad spiritualem vnionem cum Christo, quod nemo assequi potest, nisi per charitatem. Hinc etiam constat requiri in communicante deuotionem actualem, quià actus fidei, & charitatis, ex quibus constat ipsa spiritualis communio imbibunt necessariò deuotionem actualem, quæ consistit in actuali eleuatione mentis, & affectus ad Deum, vt magis patebit ex dicendis in sequenti dub.

DVBITATIO III.

De modo faciendi communionem spiritualem, & de actibus, qui ad eam concurrunt.

RESpondeo. Cum finis communionis spiritualis sit vnio cum Christo, qui per fidem, spem, & charitatem habitat in cordibus nostris, ad Ephes. 3. & præserti n cum hæc vnio animæ cum Christo fiat mediante Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento; *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo, Io. 6.* Et insuper Eucharistia, vt supra dicebamus, possit sumi nedum sacramentaliter, sed etiam spiritualiter; hic fit, vt communio spiritualis consistat in exercitio actuum fidei, spei, & charitatis, quatenus terminantur ad Christum contentum in eodem Sacramento Eucharistiæ.

Primo igitur exercendi sunt actus fidei circà hoc mysterium, credendo illud maiori certitudine, quam si ipsum Christum sub speciebus Eucharistiæ oculis corporeis videremus. Abnegandum est

est etiam iudicium, quod a sensibus procedit, & credendum firmitèr, quod sub speciebus panis, & vini verè, & realitèr continetur Christus verus Deus, & homo, eadem integritate, & maiestate, qua in Cœlis residet; quique omnes suos fideles inuitat ad hoc cœleste conuiuium suæ propriæ carnis, & sanguinis.

Secundò exercendi sunt actus spei, & desiderij eiusdem sacri conuiuij; sperando, videlicèt, & desiderando ea, quæ ipse Christus promisit dignè sumentibus hoc Sacramentum, videlicèt conseruationem vitæ spiritualis; pinguedinem spiritus, & vitam æternam: exemplum autèm huius desiderij habetur *Iob.31. dixerūt viri tabernaculi mei* (idest viri religiosi, & domestici Dei) *quis det de carnibus eius, vt saturemur*. Itèm illud Centurionis: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur anima mea*, & similes actus elici poterunt.

Tertiò prosiliendum in actus feruentes charitatis, quibus præcipuè cum Christo vnimur; præcipui verò sunt abnegatio propriæ voluntatis, & omnimoda conformitas cum voluntate Christi, vt iàm non ipsi viuamus, sed Christus in nobis viuat; gaudium de bonitate, charitate, & liberalitate Christi, quæ in hoc mysterio mirificè elucet. Lætemur etiam, quod tàm ardentèr ab illo amati videmus, vt nobis se præbeat in cibum.

DVBITATIO IV.

De tempore congruo, seù magis oportuno faciendi communionem spiritualem.

RESpondeo: Posse quidèm fieri communionem huiusmodi omni tempore, & quauis hora diei; cum non prærequirat ieiunium: nec prohibeatur fieri plures in die; sicut prohibetur fieri communio sacramentalis. Præcipuè tamen tribus temporibus fieri conuenit.

Primum tempus valdè oportunum est, cum quis audit Missam, seù interest sacro: Siquidèm modus aptior, & magis conformis intentioni Ecclesiæ audiendi sacrum est comitari celebrantem, & cum eo concurrere ad singulas Missæ partes; offerendo cum Sacerdote idem sacrificium Deo, easdemque preces, quas celebrans in Missa recitat, & contemplando mysteria, quæ successiuè in eadem Missa repræsentantur; vt benè probat Rodriquez in *exercit. perfectionis p. 2. tract. 8. cap. 5.* Hinc sequitur, vt quandò celebrans sacramentalitèr communicat; tunc oportunè audiens missam, spiritualitèr saltèm ipse communicet, & in hunc finem dicat cum celebrante, Domine non sum dignus, &c. & quandò celebrans os suum aperit ad recipiendum realitèr Sacramentum; audiens Missam aperire debent os animæ ad recipiendum spiritualiter idem Sacramentum, feruenti eius voto, & desiderio modo explicato in præcedenti dubio: sic enim particeps erit fructus illius, iuxtà illud psal. 80. aperi os tuum, & implebo illud.

Secundum tempus communioni spirituali congruum est, quandò quis visitat Sanctissimum Sacramentum, vel publicè expositum; vel in tabernaculo clausum; sicut enim bonus odor, & fragrantia cibi alicuius exquisiti acuit desiderium, & famem illum sumendi; sic præsentia huius panis cœlestis habentis omnem saporem suauitatis acuit desiderium; & famem, qua spiritualitèr sumitur.

Tertium tempus aptissimum est antè communionem sacramentalem, ad quam ritè faciendam, & cum maiori fructu mirificè disponit communio spiritualis; sicut enim cibus materialis corporis salubriùs, & suauiùs sumitur, quandò præcedit illius fames, & vehemens appetitus; sic cibus iste cœlestis, & animarum conuiuium, (vt inquit D. Augustinus) esuriem quærit hominis interioris, vt magis prosit iuxtà illud *psalm. 106. animam esurientem impleuit bonis*, & in Cantico B. V. *esurientes impleuit bonis*. Cum ergò communio spiritualis consistat in fame, & desiderio Eucharistiæ, aptissimè præmittitur communioni sacramentali, & reali manducationi huius cibi diuini.

DVBITATIO V.

De fructibus prouenientibus ex communione spirituali.

RESpondeo. Quamuis hæc sumptio Eucharistiæ in voto, & desiderio non causet gratiam ex opere operato: cum non sit sacramentalis, sicuti cum D. Thoma docent omnes Theologi apud Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 62. sect. 1.* Nihilominùs causet magnum augmentum gratiæ ex opere operantis, & maximè fouet deuotionem, & vnionem cum Christo. Primò, quià consistit in exercitio actuum, virtutum theologalium, quæ sunt maximi meriti. Hinc secundò fieri potest, vt tanto deuotionis ardore aspiret quis solo desiderio ad hoc celeste conuiuium, vt maiorem consequatur gratiam eo, qui sacramentalitèr, sed tepidè communicat. Tandèm communio spiritualis potest nedùm quotidiè, sed etiam plures in die fieri; non itèm sacramentalis; quarè ex hoc capite possumus magis mereri, & plures gradus gratiæ acquirere sepiùs repitita communione spirituali, quam vnica sacramentali, vt fusiùs explicat Rodriq. loco *sup. cit. cap. 15.*

SECTIO

SECTIO IV.

De Benedictione nouorum fructuum.

PRÆLVDIVM I.

De origine, & causis huius benedictionis.

Respondeo, & dico primò. Mos benedicendi nouos fructus introductus fuit inter Christianos à tempore Apostolorum, & ab ipsis Apostolis, sicuti disertè testatur Clemens Romanus *lib. 7. cap. 3.* cum enim in lege veteri ex Dei præcepto *Exod. 33.* viguerit obseruantia adducendi in templum, & offerendi Deo primitias frugum terræ, tum in gratiarum actionem, tum vt in consecratis Deo primitijs, omnes reliqui fructus Deo oblati, & benedicti manerent, vt constat *Deutor. 26.* satis conueniens visum fuit hunc morem ad Christianos transferre, tanquam valdè pium, & iuri naturali conformem; rejectis tamen ritibus, & cœremonijs veteris, legis quæ, (vt aliàs diximus) promulgato Euangelio euanuerunt, & potiùs mortiferæ esse cæperunt. Quarè benedicuntur noui fructus, non ex vi præcepti veteris legis; sed ex deuotione, & nouo ritu ab Ecclesia instituto, qui habetur *in Mißali, & in Rituali Romano*.

Dico secundò. Materia huius benedictionis sunt noui fructus, tum arborum, tum aliarum plantarum, & primitiæ frugum terræ. Formula habetur, vt diximus, tum in Missali, tum in Rituali Romano. Minister est quilibet Sacerdos. Causa verò finalis est recognitio fructuum a diuina largitate, & incolumitas fidelium, vt fructus benedictione sanctificati prosint, tum corpori, tum animæ sumenti ex eis.

PRÆLVDIVM II.

De Mysterijs, & Documentis benedictionis nouorum fructuum.

Primò. Quoniam diabolus ab initio ruinam humani generis comestione fructus a Deo vetiti machinatus fuit; qua seduxit primos nostros parentes; hinc pia mater Ecclesia in detestationem huius sceleris, & ad vitandas diabolicas fraudes, hanc fructuum benedictionem instituit, vt sui fideles antiqui casus memores, cauti efficiantur: sicuti rectè notat Dusaussay in *Panoplya Sacerdotali p. 2. lib. 2. cap. 4. art. 15.*

Secundò benedicuntur noui fructus, & Deo consecrantur: vt hoc ritu profiteamur, Deum esse omnium fructuum largitorem; & debitas ei gratias nostro modulo reddamus, vt sup. dictum est; est etiam alter modus offerendi Deo primitias fructuum a magistris vitæ spiritualis commendatus, quo videlicèt vtuntur viri mortificationis studiosi; qui nouos fructus in mensa oblatos prima vice, quandò auidiùs appetuntur, nullatenùs gustant, seù gulæ subtrahunt, sic illos Domino libantes, & veluti in sacrificium offerentes exemplo Dauid, qui aquam ei oblatam, quam valdè desiderauerat, ex Cisterna Bethleem, noluit bibere, sed libauit eam Domino 2. *Reg. 23.*

Tertiò, hac benedictione instruimur, vt sicut primitias frugum terræ, & nouos fructus Deo offerimus, & benedictione consecramus, vt sic omnes reliqui fructus Deo oblati censeantur; ità multò magis fructus nostrorum bonorum operum soli Deo afferamus per intentionem, quæ soli Deo placere studeamus (siquidèm intentio est principium operationum nostrarum) sic enim omnes actus, ex vi talis intentionis exerciti, sunt Deo consecrati, & meritorij vitæ æternæ. Hæc autèm intentionis directio in Deum, non solùm in principio diei facienda est; sed etiam quotiès nouum opus quis aggreditur, & nouam operationum seriem incipit, sicuti aliàs monuimus *tit. 1. sect. 4. dub. 3.* videnda sunt ibi dicta.

PRÆLVDIVM III.

De virtute, & effectibus eiusdem benedictionis.

Respondeo. Effectus huius benedictionis nouorum fructuum esse eosdem, quos suprà explicauimus hoc eodem *tit. sect. 2.* de benedictione esculentorum in genere, qui legi possunt ibidem, & huic benedictioni applicari.

DOCTRINA MORALIS,

Et dubia conscientiæ, circà documenta huius benedictionis, prælud. 2. explicata.

DVBI-

DVBITATIO I.

Cur eius vnius fructus fuerit tàm graue peccatum Adæ: cum secundùm se leue quid videatur.

RESpondeo. Esus pomi, seù fructus à Deo vetiti fuit grauissimum Adæ peccatum. Ratio est, quia finis præcepti, quo eiusdem pomi esus à Deo prohibitus fuit, magni momenti extitit, videlicèt vt tali abstinentia, se Adam Deo subiectum agnosceret; & vt creatura suo creatori, & supremo Domino obediret; aliàs Deo rebellis cum tota sua posteritate reputandus; vndè licet res prohibita secundùm se modica, & leuis appareat, quia tamen multùm conducebat ad finem grauem à legislatore intentum, magni momenti fuit; atq; adeò transgressio talis præcepti, quamuis in re alias leui, fuit grauissimum scelus, quia fuit quidã contemptus supremi Domini Dei ergà suas creaturas. Ità DD. communiter *in tract. de legib.* & de hac peculiari trasgressione Adæ videri potest Suarez *de opere sex dierum lib.4. cap. 4.* ex qua doctrina.

Colligitur vniuersalitèr quoad leges, & præcepta, fieri posse, vt materia alicuius præcepti secundùm se leuis appareat; & nihilominùs attentis circumstantijs, ex quibus superior mouetur ad imponendum præceptum, re vera sit grauis, & sufficiens ad obligationem sub peccato mortali, e. g. si præceptum tendat ad cauendum scandalum, vel aliquod graue damnum, siuè communitatis, siuè alicuius priuatæ personæ; ad quem finem si res, alias leuis, notabilitèr conducat; potest vtique esse materia præcepti grauis, & obligantis sub mortali, vt cum alijs benè explicat Sanchez *lib. 1. sum. cap. 4. num. & sequentibus.*

DVBITATIO II.

De debito gratitudinis ergà Deum; quatenus ipse est fructuum terræ dator, & conseruator.

IVxtà secundum documentum suprà traditum prælud. 2. explicandum hic breuitèr est, qualis sit hæc obligatio gratitudinis ad Deum, fructuum omnium largitorem, & conseruatorem.

Præmittendum est ex D. Thoma 2.2. *q. 106. ar. 1.* gratitudinem esse virtutem; quæ respicit debitum ortum ex aliquo beneficio nobis collato, vt eidem debito aliquo modo satisfaciamus; siquidèm recta ratio dictat, aliquid esse benefactori rependendum, nè notam ingratitudinis incurramus. Est autem triplex officium gratitudis, triplicem actum dictans. Primus est, beneficij æstimatio, & benigna acceptatio. Secundus est, gratiarum actio, seù beneuola protestatio gratiæ acceptæ cum laude, qua honoratur benefactor. Tertius est responsio, seù retributio, qua vicissim beneficium re, vel obsequio redditur. Hinc omissio prædictorum actuum ad ingratitudinem pertinet, his positis.

Respondeo, & dico primò. Ob fructus terræ nobis à Deo datos, & cõseruatos tenemur Deo correspõdere triplici actu gratitudinis iàm explicato.

Probatur quià recta ratio, & virtus gratitudinis ità omninò dictat: ergò omissio eorundẽ actuũ est culpabilis: eum virtuti, & rectæ rationi repugnet, ità D. Thomas loc. cit. & expositores ibidem.

Dico secundò: Omissio gratiarum actionis, & reliquorum actuum gratitudinis, qui debentur siuè ob fructus à Deo receptos in easu nostro, siuè ob aliud beneficium, non est peccatum mortale, sed veniale.

Probatur quià debitum gratitudinis communitèr loquendo non est legale, seù rigorosum, sicut debitum institiæ, &c. sed debitum morale, & decentiæ. Cum enim Deus perspectam habeat humanam imbecillitatem, seù deprauatam conditionem humani cordis; noluit officium gratitudinis strictè imperare (quamuis iustè potuisset,) sed solum esse necessarium ex decentia per lumen naturale nobis inditũ declarauit; ergò talis debiti violatio, non excedit culpam venialem; hoc autèm intelligi debet secluso contemptu: quià si quis nollet positiuè recognoscere à Deo beneficia illi collata; vel se nihil debere contenderet, grauissimè peccaret, vt docet D. Thomas vbi sup. & videri potest Lessius *lib. 2. cap. 47. dub. 1. & seq.*

DVBITATIO III.

An, & qualis sit obligatio offerendi Deo primitias fructuum, & frugum terræ

PRimitiæ dicuntur primi fructus vinearum, agrorum, hortorum, arborum, &c. vt colligitur *nu. 18.* vbi Iudæis præceptum fuit, vt Deo offerrent huiusmodi primitias in substentationem Sacerdotum; sicuti etiam habetur *Exod. 14. & 23.*

Respondeo. In lege euangelica est obligatio offerendi Deo primitias frugum ad substentationem Ministrorum Altaris ex præcepto Ecclesiastico, quod satis colligitur ex *cap. præter, dist. 32. cap. reuertimini 16. q. 1. & cap. 1. eadem causa q. 7.* & docet D. Thomas 2. 2. *quæst. 68. art. 4.* & ibi Expositores communitèr. Cæterùm duo aduertenda sunt. Primum est hoc præcepto nõ obligari fideles, quasi ritu cæremoniali veteris legis, qui, vt alias diximus, iam euanuit: sed cum ritus ille Mosaicæ legis valdè consentaneus fuerit legi naturali, & debito gratitudinis, vt constat ex supradictis, idcircò nouo præcepto ab Ecclesia lato, similis obligatio fuit imposita fidelibus in lege euãgelica. Vndè Origenes *hom. 11. in lib. Num.* sic ait. *Si quis non afferat primitias Sacerdotibus, non videtur huiusmodi habere memoriam Dei; nec cogitare, nec credere, quod Deus dedit fructus, quos cepit, &c.*

Secundum quod aduerti debet, est, præceptum huiusmodi iuris canonici eatenùs obligare, quatenùs vsu receptum fuit; vbi autem contraria consuetudine illi derogatum est, cessat eius obligatio, si enim ministris Ecclesiæ aliundè prouisum fuerit, nihil obstar primitiarum oblationem abrogari posse, sicut de facto, plerisque in locis per consuetudinem constat fuisse abolitam; videri potest Suar. *de Relig. tom.* 2. *lib.* 1. *cap.*8. & de hoc etiam puncto tractant Summistæ, *verbo decima.*

SECTIO VII.

De Benedictione Mensæ.

PRÆLVDIVM I.

De origine, & causis Benedictionis, mensæ.

Respondeo, & dico primò. Mos benedicendi mensam manauit ab ipso Christo, & ab Apostolis vt manifestè colligitur ex dictis hoc *tit.*3. *sect.*2. *de benedictione esculentorum in genere*, quæ huic benedictioni maximè congruunt. Hinc apud Regulares Apostolorum imitatores semper viguit hæc laudabilis cõsuetudo benedicendi mensam, & ad hæc vsque tempora inuiolabilitèr seruatur.

Dico secundò. Materia huius benedictionis sunt, tum cibi appositi, & apponendi in mensa, tum materia potus. Formula exprimitur in fine Breuiarij Romani. Minister est, non solùm quilibet Sacerdos; sed etiam laicus, vt in fra dicemus *in doctrina morali dub.*1. Denique causa finalis est incolumitas fidelium; videlicèt, vt tam cibus quàm potus sumatur in salutem corporis, & animæ.

PRÆLVDIVM II.

De Mysterijs, & Documentis benedictionis mensæ.

Primum documentum insinuatur primis verbis eiusdem benedictionis mensæ; incipit enim benedictionis minister dicens, benedicite, & cæteri similitèr respondent, benedicite, ad ostendendum, quod ad Dei benedictionem debemus mutuo nos hortari; sicuti rectè notat Durandus *in Rationa. li lib.*4. *cap.*59.

Secundum documentum exprimitur illis verbis, quibus hæc benedictio concluditur, videlicet, mensæ cœlestis participes nos faciat, &c. & ad cœnam vitæ æternæ perducat nos Rex æternæ, gloriæ, quibus monemur, hac occasione cibi materialis, & terrenarum delitiarum debere nos assurgere pio affectu, & desiderio, ad escas spirituales animæ, & ad cœleste conuiuium, quod Deus parauit in Cælo ijs, qui diligunt illum. Hinc Basilius Magnus scribens Gregorio Theologo *epist.*1. ait *benedici mensam, vt non solum pro his caducis escis laudetur Deus; sed etiam pro ijs, quæ in posterum nobis sunt in Cœlis reposita spiritualibus escis, sanctisque deliciis.*

Tertiò in eundem finem spiritualis animæ nutrimenti à viris religiosis refectionis tempore adhibetur sacra lectio; quod in Constitutionibus nostræ Religionis Clericorum Regularium, his verbis declaratur *p.*2. *cap.*3. *Communi mensæ nunquam desit sacra lectio, vt anima æque cœlesti, ac terreno corpus cibo nutriatur*; & similia habentur in Regula D. Augustini; & plura etiam de hac re legi poterunt apud eruditissimum Caracciolum *in Notis ad citatum locum Constitutionum cler. Reg.* In mensis itèm Episcoporum adhibendam esse sacram lectionem constar ex sacris canonibus apud Gratianum *de consecrat. distin.*5. & ex Concil. Toletano 3. *can.*7. exemplo D. August. de quo sic legitur in lectionibus in Breuiario appositis pro eius festo *Vulgaris mensa, quam semper sacra, vel lectione, vel disputatione condiebat.*

Quartò. Quoad potum, est notatu dignum, quod scribit Gretserus de *benedict. lib.*2. *cap.*14. videlicèt propinandi consuetudinem apud fideles morigeratos quandam esse benedictionis speciem: etenim propinanti responderi solet, Deus benedicat: prosit, &c. quæ sunt benedictionis formulæ. Addit idẽ Auctor, quod olim, vt potus salutaris esset, bibebant, præbibebant christiani sibi mutuo in honorem Angelorum, & Sanctorum; seù inuocatis cœlitibus vt refert D. Aug. *serm.* 232. *de tempore.* Porrò dolendum est, hanc benedictionem in maledictionem abijsse apud comedones, & ebrios, qui propinandi morem ad ebrietatem vsurpant.

Quintò. Eadem benedictione insinuatur; post refectionem gratias esse Deo agendas illis verbis, edent pauperes, &c. & laudabunt Dominum, &c. quod expressiùs habetur Deutor. 8. his verbis, cum comederis, & biberis, memor esto Domini Dei tui. Hinc Chrysostomus *homil.*83. *in Matth. Audiant*, inquit, *omnes, qui quasi porci, cum iam comederint, tumulenti consurgunt, quandò gratias agere Deo deberent*, plura de hac re legi possunt apud Caracc. vbi sup.

PRÆLVDIVM III.

De virtute, & effectibus benedictionis mensæ.

Respòndeo. Virtute huius benedictionis præseruari fideles à peccatis gulæ, & damnis inde sequentibus, iuxta ea, quæ supra diximus *sect.*2. *de esculentis in genere*; ob easdem rationes ibi explicatas, quæ huic benedictioni omninò congruunt.

DO-

DOCTRINA MORALIS,

Et dubia conscientiæ de eadem benedictione, & de præceptis obseruandis in communi mensa.

DVBITATIO I.

An benedictio mensæ sit actus ordinis.

SEnsus quæstionis est, an hæc functio benedicendi mensam pertineat ad Sacerdotem, vel alium sacrum ministrum ratione ordinis?

Respondeo negatiuè. Non enim ab Ecclesia hoc munus benedicendi mensam adnexum fuit ordini sacro; quare potest exerceri etiam a laicis, & fœminis. Ratio est, quia cum Ecclesia cupiat, vt fideles quoad fieri potest cibum non sumant, nisi præuia benedictione sanctificatum, vt patet ex dictis hoc *tit.3.sect.* 2. noluit hanc benedictionem alligare potestati ordinis; sed liberam reliquit, vt etiam, quando nullus adest in mensa Sacerdos, vel alius Ecclesiasticus, possit hęc benedictio fieri; quãuis ex maiori decentia, vbi præsens est Sacerdos, ab eo fieri conueniat, & in eius defectum a Diacono, ex *cap. legimus 93.dist.* & docet Syluest. *verb. aqua benedicta num.4.fine & Durand.in Ration. lib. 4.cap.59.*

Colligitur primo. Posse licitè hanc benedictionem a patribus familias demandari suis filijs, vt pueri a teneris assuescant ad precandum; quod laudabile est in mensis laicorum, vt notat Durandus loc.sup.cit. Cœterùm inter Ecclesiasticos maximè præsentibus Prælatis maturiùs procedendũ, & committi debet benedictio Sacerdoti, vel Diacono, *ex cap. legimus citato.* Apud Regulares fieri solet ab hebdomadario, qui tamen benedictionem non incipit, nisi a superiore iussus, ob reuerentiam superiori debitam.

Colligitur secundò, In magnatum conuiuijs, vbi Magnates verè Christiani sunt, hoc munus benedicendi mensam pertinere ad domesticũ cappellanũ; qui cum eisdem in mensa, vt fas est, recumbit: Econtrà damnandus omninò est illorũ abusus, qui Christi Sacerdotem instar famuli habent, & mensæ cum alijs aulicis seruire cogunt; quos acritèr reprehendit Auctor panoplyę sacerdotalis, agens de hac benedictione, & in confusionẽ eorum adducens exemplum S.Martini, qui inuitatus ad mensam a Maximo Imperatore, socium sibi adhibuit sacerdotem, eũdéque Imperatori prætulit, & priùs propinauit.

Colligitur tertiò: Sacerdotem excommunicatum non incurrere irregularitatem ex eo, quod ligatus censura benedicit mensam; quia, vt diximus, hæc benedictio non est actus ordinis; quarè nullo modo peccat; sicut enim excommunicato licitum est priuatim orare, ità & mensam benedicere, sicuti docet Nauarr. in *manuali cap.27.nu.36. §.ad quintum*, & quamuis Lezana *verbo excommunicatio num.16* id limitet, nisi fiet hæc benedictio inter Regulares in refectorio, quia apud eos hoc munus est adnexum ordini sacerdotali, & officio hebdomadarij. Nihilominus reijcienda est limitatio, quia adnectere benedictionem ordini pertinet ad Ecclesiam vniuersalem, seu ad Summum Pontificem; non autèm ad Prælatos inferiores, ex dictis *tit.1.sect.4.dub.2.* quarè ex eo, quod hoc munus a Regularibus committatur hebdomadario non sequitur esse per se adnexum ordini sacerdotali, nec in casu posito contrahi irregularitatem.

DVBITATIO II.

An benedictio mensæ cadat sub obligatione.

PRima sententia sustinet: Ecclesiasticos, & præsertim Regulares teneri antè prandium, & cœnam benedicere mensam sub peccato veniali.

Probatur, quia in *cap. non licet dist.44.* id præcipitur Ecclesiasticis, & Regularibus, ergò saltèm sub veniali, ità Nauar. *in manuali cap.25.num.110.* & fauet eidem sententiæ Lezana *qq. RR. verbo benedictio num.19.*

Secunda sententia probabilior docet, huiusmodi benedictionem esse meri consilij.

Probatur, quia iure communi nullibi præcipitur, & in cap. non licet, quod pro se adducit prima sententia, nullum est verbum præceptiuum, sed directionis, & consilij. Regulares autèm ad id non tenentur, nisi ex vi suarum constitutionum, quæ communitèr non præcipiunt benedictionem, sed solum proponunt, vt piam, & viris religiosis, ac bonis moribus congruam. Idemque dicendum de gratiarum actione post mensam, ità Suarez de *Religione tom.3.lib.3 de oratione cap.7.*

Colligitur. Neque cadere sub obligatione ritus benedicendi mensam in fine Breuiarij præscriptos: neque peccare eis non vtentes, sed alijs vel benedicentes mensam benedictione communi, omissa propria, quæ assignatur pro festis particularibus, e.g. Natalis Domini, Epiphaniæ, &c. quia illæ Regulæ Breuiarij sunt directiuæ non præceptiuæ.

DVBITATIO III.

De obseruandis in communi mensa, tum à Clericis, tum præsertim à Religiosis.

RESpondeo. Iure canonico statutum esse, vt tum Clerici seculares, tum Regulares omnes, primò vinum non bibant, nisi aqua temperatum, vt habetur in Concilio Lateranensi sub Innocentio VIII. & *cap.à crapula de vit. & honestate Cler.* Secundò ibidem prohibetur Clericis, & alijs Ecclesiasticis alios in conuiuijs ad bibendum inuitare. Tertiò prohibentur pluries, quàm ter bibere, seù, vt vltra tertiam vicem poculum non contingant, *cap.quandò dist.44.* quod intelligendum seclusa vrgenti necessitate. Ità Nauar. *in manuali cap.25.num.110.* Armilla, Peirinis,& alij, quos citat, & sequitur Lezana *qq.RR.tom.1.cap.9.num.38.* vbi docet transgressiones prædictarum legum non excedere culpam venialem. Adde eas non obligare, vbi in desuetudinem abierunt. Quartò tenentur præsertim Religiosi in mensa obseruare silentium, nedum ex vi suarum Regularum, sed etiam ex iure communi in cap. cum ad Monasteria de statu monachorum, quæ item obligatio non est sub mortali, sed sub veniali, & quatenus vsu recepta est. In quem etiam finem indicitur in communi mensa sacra lectio, videndus Lezana vbi sup. & *tom.2.cap.2.num.32.*

DVBITATIO IV.

An peccent conuiuæ prouocantes se inuicem ad æquales vini haustus.

REspondeo, & dico primò. Prouocatio huiusmodi cum periculo ebrietatis in prouocante, vel prouocato est peccatum mortale.

Probatur, quia ebrietas ex supra dictis hoc *tit.3. sect.2.* est peccatum mortale, siuè voluntariè se quis inebriet, siuè alterum periculo ebrietatis exponat. Cum autem sæpè in hac prouocatione, & certamine bibendi,sit periculum ebrietatis; sequitur sæpè etiam graue peccatum committi, & idcircò talis consuetudo acritèr reprehenditur à SS. PP.vt videri potest apud Lessium *lib.4.cap.3.dub.4.*

Dicetis. Quid si quis, nisi æquali poculo respondeat prouocabitur ad duellum, vel inuadetur gladio? An ad saluandam vitam fas illi sit respondere, etiam cum periculo ebrietatis. Respondeo, si non suppetat aliud medium euadendi, non videri illicitum propinanti respondere (modo scandalum absit.)

Probatur, quia si ad redimendam vitam à tyranno licitum est sibi ipsi manum, vel pedem amputare; cur non etiam rationis vsum ad breue tempus sibi adimere? Ità Lessius vbi suprà, & Layman *lib.3.sect.4.numer.5.* contrà Caietanum 2. 2.*qu.150. art.2.*

Dico secundò. Secluso periculo ebrietatis, vel grauis alicuius damni, non est illicitum laicis conuiuas inuitare ad moderate bibendum, præsertim, si libertati alterius relinquatur, an velit respondere; quia cum his circumstantijs inuitatio prædicta nihil continet rectæ rationi repugnans,DD.cit.

SECTIO VIII.

De benedictione super fruges, & vineas.

PRÆLVDIVM I.

De origine, & causis huius benedictionis.

REspondeo, & dico primò. Vsus benedicendi fruges, seù segetes adhùc virentes. Irèm agros, & vineas, est antiquissimus, & à temporibus Apostolorum: vt tradit Marsilius Columna *in Hydragiologia sect.2. cap.2.* Cum enim vera fides doceat omnium rerum productiones, seù ortus, & pariter incrementa ex Dei nutu pendere; semper consueuerunt fideles incrementa frugum, & segetum per benedictionem à Deo petere; qui operit Cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam;qui producit in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum *psal.146.*

Dico secundò. Materia, seù subiectum, cui applicatur hæc benedictio sunt fruges,& segetes, agri, & vineæ. Formula describitur in Rituali Romano. Solet autem hæc benedictio solemniter fieri indicta propria processione;vt concurrentibus populi votis & precibus, benedictio fit magis efficax: vndè frequentius fieri solet in feris Rogationum, antè Ascensionis festum, vel in die S.Marci, quandò dicuntur litaniæ maiores. Minister est quilibet Sacerdos. Tandèm causa finalis est impetratio fertilitatis agrorum: & vinearum, & abundantiæ victualium.

PRÆLVDIVM II.

De mysterijs, & documentis eiusdem benedictionis super fruges, &c.

PRimò hac benedictione monemur spem omnem fertilitatis, & abundantiæ collocandam esse in Deo: nam, vt ait Apost. neque, qui plantat est aliquid; neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus; & in hunc finem pia Mater Ecclesia

clesia hanc benedictionem instituit; vt pro incrementis frugum, & perductionibus fructuum ad maturitatem ad Deum recurramus.

Secundò monemur, benedictionem esse causam fertilitatis; sicut è contrà a principio per maledictionem inducta fuit terræ sterilitas, *Genes.3.* Cum autèm maledictio consequatur peccata, ex eodem loco Genes. & e contrà benedictio iustitiam, & obseruantiam mandatorum Dei. Deutor.28. Hinc, vt hæc benedictio sit efficax, cauendum est a peccatis, & Deo obsequendum.

Tertiò. Hac benedictione protestamur, nos omnem sollicitudinem rerum temporalium proijcere in Deum, scientes, quoniam ipsi est cura de nobis, iuxtà monitum D.Petri 1. *Petri* 5. & nihil nobis curæ esse debere, nisi vt Dei voluntas in nobis impleatur, & ad Regnum Dei perueniamus: securi quod veris filijs tanti Patris (hoc est iustis) panis deesse non poterit, iuxtà illud *psal.* 37. *non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.* Quod, & manifestè Christus promisit in Euangelio, dicens *Matth.6. Nolite solliciti esse, dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, &c. Scit enim pater vester, quià his omnibus indigetis, quærite primum Regnum Dei, & iustitiam eius; & hæc omnia adijcientur vobis.*

Tandèm in sensu mistico, & spirituali, populi fideles, & in primis iusti sunt segetes, & vineæ supremi patris familias; & earum sator, & cultor est ipse Deus: cuius benedictione efficiuntur virtutum frugef æcundi, sicuti constat ex multis scripturæ locis; & eisdem fere verbis explicat Ecclesia, in oratione, quæ recitatur in Sabbato Sancto post Prophetiam 8.

PRÆLVDIVM III.

De virtute, & effectibus huius benedictionis.

Respondeo. Virtute huius benedictionis nos impetrare a Deo per merita, & intercessionem Ecclesiæ. primò, vt fruges, agri, & vineæ aeris, & pluuiæ temperamento congruè nutriantur, & fructus terræ ad maturitatem perducantur. Secundò, vt eisdem diabolica nequitia non obsistat. Tertiò, vt eisdem fructibus cum debita moderatione vtamur in Dei laudem, & gloriam, sicuti constat ex formula eiusdem benedictionis.

DOCTRINA MORALIS,

Et dubia conscientiæ, circà materiam eiusdem benedictionis, seù de peccatis damnificantium fruges, agros, & vineas alienas.

DVBITATIO I.

An transeuntes per vineas alienas possint licitè comedere vuas: vel aliquos racemos carpere, quos comedant in via.

Prima sententia affirmat. Tum quià communis consuetudo sic introduxit. Tum quià id conceditur in sacris literis *Deutor.23.* vbi sic habetur. *Ingressus vineam proximi tui, comede vuas, &c. foras autem ne efferas tecum.* Ita Valerius in *differentijs vtriusque fori, diff.23.* allegans in sui fauorem Cepollam. Ripam, & alios.

Secunda, & vera sententia negat.

Probatur primò, quià certum est, dominos vinearum esse inuitos, (nisi forsan respectu alicuius amici oppositum præsumatur) ergò accipientes vuas prædictas furtum committunt contrà 7. decalog. præceptum, siquidèm furtum nil aliud est, quam acceptio rei alienæ inuito domino.

Probatur secundò, quià si liceret accipere vuas; ergò similitèr, & omnes alios fructus, videlicèt ficus, poma, &c. hoc autèm est absurdum, & contrà omnium sententiam ergò, &c. Quarè dicendum est carpentes vuas ex vineis alienis, siuè, vt tunc eas comedant, siuè, vt eas alio asportent peccare, & furtum committere, vel mortale, si quantitas sit notabilis, vel veniale, si quantita sit leuis, & modica, ità Diana *p.3.tract.6.resol.* 10. & supponunt, vt certum alij DD. communitèr, quos in seq. dub. afferemus.

Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur. Non posse introduci consuetudinem legitimam contra præcepta naturalia, vt in casu nostro. Ad locum Deutor. respondetur, illam fuisse specialem Dei licentiam in veteri lege ob terram promissionis a Deo Hæbreis donatam, quæ præsertim

erat

etat vuarum feraciſſima; quæ licentia non habet locum in nouo teſtamento.

DVBITATIO II.

An ſi plures vineam deuaſtent; ſingulis tamen vnum, vel duos botros ſurripientibus: An inquam ſinguli peccent mortalitèr, & teneantur ad reſtitutionem.

Reſpondeo, & dicó primò. Si id fiat communi conſilio, vel conſenſu, aut cooperatione; in hoc caſu ſinguli peccant mortalitèr, & tenentur ſub mortali ad reſtitutionem in ſolidum. Ratio eſt, quià ſinguli ſunt cauſa totius damni; quatenùs ſinguli non ſolùm furantur ſuam partem, ſed etiam conſilio, vel auxilio concurrunt ad furta ſociorum, ità DD. communitèr apud Leſſium *lib.2.cap.12.dub.9.*

Dico ſecundò. Si id caſu accidat, ità vt alter alterius non ſit conſcius; tunc ſinguli venialitèr tantùm peccant, & ad reſtitutionem ſolùm ſub veniali tenentur rei modicæ ablatæ.

Probatur, quià in hoc caſu nemo eſt cauſa notabilis damni, quod patitur dominus vineæ, ſed ſolùm leuis, & modici, quod quiſque infert independentèr ab alijs, eſt etiam communis ſententia DD. apud Leſſium ſup.

Dico tertiò. Quandò ſinguli aduertunt damnum graue, quod patitur dominus vineæ, quià ſinguli duos botros carpentes, ſciunt alios plures ſimili modo furari vuas, tunc variant DD. Probabile tamen eſt etiam in hoc caſu ſingulos ſolùm venialitèr peccare, & nonniſi ſub veniali ad reſtitutionem teneri. Ratio eſt, quià nemo cooperatur furtis aliorum, ſed ſolum eſt cauſa damni leuis, quod ſequitur ex furto rei modicæ. Nec obſtat aduertentia damni notabilis, quià nec ſinguli illud cauſant, nec in illud conſentiunt, ita Leſſ. ſup. & alij plures, quos refert, & ſequitur Diana *p.2. tract.17. reſol.42.* quod ſi ſuperior præcipiat; præſertim ſub pœna excommunicationis, vt ſinguli ſuam partem reſtituant; indè orietur obligatio grauis, & ſub peccato mortali, quià ſuperior habet iuſtam cauſam præcipiendi, Leſſ. vbi ſup.

DVBITATIO III.

Qualitèr peccent, & ad reſtitutionem teneantur conculcantes ſegetes, & vites adhuc teneras.

Reſpondeo. Grauitatem culpæ, & obligationis reſtituendi metiendam eſſe ex damni illati æſtimatione. Hæc autèm penſari debet, non iuxta præſentem ſtatum, quandò videlicèt ſegetes ſunt immaturæ, & vites teneræ, ſed ſecundùm ſtatum, ad quem etant peruenturæ tempore maturitatis; detractis tamen expenſis. Seu breuiùs reſtituendum quanti domino valebat ſpes colligendi fructus tempore Meſſis, & vindemiæ. Ratio, quià dominus iniuſtè priuatus fuit fructibus ſperatis, ad quos ius habebat, ita D. Thom. 2. 2. q. 62. art.4. Bannes, Salon, & alij Expoſitores ibid.

Colligitur. Si villicus, ſeu agricola furetur ſuo domino, e.g. decem modios frumenti ſibi traditos ad ſeminandum; eum teneri reſtituere, nedùm valorem frumenti ablati, ſed inſupèr intereſſe, quod paſſus eſt dominus ex eo, quod illud frumentum ſatum non fuerit, & quanti valebat ſpes illa fructuum, quos collegiſſet, DD. ſup. cit.

DVBITATIO IV.

Quibus pœnis ſubiaceat depopulatores agrorum, & vinearum deuaſtatores.

Reſpondeo. Diripientes, vel incendentes alienos agros, & vineas deuaſtantes grauiſſimè peccant, quià hoc delictum non ſolùm vergit in damnum priuatum dominorum, ſed etiam redundat in damnum communitatis, quatenùs indè minuitur annona. Quarè contrà depopulatores prædictos graues pœnæ ſtatutæ ſunt, tum iure ciuili, *l. 1. C. quando liceat*, &c. tum iure canonico quo priuantur immunitate Eccleſiarum, ita vt ſi confugerint ad Eccleſiam, poſſunt indè extrahi ex *cap. inter alia de immunitate*, vbi hoc priuilegio priuantur depopulatores nocturni; & ex Bulla Gregorij XIV. *de immunit. Eccleſ.* vbi ſimplicitèr excluduntur ab eodem priuilegio omnes depopulatores agrorum, & vinearum, & docent Farinac. Italia, Ambroſiu. & alij, quos affert, & ſequitur Bonacina in *1. Decal. præcep diſp. 3. q. 7. punc. 6. §. 1.*

DVBITATIO V.

An cuſtodes agrorum, & vinearum teneantur ad reſtitutionem, ratione damni, non impediti.

Reſpondeo. Si cuſtodes prædicti præuideant damnum inferendum, & negligant impedire, cum poſſint, grauitèr peccant, & tenentur ad reſtitutionem damni ſecuti.

Probatur, quià tenentur impedire ex officio, & ex contractu, vel quaſi contractu; ſiquidem in hunc finem ſtipendium accipiunt: ergo ſi, cum poſſunt, non impediunt, peccant contra iuſtitiam, & conſequentèr tenentur ad reſtitutionem, ita Nauar. *ſum. cap 17. nu. 122.* Leſſius *lib. 2. de iuſtitia c. 13. dub. 10.* & alij DD. communiter.

Colligi-

Colligitur primò, siuè ab hominibus damnum inferatur, siuè a feris; prædictos custodes teneri restituere, quotiès damnum sequitur ob non præstitam custodiam, quià in vtroque militat ratio explicata, DD citati.

Colligitur secundò. Si pœna sit constituta in eos, qui introducunt animalia in agros, vel vineas, & custodes dissimulent, seù non accusent delinquentes, vndè dominus perdit illam multam pecuniariam, quam lucraretur, colligitur inquàm, non teneri custodes compensare pœnam, sed solùm damnum illatum. Ratio est, quià eorum officium non ordinatur ad hoc, vt dominus ditetur multis, sed ne patiatur damnum in suis agris, vel vineis. Ità Nauar. Syluest. & alij, quos citat, & sequitur Less. supra *num.* 72. & Diana *p.* 3. *tract.* 5. *resol.* 54.

Colligitur tertiò. Custodes prædictos, qui se abscondunt, vt viatores ingredientes vineas, &c. & damnum inferentes, semel deprehensi in futurum abstineant, excusari a peccato; quia iustam habent causam, vt maius malum impediant; secus si id faciant, vt fures deprehensi compellantur ad pœnam, quid hoc præcisè non videtur iusta causa non impediendi peccatum proximi; ità Bonac. de *peccatis disp.* 2. *q.* 4. *punct.* 2. *n.* 28. vide etiam Diana *p.* 3. *tract.* 5. *resol.* 18.

SECTIO IX.

De Benedictione Domorum.

PRÆLVDIVM I.

De origine, & causis Benedictionis Domorum.

Respondeo, & dico primò. Ritus benedicendi domos originem ducit a mandato Christi, quo iussit Apostolis, vt in quamcumque domum intrassent, primùm dicerent, Pax huic domui; quibus verbis benedictio continetur; nec dubium, quin Apostoli id exactè obseruauerint, alijsque commiserint, vt idem successiuè facerent, vt rectè obseruat Dusaussay in *panoplya sacerdotali p.* 2. *lib.* 2. agens de hac benedictione.

Dico secundò. Materia, cui applicatur hæc benedictio sunt domus, & habitantes in eis. Formula præscribitur in Missali, & Rituali Romano. Minister est vel Parochus, vel alius Sacerdos. Denique causa finalis est incolumitas fidelium, & pacifica habitatio eorum in suis domibus.

PRÆLVDIVM II.

De Mysterijs, & Documentis benedictionis Domorum.

Primò. Hanc benedictionem meritò Ecclesia auguratur a pace, illis verbis a Christo dictatis, pax huic domui; quià sine pace, & concordia inter domesticos domus vera, seù locus honestæ habitationis consistere non potest; sed potiùs est quoddam inferui simulacrum, vbi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat. Sicut enim ipsa domus materialis, nisi habeat suas partes firmitèr compaginatas, & parietes sibi inuicem cohærentes, breui ruit in præceps; ità, & habitantes nisi media pace, & charitate sint secum concordes, & vniti ad inuicem ad ruinam, & excidium tendunt. E contrà, vbi est pax, & vnio habitantium, ibi iucunditas, & omne bonum, seù Dei benedictio. *Psal.* 132. *Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum, &c. quoniàm illic mandauit Dominus benedictionem.*

Secundò. Sicut per pacem, & charitatem inter habitantes domus materialis est locus iucunditatis, & quædam Paradisi imago, ità per pacem, & charitatem ad Deum anima nostra efficitur domus Dei, & consequentèr paruulus quidam paradisus; sicuti promisit ipse Christus, Io. 14. dicens, *Si quis diligit me, pater meus diliget eum: & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

Tertiò per hanc benedictionem Christi fideles monentur de ædificandis sibi domibus verè sanctis, & æternis in Cœlis per eleemosynas, & alia pia opera; si enim tot expensis, & laboribus terrenas has domos ædificamus pro habitatione modici huius vitæ temporis; quantò magis curare debemus, quibusuis expensis ædificium domus non manufactæ, & æternæ in Cœlis iuxtà monitum *Apost.* 2. *ad cor.* 5. quod præcipuè fit eleemosynis, sicuti docuit nos Christus *Lucæ* 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

Quartò, vt ampliorem benedictionem consequantur, solent veri Christiani in singulis cubiculis suarum domorum collocare imagines Christi, & Sanctorum, vt domus protectione Dei, & Sanctorum munita sit; & quidèm hoc validum esse domorum præsidium, testantur plures Scriptores ecclesiastici, Rufinus *lib.* 2. *cap.* 29, Euagrius *lib.* 4. *cap.* 6. & 8. Nicephorus *lib.* 17. *cap.* 3. Gregorius Thuronensis *histor. lib.* 4. *cap.* 1. & alij. E contra reprehensione sunt digni, qui in suis domibus prophanas, & lasciuas appingunt imagines, quæ sunt instrumenta diaboli.

Tandèm renouari solet quotannis hæc domorum benedictio in Sabbato Sancto; vt si ex malitia habitantium maligni spiritus ibi fixerint sedem, virtute benedictionis, & Resurrectionis Christi expellantur, sicuti a Christo triumphante in sua Resurrectione Princeps huius mundi eiectus est foras. Itèm quià tunc sanctificati fideles per Sacramenta

menta annuæ confessionis, & communionis, in domibus benedictione sanctificatis habitare debent.

PRÆLVDIVM III.

De virtute, & effectibus benedictionis Domorum.

RESpondeo. Virtute huius benedictionis. Primò foueri pacem, & concordiam inter domesticos. Secundò fugari è domibus spiritus malignos. Tertiò, Angeli Sancti visitant illos, qui custodiunt, protegunt, & defendunt habitantes, & ad cælestem habitationem inuitant, vt constat ex formula eiusdem benedictionis.

DOCTRINA MORALIS,

Et dubia conscientiæ de eadem benedictione, & de peccatis abutentium suis domibus contra finem huius benedictionis.

DVBITATIO I.

An Minister benedictionis domorum sit solus Parochus.

PRæmittendum in Rituali Romano præscribi duplicem benedictionem domorum. Prima est generalis omnium domorum facienda in Sabbato Sancto. Secunda particularis domus nouæ, vel cuiuslibet facienda quouis alio tempore, hoc posito.

Respondeo, & dico primò. Minister prioris benedictionis est solus Parochus, vel alius Sacerdos, de eius tamen licentia.

Probatur, quia in Rituali pro hac benedictione designatur Parochus, qui tunc visitare solet domos suæ Parochiæ, quamuis autem addat, vel alius Sacerdos, intelligi debet de licentia Parochi; nè iura Parochorum violentur: vnde, qui sine licentia sibi hoc munus vsurparet, malefaceret, & puniri posset, vt fusius explicauimus *tit. 1. sect. 3. dub. 4.* & docet cum alijs Pellizzarius in *Manuali Reg. tract. 8. cap. 5. nu. 123.*

Dico secundò. Minister posterioris benedictionis est quilibet Sacerdos absque alia licentia, quia ad eam faciendam in Rituali non fit mentio de Parocho; consequenter pertinet ad quemcunque Sacerdotem, ex regulis traditis *tit. 1. sect. 4. cit. dub. 4.*

DVBITATIO II.

An domus excommunicati sit capax huius benedictionis.

REspondeo, & dico primò. Si excommunicatus sit non toleratus, seu vitandus, non potest eius domus, quam scilicèt ipse excommunicatus inhabitat, neque licitè, neque validè benedici in eius fauorem.

Probatur, quia ex vi talis censuræ priuatur excommunicatus communibus Ecclesiæ suffragiis; sed benedictiones, & sacramentalia numerantur inter suffragia Ecclesiæ, quatenuùs totam vim suam habent ex meritis, & intercessione Ecclesiæ; ergò, &c. Quamuis enim in casu nostro benedicatur domus materialis, nihilominus benedictio ordinatur in fauorem, & vtilitatem habitantium, ità DD. communitèr, vt videri potest apud Suar. *de censf. disp. 12. de excomm. sect. 4. num. 6.*

Colligitur primò. Si quis benediceret domum excommunicati, ipsius intuitu, seu in eius fauorem, grauitèr peccaret, quia communicaret cum excommunicato in diuinis, quod est prohibitum sub peccato mortali, DD. cit.

Colligitur secundò. Si excommunicatus vitandus sit pater familias domus, ità, vt omnes habitantes in ea, sint subordinati, & subiecti ipso excommunicato; tunc absolutè eam domum benedici non posse; quia in hoc casu benedictio non potest moralitèr fieri, nisi in fauorem excommunicati. Quod si in eadem domo habitent alij non subordinati, nec subditi excommunicato; poterit benedici domus in fauorem illorum quia vtile per inutile non vitiatur.

Dico secundò. Si excommunicatus sit toleratus, & non vitandus, potest eius domus, & validè, & licitè benedici (quamuis malè faceret ipse excommunicatus præueniendo, seu procurando benedictionem.)

Probatur, quia licèt ipse excommunicatus sit priuatus Ecclesiæ suffragijs, & non possit communicare cum alijs fidelibus: nihilominùs quandò est toleratus, possunt liberè alij fideles communicare cum illo etiam in diuinis; ergò in casu nostro potest Sacerdos hoc beneficium illi præstare, & eius domum benedicere, sicuti multis allatis Authoribus nos in simili probauimus circa applicationem sacrificij in fauorem huiusmodi excommunicati in *comment. ad rubr. Missal. p. 2. tit. 8. dub. 2.*

DVBI-

DVBITATIO III.

An sit licitum locare domum meritricibus, vel vsurarijs, etiam si domus fuerit prius benedicta.

RAtio dubitandi est, quia locans suam domum ea ab vsuris ad peccatum, videtur illis cooperari, quatenùs ministrat eisdem materiam, vel commoditatem peccandi, ergò etiam ipse peccat. Itèm posito, quod domus sit benedicta, videtur inferre iniuriam rei sacræ, quatenùs domus per benedictionem sanctificata deturpatur fœditate habitantium.

Respondeo. Nihilominùs affirmatiuè.

Probatur, quia domus secundum se ordinatur ad habitandum, quod licitum est, & ad hunc vsum licitum locatur à domino, vt supponimus, ergò locans domum meretrici non peccat. Quod si conductor domo abutatur, id eius malitiæ tribuendum est: non verò locanti, qui iure suo vtitur, nec malum aliquod intendit, ità DD. communitèr, quos affert, & sequitur Diana *p.5.tract.7. resol.26.*

Limitatur hæc doctrina, nisi domus ratione situs, vel similis circumstantiæ peculiarem haberet aptitudinem, præbentem occasionem peccandi, vel nisi propinquitas meretricis valdè noceret fœminis honestis vicinis, tunc enim locatio esset illicita, ratione cooperationis ad meretricium, vel damni, quod infertur vicinis, nisi locator haberet iustam causam excusantem, e. g. quià alias perderet pretium locationis ob inopiam conductorum, ità Salon, Sanchez, & alij apud Dianam loc. sup. cit.

Ad rationem dubitandi respondetur, negando antecedens; quià neque domus est materia peccati: neque intentio locantis tendit ad finem malum. Itèm non tenetur locans, nec communitèr potest vitare peccata meretricum, quæ eodem modo alibi peccarent. Neque infertur iniuria benedictioni (posito, quod domus fuerit benedicta,) quia hæc benedictio non est constitutiua, qua domus efficitur sacra; & sic non fit vllus abusus rei sacræ, sed est benedictio inuocatiua, vt sit sub diuina protectione, quatenùs expedit; quod si habitantes eam non merentur, non ideò grauiùs peccant.

Colligitur. Posse etiam licitè domum locari maiori pretio meretricibus, quam alijs, quià tali locatione domus vilescit; vt cum alijs docet Diana vbi suprà.

DVBITATIO IV.

An, & qualitèr peccent tenentes domum expositam ludo publico alearum.

PRima sententia eos excusat a peccato. Fundamentum est, quia ministrantes alijs, aut vendentes res indifferentes non peccant, quamuis prævideant aliorum abusum; sicuti suprà dicebamus de locatibus domos meretricibus, sed ludus, & eius materia, & instrumenta, sunt res indifferentes, quibus possunt homines, & benè, & malè vti; ergò subministrantes domū ad ludendum, & similitèr mensam, cartas, &c. non peccant etiam si peccata prævideant abutentium prædictis rebus. Ità Machado *de perfecto confessionario tom. 1.l.3.p.5.tract.7.doc.5.* Vincentius Iustinianus apud Lopez *in instructione lib.2.cap.32.* Molfes. *in sum. tom. 2.tract.12.cap.21. n.40.* vbi probat hoc esse licitum, saltèm de licentia Principis, vbi ea requiritur.

Secunda, & vera sententia docet, prædictos aleatorum receptatores, & cooperatores grauitèr peccare, non sine onere restitutionis.

Probatur. Qui præbet alijs occasionem peccandi, peccat etiam ipse eodem genere peccati, cuius occasionem exhibet: sed ministrans domum, mensam, taxillos, & cartas omnibus concurrentibus ad ludendum indifferentèr, moralitèr præbet illis occasionem grauium delictorum, ergò, &c.

Probatur minor, quià in ludis prędictis alearum, quando ad eos admittuntur cuiusuis conditionis personæ committi solent, (vt experientia const. t) blasphemiæ, & periuria, fraudes, & furta, contentiones, & rixæ: dissipantur à maritis bona vxorum, & à filijs familias bona parentum, & similia scelera perpetrantur; quibus omnibus occasionem præbent, qui domum exponūt ludis publicis, ergò, &c.

Ad fundamentum primę sententiæ respondetur. Maiorem propositionem esse veram, quandò res indifferentes, quæ ministrantur cum præuisione abusus valdè remotè, & per accidens sunt occasiones peccandi, vt in exemplo posito de locante domum meretrici, secus si sint occasiones proximæ; vel ministrentur in ipso exercitio actus, cui peccatum adnectitur, vt in casu nostro. Atq. ideò hanc sententiam docent Syluest. Nauar. Grassius, Molina, Sanchez, & alij plures, quos affert, & sequitur Diana *p.2.tract.15.res.65.& p.7.tr.9.res.39.*

Colligitur primò. Quotiès ludentes in prædictis domibus committunt peccata contra iustitiam, e.g. fraudes, & furta, &c. ex quibus oritur obligatio restituendi; teneri quoque ad restitutionem in defectum ludentium eos, qui præbent occasionem peccandi, exponendo domum ludo, subministrando cartas, taxillos, mensam, &c. quià cooperantur peccatis ludentium, ità DD. citati. Quod si non ministrent prædicta instrumenta; sed solùm permittant alios ludere in suis domibus, possunt excusari ab onere restitutionis; (quamuis non à peccato scandali) quia locus per accidens, & remotè se habere videtur, respectu ludi, presertim si ludentes, non propterea abstinerent à ludo; quia alibi luderent, ità Bonacina *de restit. disp.1.q.2. punc.9.n.3.*

Colligitur secundò. Non posse Principes concedere licentiam exponendi domos ludis publicis, quia tot mala indè sequuntur; vt vix subesse possit, causa iusta ea permittendi, ità Diana vbi suprà cū DD. quos allegat.

DVBITATIO V.

Qualiter peccet receptans domi suæ latrones.

RESpondeo, & dico primò. Si quis receptet domi suæ latrones formalitèr, idest in auxilium eorum, quatenùs tales sunt, e.g. præbendo illis commoditatem ad furandum, asseruando prædam, promittendo securitatem; & refugium; is inquàm peccat mortalitèr contrà iustitiam, & tenetur ad restitutionem, saltèm in defectum furis.

Probatur quià cooperatur latroni ad furtum, & consequenter peccat eodem genere peccati contra iustitiam, vndè consurgit obligatio restituendi. Ità Petrus Nauarra *de restit. lib.3.cap.3.nu.33.* Less. *lib.2.cap.13.dub.3.* & alij DD. communitèr.

Dico secundò. Qui receptat furem materialitèr, ideit non in ordine ad furtum: sed quia eius amicus est, vel consanguineus, &c. non præbendo illi commoditatem furandi, is inquam non peccat; nec vllam contrahit obligationem restituendi, quia non cooperatur furi; nec influit in damnum aliorum, DD. citati.

DVBITATIO VI.

An locans domum alteri, possit quandoque expellere conductorem ante terminum præfixum.

REspondeo. Si conductor abutatur domo sibi locata, e.g. fodiendo parietes, vel aliud damnum inferendo: vel personas infames passim in eam introducendo: vel in tabernam conuertendo; in his, & similibus casibus potest dominus, seù locator, conductorem expellere antè finitum tempus locationis.

Probatur primò ex *L. ede C. de locato.*

Probatur secundo ratione, quia ex vi contractus conductor tenetur domum sibi locatam saluam, & integram seruare, ergò si ea abutendo, pactum non seruet; locator non tenetur stare contractui; & subindè potest conductorem expellere ità DD. communiter de locato, & conductor, videri potest Lessius *lib.2.cap.24.dub.7.*

An autem conductor expulsus teneatur soluere totam pensionem integri anni? Distinguendum est; si enim possit eadem domus iterùm statim locari, ità vt locator nullum damnum sentiat: tunc facienda est condonatio pro rata temporis, si verò locari non possit, vndè locator patiatur damnum; tenebitur conductor hoc damnum compensare, tanquam causa iniusta damni prædicti, ità Lessius vbi sup.

DVBITATIO VII.

An si domus aliqua infestetur spiritibus malignis possit licitè habitari: & quale remedium adhiberi possit.

RAtio dubitandi est, quià velle habitare in ea domo, in qua dæmones fixerunt sedem; & quandoque apparent, & se familiares exhibent habitantibus, est velle societatem, & commercium habere cum illis, quod est omninò illicitum.

Respondeo, & dico primò. Velle habitare domum prædictam in hunc finem vtendi dæmonum ministerio, vel obsequio, & habendo cum illis societatem aliquam, est graue peccatum.

Probatur quià maligni spiritus sunt hostes Dei, & omnium Deo adhærentium; ergò inire cum illis amicitiam, seù familiaritatem, & quamlibet societatem, est graue delictum.

Probatur consequentia: quià id necessariò cedit in iniuriam Dei; sicut iniurius est in suum principem temporalem, qui proscripto eius hosti beneuolentiam politicam exhibet.

Confirmatur, quià dæmones nihil vnquàm spontè faciunt, nisi vt decipiant, & nostræ saluti noceant in odium Dei, & nostræ æternæ fælicitatis; atque adeò omnia illorum beneficia sunt maleficia, ergò ineuntes societatem aliquam cum illis, se exponunt grauissimo salutis æternæ periculo, & subindè grauitèr peccat, ità D. Thomas *2.2.q.90. art.2.* Caet. ibid. Lessius *lib.2.cap.42.dub.13* Sanchez *sum. lib.2.cap.42.num.19.* & alij DD. communiter.

Colligitur primò. Esse graue peccatum longos sermones committere cum dæmone, vel apparente in corpore assumpto, vel exiltente in obsessio. Tum quià id est signum societatis, seù familiaritatis cum illo. Tum ratione periculi grauis damni spiritualis; ob leuitatem tamen materiæ potest hic contingere sola venialis culpa; si vnum, vel alterum verbum ex curiositate, vel vanitate dicatur, loquendo de dæmone existente in energumeno, vel sponte apparente, nam si data opera aduocaretur, vt appareat, semper committeretur peccatum mortale, ità Less. sup. cum alijs cit.

Colligitur secundò. Esse peccatum mortale petere à dæmone medicinam alicuius morbi, vel vt aliquid doceat, aut monstret virtutem naturalem alicuius rei, quia hoc pertinet ad pactum & societatem cum eo. Cæterum si quis semèl à dæmone scientiam aliquam, vel secretum apprenderit; quamuis tunc peccauerit; poterit nihilominus postea illa naturali veritate vti, e. g. circa virtutem herbarum, &c. dummodo non amplius requiratur concursus dæmonis; quià notitia illa secundum se, bona est, & in bonum finem dirigi potest ità cum alijs Sanchez loc. sup. cit.

Dico secundò, si quis habitet in ea domo, quæ à spiritibus infestatur absque animo vtendi illorum familiaritate, sed vel præ inopia alterius domus, vel ad ostendendum cor impauidum, vel quia dæmones

mones contemnit fretus diuino auxilio, nullum est peccatum,

Probatur, quia in hoc casu cessat tum periculum animæ, tum Dei iniuria. Colligitur ex DD. sup. cit.

Dico tertiò. Media, quæ licitè adhiberi possunt ad expellendos dæmones à domibus prædictis, sunt eadem, quibus ex institutione Ecclesiæ vtimur ad eosdem expellendos à corporibus obsessis, videlicèt exorcismi, adiurationes imperatiuæ, vsus, & applicatio rerum sacrarum, aquæ benedictæ, candelarum benedictione consecratarum, & præ ertim adhibenda est benedictio domus, de qua loquimur.

Aduertendum autèm sæpè dæmones ingredi corpora hominum, vel domos, &c. expacto cum magis, & maleficis inito, adhibitis quibusdam signis, e.g. nodis ligaturis, voluminibus capillorum, &c. & tunc difficiliùs expellentur, nisi destructis eisdem signis, si inueniri possint; plura enim potest diabolus, & infestius nocet, quandò humana malitia cooperatur, & se immiscet, quam si solus esset, de qua re videri potest, Lessius *lib.2. cap.44.nu.42.*

DVBITATIO VIII.

An si quis in sua domo, vel ab alio conducta inueniat pecuniam absconditam, vel thesaurum acquirat sibi illius dominium.

RESpondeo, & dico primò. Si constet de tempore, quo pecunia fuit abscondita, vel quis eam absconderit; non potest inuentor sibi eam occupare: sed tenetur restituere ei, qui pecuniam ibi reposuit, vel eius hæredibus, tanquam veris dominis. Ratio est, quia prædicta pecunia non potest dici thesaurus pertinens, saltèm ex parte ad inuentorem; siquidèm thesaurus definitur; vetus quędam pecuniæ depositio, cuius non extat memoria; & ideò sub nullius est dominio, *l. num. quam ff. de* acquirendo rerum dominio; cum ergò non sit thesaurus, sed habeat dominum, huic restitui debet ab inuētore, siuè inuentor sit dominus domus, siuè cōductor, ita Lessius *lib.2. cap.5. dub.15.* & alij cōmunitèr, quos affert Diana *p.2. tract.9. res.1. & 2.*

Dico secundò. Si quis in domo sibi locata, seu cuius non est dominus, inueniat verum thesaurum suprà definitum; tenebitur ad instar extranei inuenientis thesaurum in fundo alieno, tenebitur ą quam cum domino proprietatis ex æquo illum diuidere, quia conductor non est dominus fundi sibi locati, sed vsuarius, vel vsufructuarius. Imò si idem conductor data opera thesaurum perquisierit non admonito domino domus, in pœnā iniuriæ, quæ sit domino, perdit suam partem quamuis in conscientia non teneatur ea se priuare antè sententiam iudicis, eò, quia pœna non alitèr debetur, ità Lessius loc. sup. cit. quamuis Nauarr. apud eundem Lessium sentiat vsufructuarium esse dominum veluti

lem ad instar emphitentæ, qui thesaurum inuentum in fundo emphiteutico, potest probabilitèr sibi retinere, vide etiam Dianam loco citato *res.5.*

Dico tertiò. Si conductor domus, vel quiuis alius sciens in tali domo thesaurum latere, illam emat, antequam eruat; efficitur post eā dominus totius thesauri, quià per emptionem efficitur dominus fundi. Et colligitur ex Euangelio *Matth.13* & docent communitèr DD. apud Lessium vbi sub.

DVBITATIO IX.

An domus in tuo fundo ædificata ab extraneo, efficiatur tua, vel ædificantis.

RESpondeo. Domum effici tuam: quia illius est ædificium, cuius est solum, etiam si sua materia alius ædificauerit, ex *L. adeò, §. ex diuerso ff. de acquirendo rerum dominio.* An autèm teneatur dominus fundi soluere pretium materiæ, & mercedis fabrorum? Respondendum est distinguendo. Si enim extraneus sciens solum esse alienum, ibi ædificauerit; nihil in externo foro poterit repetere; quià aut donasse, aut temere ædificasse censetur, & sic in pœnam perdit pretium materiæ. Si verò id ignorabat; tenebitur dominus fundi soluere expēsas factas, saltèm si vtilitèr gestum fuit eius negotium. Ratio est, quia bona fides non patitur, vt dominus fundi locupletetur cum detrimento alterius, ita colligitur ex citata *l. adeo*, & docet cum alijs Layman *lib.3. tract.1. cap.5. num.21.*

SECTIO X.

De Benedictione nouæ Nauis.

PRÆLVDIVM I.

De origine, & causis Benedictionis Nauis.

RESpondeo, & dico primo. Cum sit valdè periculosum, imò & temerarium videatur super fragili ligno se homines mari committere, & tempestatibus pelagi, vt meritò D. Ambrosius hoc admiretur, dicens, temeritas humana sibi est ipsa discrimen; hoc facit auaritia mercatorum; in aqua labores suos seminat: in aqua eis seges pullulat, fructus nunquam tutus, &c. cum nauigatio, inquam, sit innumeris periculis exposita; meritò apud fideles iam pridem ecclesiastico fuit vsu introductum, vt nouiter fabricatę naues priùs benedicantur, quam impetus ventorum exponantur; vt benedictionis virtute naufragijs occurratur. Quo autem præciso tem-

pore hic ritus inceperit, non reperi apud interpretes sacrorum rituum.

Certum est autem plurics fuisse nauiculas Christi præsentia sanctificatas; cum non semel in Euangelio legatur, eum in nauim aliquam ascendisse, & quandoque de nauicula, quæ erat Simonis, docuisse turbas, *Lucæ* 5. & ex tunc nauis cœpit esse typus Ecclesiæ omni benedictione repletæ, vt infra dicemus.

Dico secundò. Materia, seu subiectum huius benedictionis est nauis. Eius formula habetur in Rituali Romano. Minister est quilibet Sacerdos. Causa verò finalis est salus, & incolumitas nauigantium, vt a procellis, & periculis omnibus liberari, ad portum semper optabilem perueniant.

PRÆLVDIVM II.

De mysterijs, & documentis eiusdem benedictionis nouæ Nauis.

PRimò. Nauis benedicta est typus Ecclesiæ Catholicæ, quæ a Christo ædificata omni benedictione ab eodem repleta fuit, qua sola in huius sæculi mari securè nauigamus; extra quam nemo ad portum salutis peruenire potest; vt fusius explicant SS.Patres, inter quos Venerabilis Beda in *cap.6.Marci*, sic ait: *Labor discipulorum in remigando, & contrarius eis ventus labores Sanctæ Ecclesiæ varios designat; quæ inter vndas sæculi aduersantis, & immundorum flatus spirituum, ad litus patriæ cœlestis peruenire conatur, &c.*

Secundò. Nauis benedicta significat Crucem Christi olim in Arca diluuij præfiguratam, sicuti apertè docet D.August.relatus a D.Thoma *p.3. q. 46.art.*4. sicut enim per Arcam Noè reparatus est mundus, diluuio absortus, ità per Crucem Christi è diluuio peccatorum emersit: vnde canit Ecclesia.

Sola digna tu fuisti
Ferre mundi victimam
Atque portum præparare
Arca mundo naufrago.

Tertiò. Nauis benedicta designat B.Virginem Dei Genitricem; de qua dicitur *in parabolis Salamonis cap.31.facta est, quasi nauis de longè portans panem suum*, idest Christum. Huius ergo Virginis protectione veri eius, deuoti ab huius sæculi procellis erepti, ad portum æternæ salutis feliciter ducuntur. Hinc Ambrosius *epis. 81. ad Siricium Papam. In veteri* inquit *testamento Virgo Hæbreorum per mare duxit exercitum; in nouo testamento Virgo generis Aula cœlestis electa est ad salutem*

Tandem hac benedictione præbet Ecclesia salutare documentum nautis, & nauigantibus, vt ad sedandas tempestates, & fugandas procellas ad Deum confugiant; & diuinam opem implorent, eiusdemque benedictionis effectus enixe petant: E contrà valdè decipi eos, qui in eundem finem vtuntur incantationibus, & similibus medijs superstitiosis, quibus inuocatur diabolus; quià etsi hic ad tempus se simulet adiutorem; re vera tamen est perfidus deceptor, & implacabilis hostis, vltimi nostri interitus machinator.

PRÆLVDIVM III.

De virtute, & effectibus benedictionis Nauis.

REspondeo. Virtute huius benedictionis nauigantes consequi emolumenta, & gratias, quas Ecclesia in eorum fauorem postulat in oratione, qua nauis benedicitur, prout habetur in Rituali Romano. Quarum prima est diuina protectio nauigantium, quibus Deus porrigit eis dexteram, sicut porrexit Petro ambulanti super mare.

Secunda est custodia Angelorum; sic enim habetur in oratione prædicta. Mitte Sanctum Angelum de Cœlis, qui liberet, & custodiat nauim a periculis vniuersis cum omnibus, quæ in ea sunt.

Tertia est nauigantium salus, & incolumitas vsque dum perueniant ad optatum portum gaudio, perfectis negotijs omnibus.

DOCTRINA MORALIS,

Et dubia conscientiæ de casibus occurrentibus in nauibus, & triremibus.

DVBITATIO I.

Vtrum Nautis licitum sit ignem inijcere in proprium puluerem tormentarium, quo ipsi cum naui absumantur: ne veniant in potestatem agressurom.

PRima sententia affirmat; præsertim si aggressores sint hæretici, vel Christianæ Reipublicæ publici inimici. Probatur, quià si id esset illicitum, maxime, quià nautæ, & alij omnes

omnes se ipsos directè occiderent, quod est intrinsecè malum; sed hoc est falsum; quià in hoc casu non occidunt se ipsos directè, & per se quamuis se exponant manifesto, & certo mortis periculo; quod licitè fieri potest, ergò, &c.

Probatur minor, quià nautæ, & milites applicantes ignem suo pulueri nòn intendunt propriam ruinam, & mortem, sed solùm, vt aggressores frustrentur preda sperata, & ex altera parte iustam habent causam sic faciendi; quià id magis expedit communi bono Reipublicæ Christianæ; nè eius hostes efficiantur potentiores, & magis insolentes, vel vt minùs nocere possint.

Confirmatur primò, quià licitum est similitèr inijcere ignem puluerì tormentario ad euertendam arcem inimicorum, etiam si applicans ignem certo sciat, se ab igne absumendum; vel arcis ruina opprimendum, ergò pariter in casu nostro.

Confirmatur secundò, exemplo Samsonis, qui templi columnas euertit, vt opprimeret inimicos; quamuis sciret, se cum illis opprimendum. Itèm exemplo Eleazari 1. Machab. 6. qui bestiam occidit, à qua erat opprimendus. Ita Fagundez cum alijs apud Dianam *p. 6. tract. 7. res.* 48.

Secunda sententia communis, & longè probabilior negat.

Probatur, quià nunquàm est licitum, directè se ipsum occidere, etiam in finem boni communis, & ad eneruandas vires inimicorum; cum id sit intrinsecè malum; sed in casu posito applicantes ignem se ipsos, & omnes socios innocentes directè occidunt, ergò, &c.

Probatur minor, quià applicatio ignis, seù actio illatiua mortis directè primariò, & per se tendit in ipsos nautas, & socios nauis, & solùm indirectè, & consecutiuè in damnum inimicorum.

Confirmatur, quià communis Catholicorum sensus huiusmodi factum abhorreet, tanquam horrendum, & impium.

Ad opposita respondetur. In casu nostro separari non posse intentionem nocendi hostibus, ab intentione occidendi se ipsos: cum nocumentum hostium sequatur ex propria morte applicantium ignem. Secus est in exemplis allatis; quandò enim applicatur ignis contrà arcem, in qua sunt hostes, actio illa directè tendit ad interitum hostium, & indirectè contrà applicantem; eadem ratio est de facto Eleazari. Ad exemplum verò Samsonis, quod magis vrget. Respondetur Samsonem id fecisse ex peculiari instinctu Dei, qui est auctor, & dominus vitæ, nec propria auctoritate id facere potuisset.

DVBITATIO II.

An capientes naufragantium bona, grauitèr peccent, siuè ea fuerint è nauibus in mare proiecta, siuè in ipsis nauibus in transuersum iactatis inuenta.

Respondeo, & dico primò. Quandò prædicta bona habentur pro derelictis, possunt licitè capi à quibuscunque. Ratio, quià tunc sub nullius sunt dominio; ergò fiunt inuentoris.

In quibus autèm casibus censeri possint haberi pro derelictis, dijudicandum erit ex circumstantijs, e. g. si dominus propè portum passus sit naufragium, & postquam in portum se recepit non procuret bona illa recuperare. Vel si proijciantur ea, quæ facilè corrumpuntur, vt saccharum, mala punica, ficus, & similia, quorum non super est spes recuperationis. Ità Sayrus Alterius, Duardus, & communitèr alij expositores *Bullæ Cœne can.* 4. *eiusdem.*

Dico secundò. Bona proiecta, vel in naui relicta cum spe recuperandi, non possunt licitè capi. Imò ea vsurpantes graue furtum committunt, & incidunt in excommunicationem Papæ reseruatam in Bulla Cœnæ, qua intendit Summus Pontifex Christianos arcere ab hoc delicto, & miseris naufragium passis succurrere, nè ab inimicis priuentur reliquijs suorum bonorum, quando sunt in maxima afflictione, & miseria, DD. sup. cit. & Diana *p. 9. tract.* 8. *res.* 36.

DVBITATIO III.

An aggredientes longam nauigationem, teneantur priùs confiteri: & an possint à reseruatis absolui.

Respondeo, & dico primò, tenentur confiteri, præsertim si in naui non sit futurus Sacerdos, à quo absolui possint, occurrente necessitate, seù periculo mortis.

Probatur, quià lex propriæ charitatis obligat omnes ad se Deo reconciliandos, quotiès exponuntur periculo mortis; nè contingat, in æternum aliquem perire. Cum ergò aggredientes longam nauigationem communitèr se exponant periculo mortis, seù naufragij, & medium reconciliationis peccatoris cum Deo sit confessio, sequitur, eos teneri sacramentalitèr confiteri. Quamuis plures excusentur ex ignorantia, vel inaduertentia, ità DD. communitèr, quos affert, & sequitur Diana *p. 5. tract. 3. res.* 62.

Dico secundò, in prædicto casu aggressuri nauigationem absolui possunt ab omnibus delictis, & censu-

censuris quantumuis reseruatis; quia constitutis in periculo mortis hoc priuilegium conceditur ab Ecclesia, vt probat Diana vbi suprà *resulutio.* 59.

DVBITATIO IV.

Vtrum in naufragio possint, qui sunt in naui, omnes simul absolui à Sacerdote vnica absolutione.

RESpondeo affirmatiuè.

Probatur, quamuis enim extrà casum necessitatis non sit licitum confessario plures simul, & confusim audire; & simul absoluere, quia obstat præceptum integritatis, quam per se requirit confessio; Nihilominùs in casu necessitatis, & consequentèr in naufragio, in quo non suppetit tempus audiendi singulos separatim; potest, & debet Sacerdos audita omnium confessione eo modo, quo tunc fieri potest; omnes simul absoluere, dicendo, *Ego vos absoluo*, &c. quia ad essentiam Sacramenti sufficit integritas formalis confessionis, & in casu necessitatis cessat præceptum integritatis materialis. Ità Angelus, Henriquez, Layman, & alij communitèr, quos affert, & sequitur Diana *p.5.tract.3.res.71.*

Colligitur, teneri singulos in periculo naufragij constitutos, quandò non possunt secretò confiteri publicè se accusare manifestando vnum, vel alterum peccatum minoris scandali ad vitandam infamiam, vt præbeant materiam absolutionis. Quod si vrgens periculum id non permittat; poterunt omnes simul dato aliquo signo accusationis peccatorum in communi simul absolui, e. g. poterit monere Sacerdos, vt omnes in signum contritionis, & accusationis genuflectant, vel pectus percutiant: quo signo exhibito absoluere debet omnes simul, vt suprà dictum est; idemque dicendum in simili periculo belli, vel pestis, &c. ita DD.cit.

DVBITATIO V.

An damnati ad triremes censeantur constituti in periculo mortis, & sic absolui possint ab omnibus reseruatis.

RESpondeo. Quamuis aliqui absolutè affirment cum Sà *verbo absolutio num.* 4. Nihilominùs iuxtà communem, & probabiliorem sententiam distinguendum est, atque dicendum, primò damnatos ad triremes, seu remiges posse absolui a reseruatis, quandò est ineunda periculosa, seu longa nauigatio; tunc enim censentur constitui in periculo mortis; sicut de alijs nauigantibus supra dicebamus dub.3. Secundò dicendum est extrà hunc casum, cum non sint in periculo mortis; sicut nec milites præsidarij, e.g. quandò triremes sunt quietæ in portu, non est cur absolui possint a reseruatis ex hoc capite, ità DD. communitèr, quos affert, & sequitur Diana *p.5.tract.2.resol.62.* Dixi ex hoc capite, quia ratione impedimenti, cum remiges prædicti non possint adire Summum Pontificem, nec Episcopum, poterunt absolui a quouis confessario approbato, ex his, quæ idem Diana cum Tannero notat *p.5.tract. 9. resol. 6. §. non desinam.*

DVBITATIO VI.

An Clerici in sacris, & Religiosi triremibus addicti, obligentur ad horas canonicas, & an gaudeant priuilegio canonis.

RESpondeo, & dico primò. Non obligantur ad horas canonicas. Ratio est, quia status ille non compatitur tale onus; & consuetudo sic interpretata est mentem Ecclesiæ, ita Sotus, Lessius, & alij, quos affert, & sequitur Diana *p.2.tract. 12.res* 40.

Dico secundò, Gaudent priuilegio canonis: quarè si comites in illis flagellandis, & corrigendis, modum extendant, incidunt in excommunicationem.

Probatur, quia nullo iure priuantur eo priuilegio, vt cum alijs probat idem Diana *p.9.tract.4. resol.*17.

DVBITATIO VII.

An damnati ad triremes possint licitè fugere, & se à catenis subtrahere.

RESpondeo, & dico primò. Seculares possunt licitè fugere. Probatur, quia cum hoc genus pœnæ sit valdè atrox, & veluti quædam perpetua mors, *l.penult.ff.de regul.iuris*; non videntur remiges damnati ad triremes, vt sponte ibi maneant; (id enim videtur durissimum,) sed vt patientèr ferant ibi detineri; sicut dum quis damnatur verberibus, ita Bannes, Corduba, Lopez, & alij, quos citat & sequitur Sanchez *sum.lib.6.cap.8. num.*16.

An autem licitum sit alijs, prædictos iuuare ad fugam, & instrumenta suppeditare? Affirmant probabilitèr nonnulli Doctores. De qua re videri potest Diana in casu simili *par.3. tract.5.res.*102.

Dico secundò. Religiosi iustè damnati ad triremes, non possunt licitè fugere. Ratio, quia ex vi professionis se libertate priuarunt; nec vagari possunt; & hac etiam ratione non possunt licitè fugere è carceribus; vt cum alijs pluribus docet

San-

Sanchez vbi suprà. Limitat Bannes 2. 2. *quæst.* 69. *ar.*4.nisi Religiosus fugere velit, non vt vagetur, sed vt Pontificem, vel Superiorem adeat, petiturus veniam, quod videtur probabile.

SECTIO XI.

De Benedictione nuptiali, seù Sponsi, & Sponsæ.

PRÆLVDIVM I.

De origine, & causis benedictionis nuptialis.

Respondeo, & dico primò. Vsus benedictionis nuptialis est antiquissimus, & valdè celebris: siquidèm de eo extant testimonia primorum Pontificum, & Sanctorum Patrum, & Conciliorum: videlicèt Innocentij 1. *epist.*2.*cap.*6. Sixti Papæ *epist.*1. *cap.* 4. D.Ambrosij *epist.*70.*ad Vigilium*, *& lib.*1.*de Abraham cap.vlt.* Tertulliani *lib.*2.*ad vxores*, D.Isidori *lib.* 2. *de officijs cap.* 19. Concilij Constantiensis contra Vuicleph, & aliorum. Fuit autèm conuenientissimè ab Ecclesia instituta hæc sponsorum benedictio, ad vitandas insidias, & discordias, quas machinari solent maligni spiritus inter sponsos; & ad declarandam excellentiam Sacramenti Matrimonij, vt ex dicendis patebit.

Dico secundò. Subiectum, cui appllicatur hæc benedictio sunt sponsi, seù coniugati vinculo matrimonij. Formula, seù Ritus præscribitur in Missali in propria Missa pro sponsis. Minister est proprius Parochus. Tandèm causa finalis est felix exitus matrimonij.

PRÆLVDIVM II.

De Mysterijs, & Documentis benedictionis nuptialis.

Primò. Instituta fuit hæc benedictio ab Ecclesia, ad declarandam excellentiam matrimonij in lege euangelica, in qua huiusmodi contractus olim merè naturalis, & humanus, eleuatus fuit a Christo ad sublimitatem veri Sacramenti: Siquidèm post Incarnationem Verbi diuini, (qua ipse Christus in carne assumpta Sanctam Ecclesiam spirituali matrimonio sibi copulauit,& vnum corpus mysticum voluit cum ea effici, idest cum congregatione iustorum, & omnium fidelium, quorum ipse Christus est caput) voluit Christus, & decreuit, vt matrimonium carnale, quo efficitur, vt duo sint vna caro; decreuit inquam, vt matrimonium carnale fidelium esset signum, & imago Sacratissimi Incarnationis Mysterij,& vnionis ipsius Christi cum Ecclesia; & ob hanc rationem contulit illi virtutem conferendi gratiam sanctificantem sponsis; atque adeò rationem, & essentiam veri Sacramenti. Vndè Apos. *ad Ephes.* 5.loquens de eodem matrimonio inter fideles, ait, *Sacramentum hoc magnum est; ego autèm dico in Christo, & in Ecclesia*, & ipsa Ecclesia in oratione huius benedictionis nuptialis, sic ait: *Deus, qui tàm excellent imysterio coniugalem copulam consecrasti,vt Christi, & Ecclesia Sacramentum præsignates in fœdere nuptiarum, &c.*

Hinc infertur primò, debere sponsos, sancta,& sincera dilectione se inuicem prosequi, ad instar dilectionis, qua Christus Ecclesiam dilexit, & diligit, vndè Apos. *loc.dit.viri*, inquit, *diligite vxores vestras, sicuti Christus dilexit Ecclesiam; & se ipsum tradidit pro ea.*Secundò etiam infertur subiectio, & obedientia, quam debent vxores viris suis; nam idem Apost.vbi supra subiungit, dicens, vir caput est mulieris; sicut Christus caput est Ecclesiæ: & sicut Ecclesia subiecta est Christo, ità mulier viro suo in omnibus. Tertiò infertur indissolubilitas matrimonij consumati, sicut vnio Christi cum Ecclesia indissolubilis est; quæ omnia fusius explicant SS. PP. in prædictum locum Apost. August.relatus in *cap.non est dubium* 27.*q.*2. D.Leo relatus ibidem, *cap.cum societas*, & alij apud Sanchez *de matr.lib.*2.*disp.*13.*num.*1.

Secundo hac benedictione nuptiarnm aliud simile mysterium declaratur, videlicèt per matrimonium ratum, & non consumatum significari nuptias, seù vnionem spiritualem Christi cum qualibet anima per gratiam sanctificantem; quæ vnio dissolubilis est: sicut, & matrimonium ratum inter fideles, potest quandoque dissolui; sicuti expressit Innocentius III. *in cap.debitum de bigamia*: vbi declarat matrimonium consumatum significare vnionem Christi cum Ecclesia per carnem assumptam; matrimonium verò ratum, & non consumatum præsignare vnionem Christi cum anima per gratiam sanctificantem, seù charitatem.

Hinc infertur, quam felix, & sublimis sit status animæ iusti in gratia; qua verè fit sponsa Regis Regum Christi, & Christus fit eius sponsus. Præcipuè verò hanc dignitatem assequuntur Virgines, quæ suam Virginitatem Deo vouent; de quibus ità loquitur D.August. *tract.* 9. *in Ioannem.* *Nec illæ, quæ virginitatem Deo vouent quanquàm ampliorem gradum honoris, & sanctitatis in Ecclesia teneant, sine nuptijs sunt; nàm, & ipsæ pertinent ad nuptias cum tota Ecclesia: in quibus nuptijs sponsus est Christus.*

Tertiò, ex prædictis mysterijs apprehendant sponsi hoc saluberrimum documentnm; quod sicut ad celebrandas, & perficiendas nuptias Christi cum Ecclesia, fuit singularitèr electa a Deo B. Virgo Maria, vt esset thalamus nuptialis eiusdem sponsa-

sponsalitij, & mysterij Incarnationis, cui ipsa Virgo Sanctissima mirificè cooperata est, ita ad hoc, vt carnales nuptiæ, (quæ sunt earundem imago) felicem sortiantur effectum, valdè proderit eiusdem Virginis patrocinium; quod enixè erit a sponsis implorandum. Quod autem Virgo Dei Genitrix fuerit thalamus nuptialis in sponsalitio Christi cum Ecclesia; apertis verbis declarat D.Gregorius *hom.38. in Euangel.* sic dicens: *Tunc Deus Pater Deo filio suo nuptias fecit, quandò ei per Incarnationis mysterium Sanctam Ecclesiam sociauit: Vterus autèm Genitricis Virginis huius sponsi thalamus fuit*; vndè Psalmista dicit: *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.*

PRÆLVDIVM III.

De virtute, & effectibus benedictionis nuptialis.

Respondeo, hanc benedictionem operari per modum intercessionis eos effectus, quos in eiusdem formula Ecclesia precatur sponsis. Videlicet, primò, vt vera, & sincera dilectione se mutuò prosequantur. Secundò, vt fidelitatem sibi inuicem seruent. Tertiò, vt videant filios filiorum suorum vsque ad tertiam, & quartam generationem. Tandem suis precibus Ecclesia magis succurrit mulieri, tanquam imbecilliori, sic orans sit amabilis viro, vt Rachel, Sapiens, vt Rebecca, longeua, & fidelis, vt Sara: sit verecundia grauis, pudore venerabilis, &c. Ad eosdem etiam effectus instituta est ab Ecclesia benedictio thalami nuptialis; quæ habetur in Rituali Romano, cui applicari possunt superiùs dicta; & ea, quæ diximus de benedictione domorum.

DOCTRINA MORALIS,

Et dubia conscientiæ de eadem benedictione.

DVBITATIO I.

An hæc benedictio cadat sub præcepto; ita vt peccent sponsi, si eam negligant.

Respondeo, & dico primò. Benedictio nuptialis cadit sub præcepto, atque adeò obligantur sponsi eam recipere.

Probatur, quià sic manifestè colligitur ex *cap. nostrates 3.q.5.* ex Concilio Carthaginensi IV. *cap. 13.* & alijs iuribus, & tandèm ex consuetudine Ecclesiæ, ità ex communi sententia docet Sanchez de *matrim.lib.7.disp.82.num.6.*

Dico secundò. Hæc obligatio recipiendi benedictionem nuptialem, non est sub peccato mortali, sed sub veniali, quarè illam negligere (secluso contemptu) non excedit culpam venialem.

Probatur, quia cum benedictio huiusmodi non pertineat ad essentiam, neque ad integritatem Sacramenti; non videtur materia præcepti grauis, sed leuis. Neque etiam est ritus connexus cum ipsa administratione Sacramenti matrimonij, sed ab extra; quarè non est, vndè colligatur obligatio tam grauis, qua transgressores damnandi sint peccati mortalis. Dixi, secluso contemptu; nàm si quis benedictionem hanc negligeret existimans eam rem vanam, vel puerilem, &c. grauitèr peccaret contra reuerentiam Ecclesiæ debitam, & ritibus ab ea institutis, vide Sanchez loc.cit.

Dico tertiò quamuis consultius, & decentiùs sit hanc benedictionem recipere antè consumationem matimonij, sicuti Concilium Trid. *sess. 24. cap.1.* hortatur, vt fiat; non est tamen peccatum eam differre, & suscipere post consumatum matrimonium; quia nullibi extat prohibitio non consumandi antè benedictionem, & Tridentinum, vt diximus, solum vtitur verbis exhorrationis, & consilij. Vide Sanchez *de matrim. lib.3. disp.12.*

DVBITATIO II.

De Ministro legitimo huius benedictionis, & dispositione in eo requisita ad hoc munus exercendum.

Respondeo, & dico primò. Minister legitimus huius benedictionis est proprius Parochus sponsorum priuatiuè quoad alios.

Probatur, tum quià ità decernitur in Trident. *sess.24.de matrim.cap.1.* tum quià est functio consequens contractum matrimonij, ad cuius solemnitates ius habet Parochus. Nomine autèm proprij Parochi, non intelligitur proprius Parochus mulieris; vt quibusdam placet: sed Parochus vtriusque contrahentis, vt benè probat Sanchez de *matrimonio lib.9.disput.82.num.4.*

Dico secundò. Si Parochus alienus, vel quiuis alius Sacerdos audeat impertiri hanc benedictionem sponsis sine licentia proprij eorum Parochi, vel ordinarij, peccat mortalitèr.

Probatur, quià in citat. loc. Concil. Trident. id grauitèr prohibetur, & sub pœna suspensionis latæ sententiæ, ità DD. communitèr apud Sanchez vbi sup.

Dico tertiò, quoad dispositionem, cum hæc benedictio fiat inter Missarum solemnia, seù in ipso actu celebrationis ante communionem; manifestè

festè sequitur in ministro requiri eam dispositionem; quæ necessaria est ad dignè celebrandum, & communicandum, videlicèt statum gratiæ; Cœterum seclusо hoc titulo, seù hac obligatione, quæ oritur ex connexione cum sacrificio; ad hoc munus præcisè benedicendi sponsos, non requiritur status gratiæ in ministro, quià ipsa benedictio non est Sacramentum, sed sacramentale. Itèm Parochus assistens matrimonio in peccato mortali, non peccat mortalitèr; quià non ipse conficit Sacramentum, sed sponsi, ergò si hæc benedictio, quæ non est Sacramentum fieri posse à Parocho extrà Missam, non requiretur in eo status gratiæ, ità Sanchez *de matrim.lib.2.disp.6.*

DVBITATIO III.

Qualitèr sit prohibitum, benedictionem impertiri secundis nuptijs.

Respondeo, & dico primo. Benedicere secundis nuptijs est iure prohibitum, vt constat ex cap. vir de secundis nuptijs.

Ratio verò talis prohibitionis est, quam explicat D.Thomas *in 4.dist.42.q.3 ar.2. ad 2.* Quià secundæ nuptiæ deficiunt à plena Sacramenti significatione; siquidèm, vt suprà dictum est *prælud.2.* contractus matrimonij eleuatus fuit à Christo ad dignitatem Sacramenti, vt sit signum nuptiarum, seù vnionis ipsius Christi cum Ecclesia; quæ significatio non est omninò perfecta in matrimonio, quod contrahitur secunda vice; quià Christus est vnicus sponsus vnius sponsæ Ecclesiæ; contrahens autèm secundas nuptias, siuè vir, siuè fœmina, non potest dici vnius tantùm sponsus, vel sponsa; ergò secundæ nuptię deficiunt à plena Sacramenti significatione; & ideò non applicatur illis benedictio instituta ab Ecclesia ad declarandum prædictum mysterium vnionis Christi cum Ecclesia.

Nec est audiendus Sanchez reprobans hanc rationem *lib.7.de matrim.dis.82.nu.16.* & aliam aducens, quià videlicèt semèl benedictus non potest iterùm benedici; cum ergò alterutèr ex sponsis fuerit prima vice benedictus; non potest iterùm benedici, & ideò inquit, prohibentur benedici secundæ nuptiæ. Non est inquam audiendus; quià antecedens est apertè falsum; loquendo de benedictione inuocatiua, vt est in casu nostro, sicuti nos suprà probauimus *tit.1.sect.6.dub.2.* Nec exempla, quæ Sanchez adducit de benenedictione constitutiua aptari possunt huic casui.

Colligitur non esse licitum secundis nuptijs benedicere, siuè vterque, siuè alter coniux ad secundas nuptias transierit, quià textus prohibens absolutè loquitur, & in vtroque casu militat ratio explicata, ità Sanchez cum alijs loc.cit.

Dico secundò. Benedicere secundis nuptijs contrà prohibitionem iuris supra explicati, non est peccatum mortale, sed veniale. Hæc conclusio est contra aliquos existimantes id esse peccatum mortale; quia in *cap. 1.de secundis nuptijs* imponitur pœna suspensionis ab officio, & beneficio Parocho eis benedicenti; quæ pœna cum grauis sit, arguit peccatum graue. Cœterum probabilius est, id quod asserimus, neque ex pœna prædicta colligitur sufficientèr peccatum mortale; tum quià non est latæ, sed ferendæ sententiæ; tum quià non est pœna ordinaria talis delicti, sed statuta fuit in casu ibi explicato ob alias circumstantias; cum ergò textus non cogat, probabilius videtur, transgressionem prædictam non excedere culpam venialem cuiusdam indecentiæ; nec est asserenda obligatio grauis, & sub peccato mortali, nisi de ea manifestè constet, ita Sanchez *disp.82. citata, lib.7.matrim.*

SECTIO XII.

De benedictione mulieris post partum.

PRÆLVDIVM I.

De origine, & causis huius benedictionis.

Præmittendum est olim in veteri testamento præceptum fuisse, ne mulieres post partum, templum ingrederentur, nisi præmissa purificatione quadraginta dierum, si masculum peperissent; eò, quià reputabantur immundæ ob fluxum sanguinis menstrui. Die autem quadragesimo à partu, completa purificatione, intrabant in tẽplum, & puerũ cum muneribus Deo offerebant. Si autèm fœminam peperissent, tempus duplicabatur. Porrò hanc legem implere voluit Sacratissima Virgo Dei Genitrix, non ex obligatione; quià nec illi erat subiecta; nec vllo modo in ea comprehendebatur; quæ purior erat syderibus; sed vt suam eximiam puritatem, humilitate, & zelo diuinæ legis decoraret; vt partum diuinum, virginemque Deo Patri pro nobis offeret de quo misterio videri potest Suarez *tom.2.in 3.p.disp.37. sect.2.* hoc posito.

Respondeo, & dico primò. Quam pridem ab immemorabili tempore introductum fuit apud Christianos, vt piæ mulieres quadragesimo die sui partus accedant ad templum a Sacerdote benedicendæ: de quo ritu fit mentio in iure canonico, *cap. vnico de purif. post partum,* & *dist.5. cap. si mulier.* Porrò hæc laudabilis obseruantia non pertinet ad cœrèmonias veteris legis, quæ iam cessarunt, & in nouo testamento locum non habent; sed ad deuotionem, & imitationem Dei Genitricis Mariæ; quæ nulla legis obligatione adstricta, sponte accessit ad templum quadragesimo die sui diuini partus ob rationes suprà explicatas; quare ob similes fines christianæ mulieres, Deiparam imitantes, accedunt benedicendæ ad templum, videlicèt

Q

cèt ob humilitatis affectum: ad gratias Deo agendas pro sui, suique partus incolumitate;& vt filium Deo offerant. De quo titu fusè tractat Durandus *in Ration.lib.7.cap.7. e festo purif.B.V.*& videri etiã potest Castaldus *in praxi cærem. lib.2.sect.14.cap.9.*

Dico secundò. Materia, seù subiectum huius benedictionis est mulier post partum, vna cum prole recènter ædita. Formula habetur in Rituali Romano. Minister est quilibet Sacerdos. Denique causa finalis est gratiarum actio pro fæcunditate à Deo mulieri collata, & partu fælicitèr in lucem ædito.

PRÆLVDIVM II.

De mysterijs, & documentis eiusdem benedictionis.

PRimò hac benedictione, & titu purificationis monentur christianæ mulieres, quod sicuti ob deuotionem ergà Sacratissimam Virginem Dei matrem, cuius factum imitantur in purificatione post partum, merentur benedictionem in præsenti vita,& benignè introduci in templum Ecclesiæ militantis;ità etiam in futura vita ex eiusdem Deiparæ intercessione ingredientur templum cæleste Ecclesiæ triunfantis, Durand in *Ration. lib.7.cap.7.n.8.*

Secundo fit hic solemnis ingressus in templum quadragesimo die post partum: ad insinuandum, quod illi merentur ingredi templum sacrum in hac vita, & post hanc vitam templum gloriæ, qui decem præcepta decalogi cum fide quatuor Euangeliorum obseruant; decem enim quater ducta quadraginta efficiunt Durand. vbi sup. Ad quod etiam alludit cœremonia, qua introducitur mulier in Ecclesiam; porrecta videlicèt, ei stola Sacerdotis, quam manu apprehendit; siquidèm stola significat iugum legis euangelicæ; quam qui manu apprehendit, videlicèt per opera, & obseruantiam eiusdem legis, dignus efficitur ingressu templi cœlestis.

Tertiò. Hæc benedictio præcipuè ordinatur ad agendas Deo gratias ob prolem in lucem æditam, salute matris, vt constat ex formula benedictionis: vt matris satisfaciendo obligationi gratitudinis, nouam prolem mereantur; siquidèm beneuola protestatio prioris gratiæ acceptæ, est Deo incentiuum noui beneficij: sicut è contrà ingratitudo exiccat fontem diuinæ liberalitatis; gratiarum enim cessat decursus, vt inquit D.Bernardus *serm.1. in capite ieiunij*, vbi recursus non fuerit;& e contrà fidelis in modico censetur dignus munere ampliori.

Tandèm mulier benedicenda tenet candelam accensam in manu quià benedictionem non meretur, nisi qui timet dominum, & mandata eius obseruans, lucis exempla commostrat: vnde in *psal. 127. ecce sic benedicetur homo, qui timet dominum, & videas filios filiorum suorum, &c.* Vel etiam in memoriam, & reuerentiam Purificationis B. V. quæ processione candelarum, & luminibus accensis ab Ecclesia colitur, ob mysteria suo loco explicata de benedictione candelarum.

PRÆLVDIVM III.

De virtute, & effectibus benedictionis mulieris post partum.

REspondeo. Virtute huius benedictionis mulieres, quibus applicatur, impetrare à Deo gratias, quas in earum fauorem Ecclesia postulat, in formula eiusdem benedictionis; quarum præcipuæ sunt, vt nihil proficiat inimicus in eis, & vt B. Virginis intercessione host hanc vitam ad æternæ beatitudinis gaudia cum prole sua peruenire mereantur, &c.

DOCTRINA MORALIS,

Et dubia conscientiæ de eadem benedictione, & de vsu matrimonij diebus immediatis post partum mulieris.

DVBITATIO I.

An mulieres teneantur die quadragesimo sui partus suscipere benedictionem; & interim abstinere ab ingressu Ecclesiæ.

REspondeo, & dico primò. Benedictio mulieris post partum non cadit sub obligatio ne;quare eam negligens, secluso contemptu, nullo modo peccat, sicuti constat ex cap.vnico de Purificatione post partum,& alijs iuribus suprà citatis *prælud.1.* Ratio, est quia præceptum obligans mulieres ad cœremonias purificationis latum fuit in veteri testamento, quod iam cessauit; In nouo autèm testamento nullum extat de hac re præceptum; consulendum est tamen parientibus, vt opus tam pium nõ negligant ob vtilitates suprà explicatas ità DD.communitèr apud Sanchez *de matrim.lib.9.disp.22.num.8.*

Dico secundò. Mulieres post partum non prohibentur accedere ad Ecclesiam; sed possunt in eam liberè ingredi ad instar aliarum, quia nullibi pæcipi-

præcipitur oppositum; sicuti patet ex citato cap. vnico de purificatione post partum, & docet cum alijs Sanchez loc. cit. & videri etiam potest Durand. citatus *prælud*. 1.

DVBITATIO II.

In qua Ecclesia fieri debeat benedictio mulieris post partum, & à quo ministro.

Ratio dubitandi est, quià benedictio sponsorum debet fieri à proprio Parocho; vel de eius licentia, vt suprà dicebamus; ergò idem videtur dicendum de hac benedictione, quæ fit consequentèr ad contractum matrimonij.

Respondeo. Hanc benedictionem posse fieri, & recipi in quauis Ecclesia, & à quolibet Sacerdote, siuè sæculari, siuè regulari. Ratio est, quià cum sit meri consilij, & deuotionis; sicut potest parturiens liberè ipsam benedictionem, vel suscipere, vel negligere, ità etiam potest pro ea recipienda eligere tum Ecclesiam, tum Sacerdotem ad suum libitum; atque ità fuisse decisum à Sac. Congreg. refert Lezana *qq. RR. tom. 1. cap. 12. num. 41. & tom. 2. verbo benedicere num. 17.*

Ad rationem dubitandi respondetur esse disparem rationem; siquidèm benedictio sponsorum cadit sub precepto, & pertinet ad complementum solemnitatum Sacramenti matrimonij; & idcircò pertinet ad proprium Parocum; secus verò est de hac benedictione, vt per se patet.

Colligitur. Non posse Parochos sibi postulare, aut vsurpare candelas, aut alia, quæ occasione benedictionis prædictæ à mulieribus puerperis Ecclesijs Regularium præsentantur, sed ea pertinere ad ipsos Regulares, vt cum Cruz. & alijs probat Leander de præceptis Ecclesiæ *tract. 6. disp. 10. q. 10.* vbi refert declarationem Sac. Congreg. super hac re in fauorem Regularium.

DVBITATIO III.

An diebus immediatis post partum mulieris, licita sit copula maritalis inter coniuges.

Ratio dubitandi est, quià D. Gregorius, relatus in *cap. finali dist. 5.* videtur id prohibere his verbis. Nisi purgationis tempus prius transfierit, viris suis non debent admisceri. Ratio quoque id suadere videtur, quià mulier tunc censetur immunda ob fluxum sanguinis menstrui; & ideò copula non vacat indicentia, & turpitudine; consequentèr est culpa venialis.

Respondeo. Secluso periculo grauis morbi, vel alterius damni, nullam esse culpam, tunc debitum coniugale exigere, vel reddere. Ratio est, quià non constat de prohibitione, siquidem D. Gregorius in textu citato vtitur verbis consilij, & exhortationis; non verò obligationis, ita alijs allegatis docet Sanchez de *matrim. lib. 9. dis. 22. n. 11.*

Ad rationem dubitandi quoad auctoritatem D. Gregorij patet ex dictis. Quoad indecentiam verò respondetur eam cessare, quandò rationalitèr petitur, & redditur debitum.

DVBITATIO IV.

An mulier possit post partum eo tempore, quo sobolem lactat, possit petere, & redere debitum alteri coniugi.

Ratio dubitandi est. Quià id videtur prohibitum, tum in cap. finali sup cit. dist. 5. Tum ipso iure naturali. Quià concipere nutrices exitiosum est, vt ait Plinius *lib. 28. naturalis historiæ cap. 9.* eò quià id vergit in graue damnum, tum prolis lactentis; cui per copulam nutricis lac fit perniciosus, & quandoq; exiccantur vbera cum periculo mortis eiusdem prolis præ inopia ali menti. Tum fœtus concepti, qui nonnisi imperfectè tunc formari potest.

Respondeo, tamen communitèr nullam esse culpam, tunc debitum petere, vel reddere. Quià, vel communitèr damnum non sequitur; vt constat in coniugibus pauperibus; qui nulla obseruant tempora, vt à concubitu abstineant; vel si aliquandò sequitur, quoad ptolem lactentem facilè potest illi obuiari, si proles alteri lactanda tradatur, vel loco pio commendetur, &c. fœtui autèm concepto vix nocet, ità Sanchez *de matr. lib. 9. disp. 22. n. 13.* vbi fusiùs de hac re disserit.

SECTIO XIII.

De Benedictione Olei simplicis.

PRÆLVDIVM I.

De origine, & causis benedictionis Olei simplicis.

Respondeo, & dico primò. Ritus benedicendi oleum ad curandos infirmos, & liberandos energumenos manat a Christo Domino; cuius mandato Apostoli, alijque discipuli vngentes oleo infirmos plurimos, à varijs mor-

bis liberarunt, & ab innumeris obsessis demonia eiecerunt. Non loquimur autem in præsentiarum de oleo, quod est materia Sacramentorum Confirmationis, & extremæ vnctionis, & solemni ritu benedicitur ab Episcopo; sed de oleo simplici oliuarum, quod simplici ritu a quolibet Sacerdote, benedictione sanctificatur ad curandos infirmos. Hoc ergò simplex oleum S.Ecclesia a Christo edocta, a tempore Apostolorum benedicere consueuit, atque eius perfusione viri sanctissimi, imitatores Apostolorum cæcis visum, surdis auditum, ægris omnibus medelam facilè tribuerunt; sicuti de S.Hilarione refert D.Hieronymus in eius vita; & Sulpitius de S Martino, & de alijs viris Religiosis frequentissimè legitur in historijs ecclesiast.

Dico secundò. Materia huius benedictionis est oleum oliuarum. Formula habetur in Rituali Romano. Quamuis etiam apud fideles communitèr censeri solet oleum benedictum, & Deo, vel Sanctis consecratum, quod lampadibus iufusum ardet antè Sanctissimum Sacramentum, & antè reliquias, vel sacras Sanctorum imagines, & ad eosdem effectus adhibetur. Minister est quilibet Sacerdos. Denique causa finalis est incolumitas fidelium, seu gratia sanitatum, quæ eius perfusione obtineri solet.

PRÆLVDIVM II.

De Mysterijs, & Documentis benedictionis olei simplicis.

PRimò. Benedicitur oleum, & assumitur tanquam instrumentum gratiarum, & curationum omnium infirmitatum; eò, quia in oleo designantur gratiæ, & Charismata Spiritus Sancti, vt ex communi SS Patrum sensu, docet D. Thomas *3.p q.72.art. 2.* Vndè ex proprietatibus olei materialis deuenire possumus ad notitiam illorum effectuum, quos operatur interiùs vnctio spiritualis gratiarum; & donorum Spiritus Sancti. Præsertim vero, vt notat D.Gregorius in *lib. 1. Regum cap.10.* & Durandus *in Rationali lib. 1.cap.*8. oleum vulnera sanat, rigorem, seu duritiem emollit, ignem fouet, &c. sic vnctio Spiritus Sancti sanat interna vulnera peccatorum, duritiem praui cordis flectit, & emollit, ignem charitatis fouet, &c. Vndè Ecclesia in propria Missa Spiritus Sancti, in sequentia, quæ incipit Veni Sancte Spiritus sic orat. Sana quod est saucium, flecte, quod est rigidum, foue, quod est frigidum, &c.

Secundò vngi solent luctatores oleo, vt robur, & vigorem acquirant; & sic victores fiant contrà inimicum; cum ergò fidelibus dura sit colluctatio aduersus principes tenebrarum, seu contrà dæmones, ex Apost. *ad Ephes.6.* idcircò benedicitur oleum; & eo vnguntur fideles exteriùs, vt interiùs vngantur a Christo oleo donorum Spiritus Sancti, & præparentur ad pugnam, contra hostiles nequitias, vnde Aug.serm.46.de verbis Domini, sic ait: ideò nos vnxit Christus, quia luctatores cōtrà diabolū fecit,

Tertiò, oleum, vt experientia constat, & notat D.Gregor.sup.citatus superfertur alijs liquoribus. Dum ergò benedicitur oleum in typum gratiæ, seu ad designandam gratiam Spiritus Sancti, & eius dona; tali benedictione monentur fideles. Dei gratiam, & dona Spiritus Sancti, anteferenda esse cæteris bonis; & potiùs patiendam esse iacturam omnium aliorum bonorum, quam gratiæ; & charitatis. Vndè Apost. *ad Rom.8. Quis nos separabit à charitate Christi tribulatio, an fames, an nuditas, &c. neque mors, neque vita poterit nos separare, &c.*

Tandem per oleum designantur opera misericordiæ, subsidia, & eleemosynæ in pauperes, sicuti docent communiter SS.PP. ex quibus Chrysostomus *hom. 79. in Matth.* sic ait, *oleum appellat Christus, benignitatem, eleemosynam, & impensum indigentibus auxilium, &c.* Hinc ergò Ecclesia benedicit oleum, & eius iunctione succurrit indigentibus; vt discant fideles succurrere pauperibus, & indigentibus perfusione olei mystici, videlicet per eleemosynas, & benignitatem in pauperes, de quo documento ex professo differemus in dubijs conscientiæ.

PRÆLVDIVM III.

De virtute, & effectibus eiusdem benedictionis, & olei benedicti.

REspondeo. Effectus huius benedictionis, (sicut de alijs diximus) colligendos esse ex petitionibus, quæ fiunt ab Ecclesia in fauorem eorum, qui oleo benedicto vtuntur; siquidèm tota vis benedictionis ex meritis, & intercessione Ecclesiæ pendet. In oratione ergò ab Ecclesia instituta pro formula huius benedictionis sic habetur; vt qui hoc oleo vsi fuerint. Primo ab omni languore, omnique infirmitate liberentur. Secundò, vt a cunctis insidijs inimici, & ab omni aduersitate eruantur. Tertio, vt nunquam lædantur a morsu serpentis antiqui. Per Christum Dominum nostrum, &c. Porrò hoc remedium ab Ecclesia institutum in vtilitatem fidelium valdè efficax esse, & miræ virtutis, restantur innumera miracula per oleum benedictum ædita; quæ in vitis Sanctorum, & in historijs ecclesiasticis leguntur: & plura refert Gretserus de benediction. lib. 2. cap. 23.

DOCTRINA MORALIS,

Et dubia conscientiæ circà vltimum documentum, prælud. 2. explicatum, videlicèt, de præcepto eleemosynæ.

DVBITATIO I.

Quid sit eleemosyna, & quotuplex.

RESpondeo, & dico primò. Eleemosyna definitur, est opus, quo datur aliquid indigenti, ex commiseratione propter Deum. Ità D. Thomas 2. 2. *q.* 32. *art.* 1. & ibi expositores communitèr. Dicitur primò, opus, qui datur, &c. loco generis; in hoc enim conuenit eleemosyna cum alijs donationibus, siuè intèr consanguineos, siuè amicos; &c. Reliquæ particulæ sunt loco differentiæ; dicitur enim ex commiseratione, quià eleemosyna propriè est actus virtutis misericordiæ; quæ ex D. August. *lib.* 9. *de Ciuit. cap.* 5. est alienæ miseriæ ex corde compassio; qua vtique si possumus subuenire, compellimur. Tandèm additur propter Deum; quià definitur eleemosyna, quatenùs est opus meritorium vitæ æternæ, & sic debet esse imperata a charitate Dei, vt notat D. Thomas vbi suprà.

Dico secundò. Eleemosyna est duplex, videlicèt, corporalis, & spiritualis; Cum enim homo constet ex animo, & corpore, & in vtroque sit subiectus miseriæ; ideò duplex est species misericordiæ; altera, qua subuenitur aliorum indigentijs corporalibus, videlicèt, nuditati, fami, siti, &c. proximorum per opera misericordiæ, quæ dicuntur corporalia, & explicantur hoc versu.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Altera, qua occurrit miserijs animæ: correctione, consilio, doctrina, oratione &c. per opera misericordiæ, quæ dicuntur spiritualia, & continentur hoc versu.

Consule, corrige, solare, doce, remitte, fer, ora.

Nos autèm hic agimus de eleemosyna corporali.

DVBITATIO II.

An detur præceptum erogandi eleemosynam pauperibus; & quinam eo obligentur.

RESpondeo, & dico primò. Certum est dari præceptum eleemosynæ, iure tum naturali, tum diuino positiuo.

Probatur quoad ius naturale. Quià lege naturali charitatis tenemur diligere proximum, sicut nos ipsos, vndè manant illa duo principia, quorum primo explicatur obligatio non nocendi proximo, videlicèt, quod tibi non vis, alteri ne feceris. Secundò declaratur obligatio succurrendi proximo indigenti, vtique per eleemosynam, videlicèt, quod tibi vis fieri alteri sic facias.

De præcepto autèm iuris diuini positiui constat ex multis Sacræ Scripturæ locis 1. ad Thimoth. cap. vlt. Diuitibus huius sæculi præcipue facilè tribuere *epist.* 1. *S. Io. ap.* 3. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, &c. Matth.* 25. *esuriui, & non dedisti mihi manducare &c.* ex quo loco manifestè constat eleemosynam esse opus rigorosi præcepti; si quidèm nemo damnari potest ex omissione consilij; Christus autèm proferet sententiam damnationis contrà eos, qui non exercuerunt opera misericordiæ, seù eleemosynæ corporalis, ità DD. communiter *in tract. de eleemosyna* cum D. Thoma sup.

Colligitur, hoc præceptum intelligendum esse de eroganda eleemosyna omnibus indigentibus, etiam peccatoribus, inimicis, infidelibus, &c. vt patet ad *Rom.* 12. *si esurierit inimicus tuus ciba illum, & Lucæ* 6. *omni petenti te tribue,* DD. citato secundò. Hoc præcepto obligantur, præsertim diuites, seù habentes bona superflua, & eisdem non necessaria.

Probatur, Præceptum dandi eleemosynam non potest dirigi ad pauperes, & indigentes, quibus potiùs subueniri debet ab alijs. Itèm dirigi non potest ad eos, qui non habent nisi necessaria ad vitæ, vel sui status sustentationem respectiuè, quià ordo charitatis postulat, vt cæteris paribus quisque suam, suorumque vitam, & incolumitatem alienæ vitæ, & saluti præferat. Ergò idem præceptum omnino dirigitur ad diuites habentes superflua, & eisdem non necessaria, ex quibus subueniendum est pauperibus, vt in sequentibus, dubijs magis explicabimus vndè, Christus, *Lucæ* 11. *quod superest date eleemosynam,* &c. ità D. Thomas 2. 2. *q.* 32. *ar.* 5. quem sequuntur communiter.

Confirmatur. Quià idcircò terrenæ diuitiæ inæqualitèr distribuuntur a Deo, vt qui eis abundant, sibi comparent cæli gloriam per opera misericordiæ; qui autèm illis carente per patientiam curant ad propositum sibi certamen; ergò diuitibus necessaria est eleemosyna ad salutem; sicut & patientia pauperibus. Hinc Christus *facite* inquit *vobis amicos de mammona, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.*

DVB-

DVBITATIO III.

In quibus casibus facienda sit eleemosina ex præcepto, & primò de casu extrema necessitatis.

PRæmitendum est cum D. Thoma 2.2. *q.32. ar.* 5. ad dignoscendum, quandò, & in quibus casibus vrgeat præceptum eleemosynæ, duo esse attendenda. Primum ex parte dantis, an habeat bona superflua, ex quibus diximus dub. præcedenti faciendam esse eleemosynam. Bona autèm superflua sunt in duplici differentia; quædam enim dicuntur superflua naturæ; quæ videlicèt non sunt necessaria ad sustentationem vitæ propriæ, vel suorum; quædam dicuntur superflua personæ, quæ neque sunt necessaria ad vitam, neque ad decentiam status.

Secundò, ex parte accipientis, seù illius, cui danda est eleemosyna, considerandum est, an verè indigeat, & sit in statu necessitatis; & insupèr quali necessitate laboret. Triplex enim necessitas distingui solet communitèr a DD.

Prima dicitur necessitas extrema, cui nisi succurras proximus, indigens morietur, e. g. si quis præ inopia fame sit moriturus, nisi oblato cibo reficiatur; vel frigore extinguendus: nisi vestiatur; vel periturus morbo, nisi medicina liberetur, &c.

Secunda dicitur necessitas grauis, cui nisi succurras, alter incidet in grauem miseriam, e.g. vir nobilis cadet a statu suo, & cogetur mendicare, vel artem vilem exercere; vel quis iniustè priuabitur libertate, aut condemnabitur ad triremes; vel puella perdet pudicitiam.

Tertia dicitur necessitas communis, qualis est eorum, qui ostiatim mendicant, qui licet careant bonis proprijs, quibus vitam sustenteut; possunt nihilominùs non difficilè sibi prouidere, petendo ab alijs, ità DD. communitèr in *tract. de eleemos.* & videri potest Diana *par.5. tractat.* 8. *resol.* 1. his positis.

Respondeo, & dico primò. Certum est neminem teneri In extrema aliorum necessitate facere eleemosynam de necessarijs suæ propriæ vitæ, & suorum; quiá quisque potest; & debet vitam propriam, & suorum, aliorum incolumitati præferre, vt cum D.Thoma diximus dub.præcedenti.

Dico secundò. Certum est etiam teneri diuites sub mortali subuenire constitutis in extrema necessitate de bonis superfluis personæ; seù quæ illis non sunt necessaria ad decentiam status; quiá cum certum sit dati hoc præceptum subueniendi pauperibus, ex dictis dub. præcedent. euidens est maximè vrgere in hoc casu extremæ necessitatis, & illos præcipuè, qui habent prædicta superflua ità DD.communitèr.

Difficultas consistit in hoc, vtrum in casu extremæ necessitatis teneantur diuites subuenire pauperibus cum aliqua iactura, & diminutione proprij status.

Prima sententia affirmat teneri absolutè diuites, etiam cum iactura sui status, seù propriæ dignitatis.

Probatur, quiá ordo charitatis postulat, vt proximi vita præferatur propriæ dignitati, siquidèm vita proximi est bonum longe superioris ordinis propria dignitate, & excellentia status, ita Sylvest. *verbo eleemosyna*, Nauarr. *in manuali cap. 24. num.5.* Caetanus 2.2.*q.32.art.6* & alij.

Cæterum hæc sententia sic nudè intellecta, graues patitur difficultates. Primò enim sequeretur, teneri Magnares, Duces, Marchiones, &c. expendere multa millia aureorum, & vendere feuda, & terras ad redimendam vitam pauperis, alias occidendi a latronibus, vel tiranno: quod tamen videtur durissimum, & contra praxim. Deindè nemo ad tuendam propriam vitam tenetur ingentem pecuniæ summam expendere cum iactura sui status, & in dedecus suæ familiæ. seù descendentium; quiá potest meritò pluris æstimare decorem, & perpetuam dignitatem suæ familiæ, quam propriæ vitæ conseruationem post modicum tempus perituræ: ergò multò minus tenetur quis ad similes expensas ad tuendam vitam alterius. Tandèm conseruatio dignitatis, & status sublimis Magnatum valdè conducit communi bono ad regendam, & tuendam Rempublicam: ergò non videtur consonum rectæ rationi prædictos Magnates, seù Proceres decorem sui status abijcere, & perdere ad redimendam vitam pauperis contrà commune bonum.

Secunda ergò sententia probabilior docet teneri quidèm diuites, & potentes subuenire extremis pauperum indigentijs, & eorum vitam redimere ex bonis, quæ superfluunt naturæ; non tamen cum iactura totali proprij status: sed solum cum aliqua diminutione, & restrictione eiusdem status, seù propriæ dignitatis. Ratio est, quia ex supradictis defectio absoluta dignitatis, & sublimis status Magnatum, censetur maius damnum; quam sit defectio vitæ temporalis huius, vel illius priuati; secus est de aliqua diminutione status; nec oppositum dictat charitas, & recta ratio. Ita Bannes; Suarez, Palaus, ConinK, Villalobos, & alij, quos affert, & sequitur Diana *p.5.tract.8.resol.7.*

Colligitur primò, quid sit dicendum ad eam quæstionem; An teneantur diuites redimere captiuos apud Turcas, & infideles. Dicendum est enim, in casu, quo aliquis captiuus timetur iniustè occidendus; teneri diuites eum redimere, cum aliqua sui status diminutione, modo supra explicato; quia censetur captiuus ille in extrema necessitate constitutus. Diana cum alijs loco sup. *cit. resol.6.* secluso verò eo periculo non censentur captiui, esse in extrema, sed solum in graui necessitate, de qua dicemus dub.seq.

Colligitur secundò. Quandò valida fames, vel pestis Prouinciam opprimit, ita vt multi fame sint perituri, vel morbo necandi, nisi illis succurratur, teneri diuites; etiam cùm aliqua diminutione sui status subuenire pauperibus; quia manifestè hic apparet extrema necessitas, DD. supr. citat.

Colligitur tertiò, in prædictis, & similibus casibus

sibus, quandò plures diuites sciunt, vnum, vel plures laborare extrema necessitate; teneri singulos diuites in solidum subuenire indigentibus; idest quemlibet in defectum aliorum, quod si omnes (sicuti tenentur) velint satisfacere suæ obligationi, tenentur concurrere pro rata suarum facultatum. Ità alijs citatis Diana vbi *sup. ref.* 3. *&* 13. & Bonacina *in primum decalogi præceptum disp.* 3. *q.* 4. *punct.* 6. *num.* 12.

Colligitur quartò. Medicos, & chirurgos teneri gratis mederi illis, qui nihil habent, quod soluant; & sunt in periculo vitæ, itèm pharmacopolas teneri gratis medicinam illis ministrare; quià est casus extremæ necessitatis, DD. citati.

Colligitur quintò, Neminem teneri ingentem pecuniæ summam dare pauperi ad emendam valdè exquisitam, & extraordinariam medicinam; cum neque ipse diues infirmus eiusmodi medicinam sibi comparare tenetur; sufficit enim adhibere communia remedia, ità Sa *verbo eleemosyna*, & alijs citatis, Layman *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 6. *nu.* 4.

DVBITATIO IV.

An, & qualis sit obligatio faciendi eleemosynam in casu grauis necessitatis.

PRima sententia sustinet præceptum eleemosynæ solùm obligare in casu extremæ necessitatis; atque adeò in alijs casibus necessitatis grauis, & communis, eleemosynam esse opus consilij, & absque culpa omitti posse.

Probatur. Quià nemo tenetur magis diligere proximum, quam teneatur se ipsum diligere, & sibi subuenire, sed nemo lege charitatis obligatur ad procurandum pro se, nisi ea, quæ sunt necessaria ad sustentationem vitæ; ergo nec alijs plus procurare, vel erogare tenetur; siquidèm ex Apost. 1. *Tim.* 6. *habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti esse debemus*, ergò extra necessitatem extremam non vrget præceptum eleemosynæ, ità Rosella verbo eleemosyna, Gerson. D. Antoninus, & alij apud Bonacinam sup. *cit. coroll.* 3. & apud Dianam *p.* 5. *tract.* 8. *ref.* 14.

Communis tamen, & vera sententia docet oppositum. Cum qua Respondeo, & dico primò. In casu grauis necessitatis tenentur diuites, qui habent superflua personæ, seu bona non necessaria ad conseruationem status; tenentur inquam sub peccato mortali subuenire pauperibus.

Probatur, quià charitas obligat ad obuiandum graui damno proximi, quoties id fieri potest absque notabili incommodo, seù damno proprio; sed habens bona superflua modo explicato, potest absque proprio damno obuiare miseriæ notabili, constituti in graui necessitate, quippè id potest absque detrimento tum propriæ incolumitatis, tum decentiæ sui status; ergo, &c. ita DD. ferè communitèr apud Dianam vbi sup.

Ad argumentum oppositæ sententiæ respondetur. Minorem esse veram in casu voluntariæ renuntiationis proprij honoris, vel status &c. secus est, quandò quis inuitus eo priuandus esset; tunc enim sicut quis vellet iuuari ab alio potente, vel diuite; ità ipse potens tenentur alteri succurrere.

Dico secundò in eodem casu grauis necessitatis non obligatur præcepto eleemosynæ, qui non habet bona superflua; sed solùm necessaria ad sui status conseruationem, quià in pari casu potest quisnis sibi potius prospicere, quam alijs, vt cum communi DD. sententia probat Diana *p.* 5. *citata tract.* 8. *resol.* 15.

Colligitur primò. Diuites habentes superflua teneri subministrare vestes congruas, illis, qui alias non possunt honestè degere inter suos; & coguntur reclusi manere in suis domibus; quia hæc censetur magna miseria. Itèm teneri aliquid contribuere ad redimendos captiuos; ad sepeliendum corpora defunctorum; quæ aliàs insepulta manerent, quià in his casibus apparet grauis necessitas, DD. citati.

Colligitur secundò a fortiori teneri præfatos diuites subuenire puellis, quæ præ inopia versantur in periculo amittendi pudicitiam, quia hæc censetur plusquàm grauis necessitas in detrimentum honoris, & animæ; tenentur autèm omnes pro rata suarum facultatum contribuere; & in defectum aliorum, quilibet tenetur insolidum iuxtà superiùs dicta *dub.* 3. *coroll.* 3.

Colligitur tertiò: Aduocatos teneri gratis patrocinari causas pauperis, cui nemo alius patrocinium est præstiturus, si putetur inops ille, iniustè spoliandus bonis suis, vel damnandus ad triremes, &c. nisi defendatur, Layman *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 6. *num.* 5. & alij DD. suprà citati.

DVBITATIO V.

De obligatione faciendi eleemosynam in casu frequentissimo communis pauperum necessitatis.

PRrima sententia, vel nullam agnoscit obligationem dandi eleemosynam in hoc casu, vel saltèm non grauem, & sub peccato mortali, sed solùm sub veniali.

Probatur primò. Quandò quis prudentèr existimat proximi necessitatem depellendam ab alijs, cessat in eo obligatio succurrendi eidem necessitati; quià cessat finis præcepti: sed in casu communis necessitatis, quilibet prudentèr existimare potest non defuturos, qui opem ferant ostiatim mendicantibus: quamuis ipse nihil largiatur, &c.

Probatur secundò. Posita obligatione eleemosynæ in hoc casu satisfit, illi dando aliquid modicum aliquibus, quamuis non omnibus ostiatim mendicantibus; ergò eadem obligatio non est grauis, sed leuis; cum feratur in rem leuem.

Probatur tertiò. Quià si id, quod superest congruæ

gruæ diuitum sustentationi, & status conseruationi, debetur pauperibus; ergò non possent diuites, ex superfluo liberè donare amicis, vel consanguineis non indigentibus: consequens est falsum, & contra communem sensum, ergò, &c. Couarruuias, Vasquez, & alij apud Dianam *p.2.tract.15. res.32.*

Secunda sententia probabilior, & consulenda docet esse obligationem grauem faciendi eleemosynam in dicto casu.

Probatur primò, obligatio expendi superfluum in pauperes, respicit quamcunque miseriam, & pauperum necessitatem, quia absolutè, & indefinitè præcepit Christus *Lucæ 11. quod superest, date pauperibus*. Item est obligatio charitatis, & misericordiæ, quæ grauis est ex genere suo; ergò etiam in communi pauperum necessitate, tenentur diuites sub mortali facere eleemosynam.

Confirmatur ex verbis Iacobi Apost. *in sua cant. cap.5. diuitiæ vestræ putrefactæ sunt; aurum, & argentum eruginauit, thesaurizatis vobis iram in die iræ*; quæ verba manifestè indicant culpam grauem omittentium dare eleemosynam pauperibus communitèr indigentibus.

Probatur secundò, quia si nemo in particulari teneretur prædictæ necessitati succurrere, ergò possent omnes, & singuli diuites absque peccato eleemosynam omittere, & sic pauperibus deesset necessarium subsidium, quod est grauissimum absurdum; & ideò hanc sententiam defendunt D. Thomas, Caetanus, Bannes, Nauart. & alij plures, quos affert Diana *resol.32. citata*.

Ad argumentum primæ sententiæ. Respondetur ad primum, maiorem esse veram, quandò omninò certè constare potest de ope ab alijs ferenda pauperibus; hoc autèm constare non potest, nisi ex obligatione, qua singuli diuites aliquid pro rata conferre tenentur ad succurrendum pauperum necessitatibus, quarè nemo excusari potest prætextu aliorum.

Ad secundum respondetur, obligationem hanc esse grauem quia respicit materiam notabilem, quamuis non simul, sed paulatim, & successiuè pluribus elargiendam, vt dicemus in secundo corollario.

Ad tertium respondetur. Singulos diuites non teneri totum superfluum impendere in eleemosynas, sed partem arbitrio prudentis, quandò non vrgent maiores necessitates supra communes; quarè negatur sequela maioris.

Colligitur primò. Si abundans diuitijs omnes a se mendicos repellat, & sit prorsùs immisericors; conuincitur esse in malo statu, & reus sententiæ finalis contra reprobos, esuriui, & non dedistis mihi manducare, &c. Item, quia non potest esse Dei seruus, nec inter electos, qui est seruus diuitiarum, iuxta verbum Christi Matth. 6. non potestis Deo seruire, & mammonæ. Ita cum alijs Layman *lib.2. tract.3. cap.6. num.5.* vide etiam Dian. *p.4. tract.8. resol.17.*

Colligitur secundò, quamuis habens superflua venialitèr solùm peccet, si vni, vel alteri petenti absque rationabili causa eleemosynam neget; Nihilominùs, qui leuem eleemosynam sepiùs, & frequentèr dare omittit, tandèm peccat mortalitèr, quando videlicet leues illæ omissiones constituunt materiam notabilem, & grauem pauperibus debitam ex charitate. Declaratur à simili in eo, qui a pluribus quid modicum furatur, qui deueniens tandèm ad quantitatem notabilem, mortalitèr peccat; cum hoc tamen discrimine, quod hic tenetur ad restitutionem, quia furtum est contrà iustitiam; omittens autèm eleemosynas, solùm peccat contra charitatem absque onere restituendi, ità alijs citatis Bonacina *in decalogum disp. 3. qu. 4. punct.6. num.13.*

Colligitur tertiò, optimum fore consilium, vt diuites pro quiete suæ conscientiæ determinent aliquam certam summam pecuniæ, vel panis, &c. distribuendam in pauperes singulis hebdomadis, vel mensibus ex consilio confessarij, vel viri prudentis; vt præcepto eleemosynæ satisfaciant, quod si plus deindè erogare voluerint ex liberalitate, sciant eleemosynam esse Deo acceptissimam, & copiosissimos fructus in fauorem animæ germinare.

DVBITATIO VI.

An personæ, quæ sui iuris non sunt, possint quandoque, vel teneantur facere eleemosynam, e.g. vxores, filij familias, Religiosi, &c.

Ratio dubitandi est, quia non potest fieri eleemosyna de bonis alienis, vel quorum administratio, ad alium pertinet, quia non sunt facienda mala; vt veniant bona, vt patet *ex cap. quod Deo 33. q. 5.* Prædictæ autèm personæ, quæ sui iuris non sunt, carent proprijs bonis, vel saltem eorum administratione, ergò, &c.

Respondeo, & dico primò. Vxores possunt eleemosynas facere in sequentibus casibus. Primò, si habeant bona pharaphernalia; vel quæ illis obueniunt per hæreditatem constante matrimonio, vel per donationem; quia prædictorum bonorum habent plenum dominium, & liberam administrationem independenter a viris.

Secundò. Quandò vxori assignatur a viro certa pecuniæ summa pro victu, & vestitu, &c. tunc enim de eo, quod superest, vel sibi subtrahit, potest dare pauperibus, & ad libitum expendere.

Tertiò, si propria arte, vel industria aliquid lucretur, post quam sati fecerit necessitatibus familiæ; quia id etiam relinquitur libere, eius dispositioni.

Quarto de bonis viri potest facere eleemosynas etiam eo inscio, vel inuito ad vitandum damnum temporale, vel spirituale eiusdem viri, de quibus videri potest Diana *p.5. tract.8. resol.34.*

Tandem addunt alij posse vxorem expendere de bonis viri absque eius consensu, vel in eleemosynas, vel in alia opera, moderatam quantitatem iuxtà

iuxtà conditionem, & dignitatem cuiusque; quià est socia, & non serua; & videtur rationi consentaneum, vt aliquid relinquatur eius liberæ dispositioni, e.g. vigesima pars redditiuum mariti; de qua re videri potest Diana *p.2.tract.15.res.33.*

An autèm in prædictis casibus non solùm possit vxor facere eleemosynam, sed etiam ex præcepto obligentur? Dicendum est ex bonis viri, vel quorum administratio spectat ad virum non teneri nisi in casu extremæ necessitatis; in alijs verò casibus tenetur ad instar aliorum diuitum habentium superflua.

Dico secundo. Filius familias potest facere eleemosynas de suis bonis castrensibus; quià horum ipse est dominus, & administrator. Secus de alijs bonis paternis, vel quorum administratio pertinet ad patrem, nisi ex tacito consensu pàtris, vt fusiùs explicat Diana *p.5.tract.8.resol.25.*

Quoad Religiosos videri potest idem Diana *ibid.resolut.32. & 33.*

DVBITATIO VII.

De ordine seruando in erogandis eleemosynis.

RESpondeo, & dico primò. Quandò plures sunt pauperes, seù miserabiles personæ; nec potest omnibus subueniri, præferri debet ille, qui magis indiget, & in maiori necessitate est constitutus; & huic primo loco succurrendum; e.g. priùs succurrendum laboranti extrema necessitate, quam alijs, minori periculo expositis; deindè, si quid superest, succurrendum est patienti grauem necessitatem; tandèm communibus aliorum indigentijs. Ratio est manifesta, tum quià maius bonum præferendum est minori: is autem, qui extrema necessitate est pressus patitur periculum vitæ, quæ est maius bonum honore, & decentia status, ergò, &c. Tum quia cum obiectum misericordiæ, sit alterius miseria subleuanda; vbi maior est miseria, magis vrget motiuum misericordiæ, & ideò ordo charitatis postulat, vt priùs succurratur maiori miseria oppresso. Ità D.Thom. *2.2.q.26.art.9.& sequentibus*, & ibi expositores, vide etiam Bonacinam in *decal.disp.3.q.4 punct.6.num.28.*

Dico secundò, in pari necessitate præferri debent magis coniuncti, atque adeò consanguineis priùs succurrendum est, quam affinibus, & inter consanguineos præferri debet alijs omnibus pater ob maximam coniunctionem; quià filius ex vi generationis est pars quædam patris, & veluti idem cum patre; qui etiam cum magis concurrat ad generationem, quam mater, subindè matri præfertur. Hinc etiàm sequitur in extrema necessitate subueniendum esse potiùs patri, quàm proprijs filijs; quià respectu patris vrget debitum gratitudinis. Sequitur etiam parentes præferendos esse vxori; quia a parentibus maius bonum accipimus, videlicet ipsum esse. Post parentes succurrendum est, vxori, quæ præferenda videtur filijs; quià maritus, & vxor sunt vnicum principium filiorum: principium autèm præfertur principiato. Deindè succurrendum est filijs, postea fratribus, & sic deinceps, seruatis consanguinitatis, & affinitatis gradibus. Ità D.Thomas sup.cit. quem sequuntur alij communitèr.

Dico tertiò. Quoad extraneos primò debet præferri sanctior, seù melior, præferri, inquam, debet alijs inferioris virtutis; quià cum eleemosyna fiat propter Deum, meritò præfertur, qui ratione sanctitatis, & virtutis est magis Deo coniunctus, magisque charus. Hac etiam ratione præferri debet fidelis infideli, &c. Secundò, ratione boni communis præferri debent, qui sunt vtiliores Reipublicæ minùs vtilibus. Tandèm quaties inter plures, aliqui sunt magis dilectione digni, & maioris meriti, hi debent alijs præferri, ità citati DD.

Dico quartò. Si tuus creditor sit in extrema necessitate, & simul etiam tuus pater, vel consanguineus in primo gradu; ita distinguendum est. Si apud te est res aliena in specie, qua possit occurri necessitati prædictæ, tunc præferri debet creditor, quià possessio iniusta debitoris suffragari ei non debet. Si verò non sit iniustus possessor rei alienæ in specie, sed debitor alio titulo; tunc dilata restitutione poteris subuenire proximè coniunctis; quià in illis angustijs præualet obligatio pietatis, quamuis alij alitèr sentiant, de qua controuersia poterit videri Diana *p 5.tract.8.resol.18.*

SECTIO XIV.

De Benedictione nouæ Crucis.

PRÆLVDIVM I.

De origine, & causis huius benedictionis.

REspondeo, & dico primò. Benedictio Crucis (vt apud Christianos notissimum est) originem ducit à Christo Redemptore Cruci affixo propter mundi salutem: ex tunc enim Crux, quæ hactenùs fuerat opprobrij, & maledictionis instrumentum, statim ac Christi sanguine fuit consecrata, & decorata, facta est instrumentum salutis, & gratiarum, & fons omnium benedictionum, sicuti eam appellat D. Leo *serm.8.de Passione*. Hinc omnis benedictio signo Crucis perficitur, nec vlla res sanctificatur, nisi adhibito Crucis signo, ità vt etiam Sacramenta ipsa, quæ sunt gratiarum fontes non sine Cruce peragantur, vt loquitur D. August. *tract. 119. in Io.* & notatur in *cap. nunquid dist. 5. de consecrat.* Quamuis autèm illa sola Crux, in qua Christus personalitèr

pependit, fuerit singulariter benedicta, & eiusdem sanguine consecrata, nec indigeat vlteriori benedictione. Nihilominus etiam cæteræ Cruces, quatenùs assumuntur, vt effigies, & imagines primæ illius Crucis a Christo sanctificatæ, & ipsius Christi Crucifixi res sacræ censentur, & adoratione dignæ. Quia tamen conficiuntur ex materia aliàs prophana, & communi: peculiari benedictione ab Ecclesia consecrantur, vt magis determinatè repræsentent veram, & primariam Redemptoris Crucem, & a fidelibus maiori deuotione adorentur.

Dico secundò. Materia, seù subiectum huius benedictionis est quælibet Crux, ex quauis materia decenti confecta, & apta ad repræsentandam Crucem Christi. Formula eiusdem benedictionis habetur in Rituali Romano. Minister est Episcopus, vel simplex Sacerdos de eius licentia, vt infrà in dub. conscientiæ explicabimus. Tandèm causa finalis est repræsentatio mysteriorum crucifixionis Christi, de quibus dicemus in sequenti præludio; & excitatio fidelium ad adorandam, & amplectandam Crucem, exemplo Christi.

PRÆLVDIVM II.

De mysterijs, & documentis eiusdem benedictionis, & Crucis benedictæ.

DE mysterijs, & documentis, quæ continentur in salutifera, & sanctissima Cruce Christi Domini luculenter scripserunt quamplures Auctores, quæ omnia valdè prolixum esset hic recensere; quare solùm breuiter hic adnotabimus ea, quæ ex Sanctis Patribus erudite collegit S. Thomas 3. *p. q. 46. art. 4.* vbi quærens an Christus debuerit pati in Cruce, sapientèr suo more explicat præcipua Crucis mysteria.

Primò ergò Christus Dominus conuenientissimè elegit Crucem in instrumentum præcipuum, & magis insigne suæ passionis, & mortis; vt hoc medio tanquam caput martyrum, suos discipulos, & omnes alios futuros martyres animaret ad tolerantiam quarumuis passionum, & cuiusuis generis supplicij etiam summi opprobrijs, & doloris, quale est supplicium Crucis; atque suo exemplo redderet eos impauidos. Vnde August. in *psal. 63. intendite*, inquit, *parum ergò erat Christum hortari martyres verbo, nisi firmaret exemplo*. Et Cyrillus *lib. 12. in Io. cap. 28.* sic ait. *Hoc singulari Christi facinore ad fortitudinem, qua pati omnia pro pietate velimus, mirum in modum exhortamur: nam qui non accipit Crucem, non est Christo dignus*. Hoc etiam mysticè præsignauit Moyses *Exod. 15.* quandò aquas amarissimas, quas Israelitæ in deserto bibere recusabant; iniecto in eas ligno, quod illi Deus ostendit, potabiles reddidit, & suaues. Eo siquidem ligno Crux Christi figurabatur; cuius consideratione, aquæ tribulationum quantumuis amaræ, redduntur suaues, & calix passionis exemplo Christi auidè sumitur a martyribus.

Secundò voluit Christus per Crucem genus humanum redimere: vt satisfactio esset magis conueniens, & proportionata culpæ; & eisdem armis diabolum vinceret, quibus ipse hominem læserat, videlicèt, vt sicut homines per lignum serui effecti fuerant, videlicèt, extensione manuum super arborem vetitam, ita per lignum ad libertatem redirent; ex eo, quod Christus pro eis manus suas extendit super Crucem: item, vt sua ipsa arte, dæmonem falleret, vicendo per lignum, qui in ligno vicerat: sicque canit Ecclesia.

Hoc opus nostræ salutis
Ordo depoposcerat
Multiformis proditoris
Ars, vt artem falleret
Et medelam ferret indè
Hostis vnde læserat.

Hinc Damascenus *lib. 4. cap. 12. Quoniam*, inquit, *morti per lignum a itus patuerat; consentaneum erat, vt per lignum quoque vita, & resurrectio donaretur*.

Tertiò, super Crucem ascendit Christus, vt sic nobis ascensum pararet ad Cœlum per Crucem, tanquam per scalam firmissimam, & tutissimam. Hinc D. Chrisostomus, relatus a D. Thoma vbi supra, quotquot præordinati sunt ad gloriam; *virtute* Crucis eleuantur in Cœlum. Consonat D. Hieronymus *in cap. 11. Marci*, asserens similitudinem auium, quæ, vt volent ad æthera, necesse est, vt alas expandant; & sic formam Crucis assumant; sic electi nonnisi virtute Crucis ad Cœlum volant.

Quartò, super Crucem ascendit Christus, tanquam super cathedram veræ sapientiæ, & christianæ perfectionis; vnde D. August. *tract. 9. tom. 119. in Io.* sic ait: *Lignum, in quo fixa erant membra patientis; cathedra fuit magistri docentis*, vt fusius explicat D. Thomas loc. cit.

Tandem alia innumera Crucis mysteria sub varijs metaphoris, & figuris explicant SS. PP. D. Leo *serm. 8. de Passione* Crucem appellat. Sceptrum regale Christi. *Cum Dominus*, inquit, *lignum portaret crucis, quod in sceptrum sibi converteret potestatis; pulchra specie triumphi sui portabat trophæum*. Euthymius *in Io.* asserit *crucem fuisse lanceam, quam in humeris suis, tulit Christus; tanquam strenuus miles, qua deiecturus erat aduersarium*. S. Martialis *epist. ad Burpegaleos, Crucem ait esse armaturam fidelium*. Crux etiam appellatur ab Ecclesia vexillum Christi, lignum vitæ in medio Paradisi, virga regia, & similibus tituli decoratur, quos breuitatis causa omittimus.

PRÆ-

PRÆLVDIVM III.

De virtute, & effectibus Crucis benedictæ, & omnis signi, seù figuræ Sanctissimæ Crucis.

RESpondeo. Quod ficut ſanctiſſima, & admirabilis Crux Redemptoris, vt ſuprà dicebamus cum D.Leone, eſt omnium fons benedictionum, omnium cauſa gratiarum, ità effigies, vel ſignum eiuſdem Crucis, quo Deo repreſentamus paſſionem, & merita Chriſti Crucifixi, eſt nobis ſalutare, & vberrimos operatur effectus in ſalutem animæ, & corporis.

Primò. Vſus ſigni crucis, eſt quædam Chriſtianæ Fidei profeſſio, quo proteſtamur nos militare ſub Chriſti vexillo; ſicuti reſtatur D.Auguſtinus *in pſalmum* 141. vndè in orationibus benedictionis Crucis primo loco ponitur ab Eccleſia hic effectus ſit ſoliditas Fidei.Siquidèm ſignum Crucis, eo modo, quo communitèr eo vtuntur fideles, continet compendioſam profeſſionem præcipuorum Fidei myſteriorum; videlicèt Sanctiſſimę Trinitatis, quam confitemur illis verbis in nomine Patris, &c. & Incarnationis, paſſionis, & mortis filij Dei propter noſtram Redemptionem, ipſo geſtu, quo ſuper nos Crucis ſignum formamus; ſiquidèm manus demiſſione à capite ad imum pectoris ſignificamus Verbum diuinum à Patre Supremo deſcendiſſe in vterum Virginis, & hominem factum. Deindè eumanum protendimus à brachio ſiniſtro ad dexteram; ſignificamus nos, per Crucem Chriſti translatos eſſe à ſiniſtris ad dexteram, videlicèt à peccato ad gratiam, à damnatione ad gloriam; & tunc exprimitur perſona Spiritus Sancti; quià totum hoc negotium Incarnationis, & Redemptionis tribuitur operationi Spiritus Sancti, quatenus fuit opus amoris, vide Leſſium *lib.2. de iuſtitia cap.44. dub.5. num.33.*

Secundo, ſignum Crucis, magnam vim habet fugandi dæmones, qui ad illius præſentiam contremiſcunt, quo debellati fuerunt, ſicuti docent communitèr Sancti Patres apud Suarez *tom.1. in 3. p.diſp.56.ſect.3.* & apud Layman *lib.5 tract.9.cap.13.* & de hoc effectu dicitur in formula benedictionis crucis, ſit protectio, & tutela contrà ſæua iacula inimicorum.

Tertiò, mediante ſigno Crucis efficaciùs impetramus à Deo gratias, quas in oratione petimus; in cuius figura in Moyſis oratio, tunc à Deo, populi victoriam impetrabat; quandò in Crucis figuram manus ad Cœlum leuabat, Suarez vbi ſup. & hic effectus exprimitur in prędicta formula benedictionis, his verbis, vt orantes antè iſtam crucem inueniant corporis, & animæ ſanitatem.

Tandèm vſus ſigni crucis eſt grati animi ſignificatio: & profitetur, qui hoc ſigno vtitur, ſe in cruce Chriſti gloriari; ſpem ſuam eſſe repoſitam in paſſione, & morte Redemptoris: atq; adeò eodem ſigno incitamur ad charitatem, & promouemur ad exercitium bonorum operum, Suarez loco cit. qui etiam effectus in formula benedictionis exprimitur illis verbis, ſit profectus bonorum operum.

DOCTRINA MORALIS,

Et dubia conſcientiæ de eadem benedictione, & de ſigno Crucis.

DVBITATIO I.

De Miniſtro huius benedictionis. An Cruces, & imagines Sanctorum, poſſint benedici à ſimplici Sacerdote.

RAtio dubitandi eſt, quià crucis, & imaginum benedictio ponitur *in Rituali Romano* ſub hoc titulo videlicèt, *benedictiones ab Epiſcopis faciendæ*; vel alijs facultatem habentibus, (idest, vel à Sede Apoſtolica, vel ex delegatione eorundem Epiſcoporum) ergò benedictio crucis, & imaginum non poteſt fieri à ſimplici Sacerdote, ſaltèm abſque ſpeciali Epiſcopi licentia; quarè videtur eadem ratio de hac benedictione crucis, ac de benedictione Sacerdotalium indumentorum, & rerum ſimilium, pertinentium ad ornamentum Altaris, & vſum Sacrificij, quarum benedictio ponitur ſub eodem titulo in Rituali, loquimur autèm hic ſimul de benedictione crucis, & imaginum Sanctorum, quià militat in vtraque eadem ratio: & ne in ſequenti ſect. de imaginibus, eadem cogamur repetere.

Reſpondeo, & dico primò. Si cruces, & imagines ſint benedicendæ in vſum publicum alicuius Eccleſiæ, vel Altaris, in hoc caſu benedictio pertinet ad Epiſcopum: nec poteſt fieri à ſimplici Sacerdote, niſi ex delegatione, ſeù ſpeciali licentia ipſius Epiſcopi, modo explicato ſuprà *tit.1.ſect.4. dub.4.* quià hoc ſaltèm conuincit ratio dubitandi ſuprà adducta. Poteſt etiam fieri à Prælatis Regularibus ex priuilegio Summi Pontificis; vt cum alijs probat Lezana *qq.RR. verbo benedictio, nu.12.*

Dico ſecundo, ſi cruces, & imagines ſint benedicendæ in vſum priuatum alicuius perſonæ, vel vt collocentur in priuata alicuius domo; dicendum videtur, eas poſſe benedici à quolibet Sacerdote; ſicut à quolibet Sacerdote poſſunt benedici ipſæ domus priuatæ; quæ benedictio extendi videtur ad omnia, quæ ſunt in domibus; & fauet etiam praxis.

DVBITATIO II.

Vtrum noua Crux indigeat necessariò benedictione, vt possit collocari in Altari, vel ad operandos effectus suprà explicatos prælud. 3.

RESpondeo Negatiue.

Probatur primò non esse necessariam hanc benedictionem, vt possit crux collocari in Altari, etiam tempore sacrificij, quia nullibi præcipitur talis benedictio; sicuti præcipitur benedictio indumentorum sacerdotalium, & aliarum rerum, quæ magis immediatè pertinent ad vsum sacrificij; quamuis enim in rubricis Missalis præscribatur, vt tempore sacrificij omninò sit crux in medio Altaris ob oculos celebrantis, ob rationes aliàs a nobis explicatas; nihilominùs nulla ibidem fit mentio de benedictione; ergò benedictio huiusmodi non est necessaria. Est tamen valdè conueniens, & consulendum, vt priùs benedicatur, quia licet crux formalitèr, seù in esse repræsentatiuo, sit signum sacrum, quatenùs est effigies veræ, seu primariæ crucis Christi, & Christi crucifixi: nihilominùs materialitèr est res prophana, quatenùs componitur ex ligno prophano, vel alia quauis materia prophana, quæ ratione benedictionis acquirit esse sacrum; & sic tota crux est in maiori honore, & veneratione apud fideles.

Probatur secundò, non esse necessariam benedictionem, vt signum crucis, vel crucis effigies operetur effectus suprà explicatos prælud. 3. quia prædicti effectus dependent ex cruce, ratione significationis sacræ, seu repræsentationis primariæ crucis Christi, & Christi crucifixi; quam significationem habet signum crucis independentèr a benedictione. Itèm virtus operandi eos effectus est adnexa cruci ex diuina ordinatione, & non ex sola Ecclesiæ institutione, vt dicemus dub. seq. ergò non pendet absolutè a benedictione. Prodest nihilominùs benedictio hæc, de qua loquimur, quia addita per benedictionem intercessione Ecclesiæ, virtus illa crucis, fit magis efficax, remotis impedimentis, quæ obstare possent, vel quià citiùs, & intentiùs tunc operatur.

DVBITATIO III.

Qualis sit virtus signi Crucis, & quibus modis: Crucis figura, seu effigies operetur effectus suprà explicatos prælud. 3.

RESpondeo, Signum, vel effigies crucis triplici modo vim habet, primò per modum inuocationis, videlicèt Christi crucifixi, & meritorum eius, quibus Deus fit nobis propitius. Secundò, tanquam opus fidei, & professio Religionis Christianæ, de quibus patet ex supradictis in prælud. 3. in primo effectu. Tertiò ex diuina ordinatione propter honorem crucis, & Christi crucifixi.

Probatur, quià etiam in infidelibus vim habet, vt constat de Iuliano apostata *ex historijs ecclesiasticis*; & de quodam Iudeo ex *lib. 3. dialog. S. Gregor. cap. 5.* ita Lessius *lib. 2. de iustitia cap. 44. dub. 1. num. 33.* Suarez *tom. 1. in 3. p. disput. 56. sect. 3. & tom. 3. in 3. p. disp. 15. sect. 4.* Sanchez *sum. lib. 2. cap. 42. num. 16.* & alij, quos citant.

Colligitur primò, efficaciam, & vim signi crucis non fundari in sola deuotione, & merito operantis, aut in sola intercessione Ecclesiæ, (quamuis prædicta non parum iuuent) sed potissimùm in diuina ordinatione, vt dicebamus, propter Christi honorem, & in signum veritatis christianæ Religionis, DD. citati.

Colligitur secundò. Quamuis dici possit, crucem, seù eius signum, & effigiem operari suos effectus ex opere operato; hoc est suprà meritum operantis; non tamen eos operatur infallibilitèr, quia virtus, & efficacia prædicta non fundatur in absoluta Dei promissione, sed in congrua Dei ordinatione; quatenùs est expediens, sæpè autem non est expediens, vel propter culpam operantis, vel ob exercitium patientiæ, &c. Suarez, & Sanchez loc. cit.

Colligitur tertiò; quodlibet signum crucis, & eius effigiem in quacunque materia habere virtutem operandi prædictos effectus; quia vis illa est adnexa significationi, seu repræsentationi crucis, & passionis Christi, quæ semper est eadem independenter ab hac, vel illa materia, Suar. loc. cit.

DVBITATIO IV.

An teneantur fideles ex præcepto, scire se signare signo Crucis.

RESpondeo Affirmatiuè.

Probatur quià hoc signo profitentur fideles Christianam Fidem, & Religionem, quare nesciens se signare, videtur: quodammodo alienus ab eadem Religione. Itèm caret communi inditio, & veluti tessera militum Christi; vndè August. *in psal. 141. vsque adeò* inquit *de cruce non erubesco, vt non occulto loco, sed in fronte eam ponam: insultet ille crucifixo Christo; videam ego in frontibus Regum crucem Christi:* Hinc plures Doctores damnant peccati mortalis nescientes se signare, vt Angelus, Syluester, Armilla, & alij. Meliùs tamen alij excusant a mortali, & solùm in eis agnoscunt culpam venialem, ratione paruitatis materiæ, ita alijs citatis, Sanchez *lib. 2. sum. cap. 3. num. 14.*

DVBI-

DVBITATIO V.

An, & qualitèr obligentur fideles scire, & fide explicita credere mysteria in signo Crucis contenta.

RESpondeo, & dico primò in signo crucis implicitè continentur duo mysteria Fidei, videlicèt Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Filij Dei (vt suprà dicebamus prælud. 3.) quæ, certissimum est, teneri omnes fideles adultos scire, & fide explicita credere, saltèm necessitate præcepti.

Probatur, quià cum sine fide impossibile fit placere Deo, & salutem consequi ad *Hæbreos* 11. illorum saltem articulorum notitia, & Fides explicita, dicenda est necessaria, qui sunt primæ bases, & fundamenta præcipua eiusdem fidei: cuiusmodi sunt duo prædicta mysteria, ità cum D.Thoma 2.2.*qu.*2.*art.*7.& 8.& docent DD.communitèr.

Dixi saltèm necessitate præcepti, quià plures DD.afferunt notitiam, & fidem explicitam eorumdem mysteriorum esse necessariam ad salutem necessitate medij, & consequentèr ea ignorantes esse extrà statum salutis; vt videri potest apud Sanchez *sum.lib.*2.*cap.* 2. Cœterùm id videtur durum; quià multa millia ex rudiori plebe, & vilibus mulierculis, quæ substantiam horum articulorum nunquam apprehendere potuerunt; vel ex naturali incapacitate; vel ex defectu ministrorum. a quibus instrui potuerint, omnes inquam prædicti damnarentur absque culpa ex hoc præciso capire; quod videtur graue absurdum. Quarè satis probabile est, notitiam, & fidem explicitam Sanctissimæ Trinitatis, & mysterij Incarnationis esse quidèm valdè necessariam, sed necessitate præcepti, a cuius transgressione plures excusantur ob impotentiam, vt videri potest apud Dianam *par.*3.*tractat.* 5. *resol.*46.& *p.*5.*tract.* 13.*resol.*84. non tamen excusari possunt Parochi, & alij, ad quos pertinet fideles de fide instruere, si negligentes sint in executione talis muneris.

Dico secundò. Mysterium, quod per se, & directè repræsentatur per signum crucis, est crucifixio Redemptoris, & mors eiusdem in cruce, in satisfactionem peccatorum totius humani generis quod etiam certum est, teneri fideles scire sub graui præcepto, & fide explicita credere.

Probatur, tum quià huius articuli notitia, & fides est necessaria ad cognoscendam grauitatem peccatorum, & diuinæ offensæ, & obligationem, quam Christo Redemptori profiteri tenemur. Tum quià hic articulus est vnus ex duodecim contentis in Symbolo Apostolorum; quod omnes tenentur scire, & explicitè credere: siquidèm in hunc finem compositum fuit ab Apostolis, vt omnes promptam haberent breuem summam explicitè credendorum;& ob eandem rationem proponitur ab Ecclesia ab omnibus addiscendum, DD. citati,& alij communitèr *in tract.de fide*.

DVBITATIO VI.

Qualis adoratio debeatur Sanctæ Cruci.

RESpondeo breuitèr, Crucem esse adorandam, adoratione latriæ; & quidèm cruci primariæ, & principali, in qua Christus personalitèr pependit, hæc adoratio debetur, tum ratione contactus corporis Christi, & tanquam veræ eius reliquiæ, tum ratione repræsentationis Christi in ea affixi; siquidèm, & reliquijs, & imaginibus debetur adoratio eiusdem generis, ac debetur prototypo.

Cæteræ verò cruces, quæ sunt signa, vel effigies primariæ crucis Christi, adorari debent cultu latriæ, non ratione contactus, vt per se patet, sed ratione repræsentationis; vt cum D.Thoma 3.*p.q.*25.*art.*4.docent communitèr DD.& nos etiam diximus in *comment.ad Rubr.Missalis p.*2.*tit.* 4.*sect.*2. *dub.*4.

SECTIO XV.

De Benedictione Imaginum Christi, & Sanctorum.

PRÆLVDIVM I.

De origine, & causis eiusdem benedictionis, & Sacrarum Imaginum.

RESpondeo, & dico primò. Vsus religiosus sacrarum imaginum originem ducit ab ipso Christo, sicuti constat ex traditione vniuersalis Ecclesiæ, & doctrinis Sanctorum Patrum, & decretis Conciliorum, quæ mox afferemus, eadem etiam videtur ratio de origine benedictionis earundem imaginum. Quamuis enim ritus accidentalis cœremoniarum, & precum, quibus ipsa benedictio perficitur pro diuersitate temporum varius extiterit; nihilominus quoad substantiam, qua ipsæ imagines sacræ censentur, & auctoritate Ecclesiæ destinantur ad repræsentanda mysteria, & gesta Sanctorum; sic inquam hæc benedictio videtur coeua vsui sacrarum imaginum, qui vt dicebamus trahit originem a Christo Domino.

Probatur primò. Quià ipse Christus sui vultus imaginem linteo impressam reliquit; quæ Romæ adhuc seruatur, & ostenditur, & de hac veritate constat ex antiqua traditione.

Secundò, similiter idem Christus Dominus reliquit

reliquit sui corporis delineamenta impressa in sydone, in qua inuolutus iacuit in sepulchro, & Taurini seruari, & demonstrari notum est.

Tertiò, ipse Christus misit effigiem suam Abagaro Regi Edessæ; de qua imagine testantur Damascenus *lib.4.de fide cap.17.* Euagrius, Nicephorus, & alij scriptores ecclesiastici.

Quartò est vulgaris traditio, (cuius D.Thomas meminit *3.p.q.25.art.3.ad 4.* de imaginibus Christi, & Virginis a S.Luca depictis, in quarum venerationem extant amplissima, & atiquissima monumenta, de quibus etiam scribunt Nicephorus *lib.2.hist.cap.43.* & Metaphrastes *in vita S.Luca.*

Quintò, habemus ex antiquis hist. Syluestrum Papam imagines Apostolorum Petri, & Pauli, quas apud se habebat. Costantino Imperatori ostendisse, quibus, ille cognouit eosdem esse, qui sibi in visione apparuerant. Et in edicto eiusdem Constantini, quod 1.tom. Conciliorum habetur, dicitur eusdem Syluestrum, & Costantinum varijs ædificatis templis, in eis multas, imagines posuisse; quos sequentes Pontifices imitati sunt.

Tandem pius, & antiquissimus imaginum vsus colligi potest ex antiquorum PP. scriptis Dionysij, Athanasij, Basilij, & aliorum, quorum testimonia *in 7.synodo act.3.4.&5.* magna ex parte referuntur, vide plura apud Suarez *tom.1.in 3.par. disput.54.sect.1.*

Dico secundo. Materia huius benedictionis sunt imagines Iesu Christi, B. Virginis & aliorum Sanctorum. Formula habetur in Rituali Romano. Minister est Episcopus, vel de eius licentia simplex sacerdos, iuxta superiùs dicta de benedictione crucis. Tandem causa finalis est cultus Christi, & Sanctorum instructio fidelium, iuxta ea, quæ mox explicabimus in sequenti prælud.

PRÆLVDIVM II.

De Mysterijs, & Documentis in Sacris Imaginibus contentis.

PRimò, Ecclesia à Christo edocta introduxit vsū sacrarum imaginum ad instruendam plebem indoctam de mysterijs fidei; deque gestis, & meritis Sanctorum, sic e.g. mysterium Incarnationis exprimitur, & populo repræsentatur imagine Annuntiationis B. Virginis, quæ Angelo nunciante concepit Dei filium. Itèm per imaginem crucifixi, opus nostræ Redemptionis exprimitur, &c. sic etiam exempla, & gloria Sanctorum, depictis eorum imaginibus, fidelibus representantur; cum enim idiotæ, & indocti prædicta non possint ex libris apprehendere, nec etiam tàm facilè à prædicatoribus, verbis transeuntibus; facilè tamen, & firmiùs addiscunt imaginibus, & picturis, sic docet Nissenus *epist.9.* quod *legentibus, inquit, scriptura hoc præstat, idiotis pictura.* Et Chrysost. *hom.33. in Io. Mens, inquit, familiarium rerum imagine concepta magis suscitatur; & in pictura rem ipsam magis amplectitur.*

Secundo, sacræ imagines sunt quedam exemplaria virtutum, quibus incitamur ad exercitium bonorum operum; in ipsis enim imaginibus, veluti in speculis refulgent exempla viuendi ad imitationem Sanctorum, quorum gesta repræsentant; quod insinuat D. Ambrosius, loquens de B. Virgine, dicens. *sit vobis in imagine descripta virginitas, vitaque B.Mariæ; de qua velut in speculo refulget species charitat s, & forma virtutis,* & expressiùs de omnibus Sanctorum imaginibus notauit Damascenus *lib.4.cap.17.* visis enim Sanctorum imaginibus eorum vita, & exempla in memoriam reuocantur, & ad eorum imitationes fideles excitantur.

Tertiò, introductæ fuerunt Sanctorum imagines in honorem, & cultum ipsorum, siquidèm visis sacris imaginibus excitamur ad petenda Sanctorum subsidia, & sic ergà illos signa venerationis, & amoris exhibemus; dum quos diligimus quoad possumus; cupimus habere præsentes, vt dixit Chrysostomus *hom.35.in Matthæum.* De quo cultu S.imaginum videri potest Suarez *tom.1.in 3. p.disp. 54.per totam.*

PRÆLVDIVM III:

De virtute, & effectibus eiusdem benedictionis Imaginum.

REspondeo. Virtute huius benedictionis adorantes sacras imagines consequuntur in præsenti vita gratias præuenientes, quibus excitantur ad imitationem Sanctorum, seu ad actus virtutum; & consequenter merentur gloriam in æterna vita, qui effectus exprimitur in formula benedictionis. Deindè ex sacris imaginibus proueniunt fidelibus omnes vtilitates suprà explicatæ *prælud.* aquatenùs per eas instruuntur de mysterijs, fidei, excitantur ad petenda Sanctorum subsidia, & gratias obtinent per intercessiones, eorum, &c.

DOCTRINA MORALIS,

Et dubia conscientiæ, de imaginibus, & picturis.

DVBITATIO I.

An sit licitum dipingere imaginem puri Spiritus, e.g. Dei, & Sanctissimæ Trinitatis; itèm imagines Angelorum, & virtutum.

RAtio dubitandi est, quia neque Deus, neque Angeli, aut virtutes habent figuram aliquam, cum

cum sint res incorporeæ, & immateriales; ergò non possunt licitè depingi, seu repræsentari quasi figuram aliquam haberent; quià id videtur falsum; vel occasio erroris; vndè sic depingentes Deum reprehenduntur Isaiæ 40.his verbis, cui similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei? Hinc non defuerunt, qui etiam inter Catholicos dixerunt id esse illicitum, vt Durand *in 3.distin.9.q.2.ad 4.* Abulensis, Ayala apud Suarez infra.

Respondeo. Quamuis non possint depingi imagines ad repræsentandum Deum, vel purum spiritum, prut est in se, quasi proprio, & formali expressiuo: sicuti probat ratio dubitandi explicata; Nihilominùs, & licitè, & conuenientèr depinguntur ad repræsentandum Deum, per quandam metaphoram, & proportionem.

Probatur, quià sacræ scripturæ sæpè loquuntur de Deo per metaphoram nomibus rerum sensibilium: eò; quià non possumus in hac vita Deum concipere, nisi per analogiam ad res sensibiles, ergò pari ratione, potest Deus metaphoricè depingi,& repræsentari per figuras sensibiles sub eadem analogia,& idem dicendum de Angelis, & virtutibus.

Confirmatur, quià hac ratione Spiritus Sanctus appparuit sub specie columbæ, *Io.1.* & Pater Æternus sub specie senis, *Danielis 7.* cur ergo sic depingi non possunt? & idem est de Angelis, qui sæpè apparuerunt in corporibus assumptis.

Tandèm veritas nostræ assertionis constat ex vsu Ecclesiæ, & communi sensu Catholicorum de quare plura videri possunt apud Suarez *tom.1.in 3.p.disp.54.sect.2.*

DVBITATIO II:

De veneratione debita sacris imaginibus, & de peccato irreuerentiæ contrà easdem.

Respondeo, & dico primò. Sacræ imagines Christi, & Sanctorum sunt veneratione, & adoratione dignæ, est de fide, ex multis Concilijs, præsertim Nicæno *act.3.* & Tridentino *sess.25.* initio. Ratio assignatur ab eodem Trid. quia honor, qui illis exhibetur, refertur prototypa, & per imagines adoramus ipsos Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, vt fusiùs explicant D. Thomas *3.p.q.25.ar.6.* Bellarmin. *in controuer.tom.1.controuers.7.lib.2.cap.15.& 24.* Suar. *tom.1.in 3.p.dis.54.& seq.* & expositores D.Thom.communitèr.

Dico secundo. Irreuerentia contrà sacras imagines seu earum inhonoratio, & indigna tractatio, est peccatum mortale ex genere suo, sub genere sacrilegij.

Probatur quia sicut honor, qui exhibetur imaginibus Sanctorum refertur ad ipsos Sanctos; ità è contra indigna earum tractatio, & inhonoratio est iniuria in ipsos Sanctos, quod grauem continet deformitatem; ex hoc autèm præciso capite; quatenùs per hoc, fit iniuria ipsis Sanctis, non est sacrilegium, sed peccatum contrà sacram obseruantiam, & duliam; quatenùs verò Sancti considerantur, vt amici Dei; & eius aulici, & consortes gloriæ; talis iniuria redundat in Deum; & ideò est sacrilegium, ità D.Thomas *2.2. q.99.ar.5.* Suarez *de Relig. tom.1. tract.3.lib.3.de sacrileg. cap.6.* Less. *lib.2. cap.45. dub.3.nu.17.* & alij DD.communitèr in tract.de sacrilegio. His positis supersunt nonnullæ difficultates, hic breuitèr examinandæ.

Prima difficultas est, qualis nam adoratio debeatur sacris imaginibus.

Respondeo. Sacras imagines verè, & propriè adorari per se, seu in se; non tamen absolutè, & propter se, sed respectiuè, & in ordine ad Sanctos, quos repræsentant. Adoratio verò est eiusdem generis, quæ debetur prototypis, atque adeò imaginibus Christi, debetur adoratio latriæ, imaginibus B.Virginis adoratio hyperduliæ. Tandem imaginibus Sanctorum adoratio duliæ; sicuti fusiùs probauimus in comment. ad rub.Missalis *p.2.tit.4. sect.2.*

Secunda difficultas, an teneantur fideles sacris imaginibus vti,& eas quandoque ex precepto adorare:

Respondeo per se; & directè non obligari fideles ad hoc, quià nullibi extat tale præceptum, indirectè tamen, & ad vitandum scandalum, quandoque obligari possunt, e.g. si id esset necessarium ad fidei confessionem; vel ne quis malam sui suspitionem præbeat, si nunquàm sacris imaginibus aperiret caput &c. sicuti fusiùs probauimus in *comment. ad rubr. Missalis p.2.tit.4. sect.2. dub.3.*

Tertia difficultas; quandò indigna tractatio, seu inhonoratio sacrarum imaginum censenda sit peccatum mortale, & quando veniale.

Respondeo, si primò id fiat ex contemptu Sanctorum: vel in detestationem talis cultus, qui Sanctis defertur, sicut fit ab hæreticis, certum est esse mortale sacrilegium. Secundò est etiam peccatum mortale, si quid fiat, quod peculiarem repugnantiam habeat cum reuerentia eis debita, & in materia graui, e.g. conculcare sacras imagines, vel eas deturpare, vel indecorè pingere; vel sculpere. Secus si materia leuis sit, & absque contemptu, vel odio in Sanctos fiat, ità Less. *loc.sup.cit.num. 17. & 20.* Addit. Diana *p.4.tract. 7. res.9.* hoc delictum conculcantium; vel conspuentium sacras imagines, sapere hæresim, & pertinere ad inquisitores.

Colligitur quid sit dicendum de illis; qui cartas librorum inutilium, etiam illorum, in quibus agitur de rebus sacris, & in eis aliquæ sacræ imagines sunt depictæ, vel nomine Christi, & Sanctorum scripta, eas, inquam, vendunt tabernarijs ad vsus viles, & fœtidos; & idem est de manuscriptis concionatorum, & similibus, in quibus sunt exarata verba sacræ scripturæ; hoc enim videtur esse contrà reuerentiam prædictis imaginibus, & verbis, & nominibus sacris debitam. Dicendum enim videtur prædictos excusari posse à peccato, quià neque id faciunt ex contemptu rerum sacrarum; neque in hoc apprehendunt aliquid repugnans reuerentiæ eis debitæ. Siquidèm vtuntur illis cartis, & libro-

rum

rum folijs, ratione præcisæ materiæ, ac si nihil omninò esset in eis scriptum, vel pictum; cum enim ampliùs non sint apta, aut destinata ad vsum legentium; nihil in eis apprehenditur, nisi vtilitas materiæ; & sic moraliter censetur perijsse significatio eorum, quæ ibi sunt scripta, vel consequentèr cessat ratio dicta; consequentèr cessat ratio, ob quam imagines, & nomina Sanctorum sunt veneratione digna: quæ est sola significatio, qua referuntur ad Sanctos.

DVBITATIO III.

Quale peccatum sit depingere sacras imagines cum aliqua falsa repræsentatione.

E.G. si in ipsa imagine exprimatur aliquod falsum miraculum, vel apponantur circa eam tabellæ, vel figuræ cereæ, &c. in signum falsi miraculi, aut falsi beneficij ab imagine accepti.

Respondeo id esse graue peccatum. Ratio, quià irrogatur grauis iniuria Christianæ Religioni; & fides Christi veritate euacuatur. Quamuis enim hæc faciens, nihil machinari intendat contra veritatem Fidei, & sinceritatem diuini cultus; sed solùm operetur ex auiditate lucri temporalis, vt frequentior fit concursus afferentium dona imagini, & suæ Ecclesiæ; nihilominus falsitas illa opponitur verò Dei cultui, & sinceritati Christianæ Religionis. Atque ita docent Caetanus sum. verbo superstitio, & ibi Armilla, Nauarr. & alij communitèr, quos affert Sanchez *sum.lib.2. cap.37.num.9.* vbi rectè infert non excusari a mortali prædicantes miracula falsa, aut scriptis mandantes, quià est cultus falsus, & perniciosus, veram miraculorum fidem eneruans.

DVBITATIO IV.

An imago piè defuncti cum fama sanctitatis possit depingi cum radijs, vel diademate absque licentia Sedis Apostolicæ.

FVit aliquorum opinio distinctione vtentium, qui asserebant, primò, si talis imago pingatur cum radijs, vel diademate, non tamen exponenda in publico; sed priuatim domi tenenda, & adoranda; sic licitè id fieri posse, quià sicut licitum est virum illum, qui piè creditur cum Christo regnare, licitum est inquam priuatim adorare, vocare sanctum, & ei priuatas fundere preces; ità paritèr licitum est cum signis gloriæ, eius imaginem priuatim domi habere. Secundò asserebant, & rectè non posse talem imaginem adorandam exponi in templo, vel loco publico, antequam ille piè defunctus declaratus sit Beatus a Sede Apostolica *ex cap.1. & cap.finali de reliquijs, & veneratione Sanctorum,* ita aliqui, quos tacito nomine refert Sanchez *sum.lib.2.cap.43.num.6.*

Respondeo tamen absolutè, & simplicitèr imaginem prædictam depingi non posse cum radijs, vel similibus signis sanctitatis, & gloriæ, nedùm ad vsum publicum, sed nec etiam priuatum, & domesticum.

Probatur, quià ità expresè cauetur, & sub grauibus pœnis in quodam decreto Vrbani VIII. *die 2.Octobris 1625.* & habetur in Bullario *tom.4. num. 37.* & iterùm confirmatum fuit per Breue eiusdem Pontificis dato *die 5. Iulij 1634.* & videri potest Lezana *qq.RR. verbo Sanctorum cultus num.7.*

Colligitur posse depingi alicuius viri piè defuncti imaginem absque radijs, & priuatim venerari, non tamen exponi posse in publico templo adorandam; quamuis possit ibi collocari ad ornatum, separata ab imaginibus Sanctorum: sicut ibidem ponuntur imagines principum, & virorum illustrium. Lezana vbi supra.

DVBITATIO V.

An, & quale peccatum sit sacras imagines depingere nudas, vel aliàs indecorè, easque retinere.

E.G. si pingantur virtutes, sub specie adolescentularum nudarum: vel Sanctorum imagines absque vestium operimento.

Respondeo, & dico primo: Si imagines huiusmodi ità pingantur, vt saltèm partes pudendæ, & obscenæ sint coopertæ, & nullo modo appareant; sic permitti possunt; nec damnandus earum vsus. Ratio, quià sic cessat periculum scandali, & occasio incitandi aspicientes ad inhonesta, ità alijs citatis Diana *p.11.tract.4.resol.32.*

Dico secundò. Si imagines prædictæ ità nudæ appareant, vt etiam partes verendæ sint discopertæ, excusari non possunt a peccato mortali, neque pictores, neque eas retinentes publice expositas. Ratio est, quià mortalitèr sunt occasio scandali, seù ruinæ spiritualis pusillis. Vndè meritò Romæ in sæculo præterito de mandato Summi Pontificis cooperta fuit ære superposito nuda statua iustitiæ erectæ ad ornatum sepulchri Pauli III. in Basilica D. Petri, Doctores apud Dianam supra.

Colligitur primò: Si B. Virgo Dei Genitrix indecorè pingatur ad instar fœminæ mundanæ, committi graue sacrilegium, & tacitam blasphemiam contra reuerentiam, & cultum tantæ Virginis deditum, ita Lessius *lib.2.cap.45.num.17.*

Colligitur secundò non excusari a mortali pingentes, & retinentes imagines prophanas obscenas, quæ prouocare possunt aspicientes ad lasciuiam, e.g. pingentes nudam venerem, vel adonidem, quia sunt occasio grauis scandali, ità cum alijs Diana loco sup.cit.

SECTIO XVI.

De Benedictione Sacrorum Numismatum, seù Medaliarum, Rosariorum, & Calculorum B. Virginis, &c.

PRÆLVDIVM I.

De origine, & causis huius benedictionis.

Respondeo, & dico primò: Benedictio sacrorum numismatum, seù medaliarum fieri solet a Summo Pontifice, occasione indulgentiarum, quas adnectit ipsis medalijs: & frequens esse solet his nostris temporibus. Eius autèm originem, & formam concedendi indulgentias, distributione sacrorum numismatum, aliqui referunt ad Sanctissimum Pontificem Pium V. vt ipse primum ea in hunc finem fudi iusserit; sicuti scribit Antonius Gabunius in *vita eiusdem Pontificis lib.6.* Cæterùm longè probabilius est vsus medaliarum, seù numismatum prædictorum ad lucrãdas indulgentias a Summis Pontificibus concessas, antiquiorem esse Pio V. siquidem, vt notauit eruditissimus Silos in *histor. Clericorum Regularium lib. 10.§.hac excerpsisse*; plerique testantur se vidisse excusa istiusmodi numismata tempore Pauli IV. quare aut Paulo antiquior ea fuit Religio, aut ipsimet Paulo adscribenda.

Deindè quoad Rosaria, quæ in honorem B. V. recitari solent, & simili modo benedici a Romano Pontifice; communitèr, fertur, hunc modum orandi, & recolendi quindecim mysteria, Rosarij dicta, incepisse a Sancto Dominico incliti Ordinis Prædicatorum institutore ex diuina reuelatione eidem Sancto facta: aliqui tamen asserunt vsum recitandi Rosarium iam anteà viguisse a tempore Leonis IV. vt videri potest apud Villegas de *festo Exaltationis S.Crucis sub die 14.Septemb.* Alij ex Beda referunt iàm suo tempore hanc consuetudinem fuisse introductam. Tandem alij vsque ad tempora Apostolorum extendunt; quod magis incertum est. Illud est indubitatum hunc modum orandi, & recitandi Rosarium multis reuelationibus, & miraculis fuisse comprobatum, sicuti constat ex historijs Dominicanis, ex Petro Alano, Alberto, & alijs; ac denique auctoritate multorum Pontificum approbatum, concessis amplissimis indulgentijs piè recitantibus Rosarium, de quibus agit Nauarr. in suis miscellaneis. Imò Pius in quadam Bulla, non dubitauit asserere hoc inuentum fuisse a Spiritu Sancto, de quibus omnibus videri potest Suar. *de Relig. tom.2. lib.3. de orat. vocali cap.9.*

Tandèm quoad calculos virgineos, quos appellamus coronam B. Virginis, dicendum est eos, similem habere originem, & antiquitatem cum Rosario, quamuis non ita authentica de illis habeantur testimonia. Norandum est autèm ex Suarez loc.cit. Quamuis Rosarium, & Corona sint similia in materia, & forma: ea tamen differre ad inuicem: quia integrum Rosarium constat 150. salutationibus angelicis ad imitationem psalterij Dauidici, interpositis inter quindecim denarios salutationum prædictarum, quindecim orationibus dominicis. Corona verò constat 63. vel 73. Aue, & 7. Pater, quæ a pijs viris inuenta creditur in memoriam, & honorem totidem annorum, quos in hac vita Virginem vixisse probabilitèr creditur, & ideò vocata est corona; quia perfectum circulum vitæ Virginis repræsentat.

Dico secundò. Materia huius benedictionis, sunt numismata, seù medaliæ. Itèm Rosaria, & coronæ B.V.& similia, quæ afferuntur Pontifici, vt illis adnectat indulgentias. Formula vero eiusdem benedictionis non consistit in verbis, vel signis determinatis, sed in illis, quibus placet ipsi Pontifici exprimere concessione indulgentiarum, & communitèr adhiberi solet signum Crucis. Minister est idem Pontifex concedens indulgentias. Tandèm causa finalis, est animarum vtilitas, & spiritualis profectus fidelium, quatenùs ex desiderio lucrandi indulgentias excitantur ad opera pia præscripta, & ad feruentiorem cultum Dei, & B.V. præsertim recitatione Rosarij, cuius excellentiam in sequentibus explicabimus.

PRÆLVDIVM II.

De Mysterijs, & Documentis contentis in Medalijs benedictis, Rosarijs, & Coronis B.V.

Primò; Sacra numismata, seù medaliæ benedictæ, ratione imaginum Iesu Christi, B.Virginis, & Sanctorum, quas referunt, repræsentant eadem mysteria, quæ præcedenti sectione explicauimus, agentes de benedictione imaginum. Insuper ob indulgentias, quas habent adnexas sunt veluti monetæ spiritualis thesauri Ecclesiæ. Sicut enim monetis prophanis aureis, & argenteis, legitimè fusis, vtimur ad satisfaciendum debitis pecuniatijs, & sic liberamur ab omni molestia satellitum, & carceris, ita sacris huiusmodi numismatibus vtimur ad satisfaciendum debitis pœnarum, ex peccato contractis, a quibus per indulgentias liberamur, & effugimus carcerem Purgatorij.

Secundò; Rosarium, quod, vt suprà dicebamus, est Spiritus Sancti inuentum, multiplici significatione mystica decoratur. Et in primis, si no-

men ipsum attendas, sic dicitur quasi sertum rosarum, contextum videlicèt ex precibus odoratissimis, quæ sunt veluti flores, & rosæ, agri Ecclesiæ, & sacrarum scripturarum. Dumque in honorem Deiparæ deuotè recitatur; ipsi tanquam Reginæ Virginum spiritualium rosarium sertum humilitèr affertur; siquidèm serta florum propriùs fieri solent ad ornatum Virginum, & earum capitibus imponi.

Deindè si numerum salutationum consideres, compositum fuit Rosarium ad instar Psalterij Dauidici; sicut enim recitatione psalterij, centum quinquaginta psalmis Deum colimus, & laudamus; sic recitatione Rosarij centum quinquaginta Aue B. Virginem Dei Genitricem salutamus, & veneramur. Itèm, sicut Psalterium Dauidicum est veluti compendium scripturarum veteris testamenti, ita Rosarium, quod etiam psalterium appellamus, est compendium mysteriorum noui testamenti, seù recapitulatio totius vitæ Christi, & eius matris Mariæ. Diuiditur autèm in quindecim capita, iuxta numerum psalmorum, qui dicuntur graduales, quia per illa tanquam per tot gradus ad Cœlum ascendimus.

Præterea in singulis Rosarij partibus quinquies dicitur oratio Dominica, vt quinque Christi vulnerum memoria recolatur. Post quamlibet verò orationem Dominicam decem salutationes angelicas recitamus; vt obseruantiam præceptorum Decalogi nobis proponamus. Insupèr totum Rosarium in tres partes principales diuiditur, in honorem Sanctissimæ Trinitatis; in singulis vero partibus quinquagies repetimus salutationem angelicam, vt plenam peccatorum remissionem, quæ quinquagenario numero iubilæi in diuinis scripturis significatur, intercessione B.V. per merita Christi consequamur.

Tandèm circà materiam Rosarij, seù calculos precarios aduerte, vsum eorum inductum fuisse, nè in salutationum numero aberremus, exemplo antiquorum Anachoretarum, qui similes salutationes, congerie lapillorum numerasse traduntur; quod etiam Sanctam Virginem Claram consueuisse, auctores vitæ huius testantur.

Tertiò, corona, quæ similitèr in honorem B. Virginis recitatur, & constat 63. vel 73. Aue (iuxtà varias opinione) vt suprà dicebamus, perfectum vitæ cursum, seù circulum eiusdem B.V. repræsentat totidem annorum numero absolutum. Septem verò Pater inter Aue distributa, denotant septem dona Spiritus Sancti, quibus fuit affluentèr dotata eadem Virgo sponsa eiusdem Spiritus Sancti. Plura videri possunt apud Nauarr. *miscell.* 1.2.3.& 19.

PRÆLVDIVM III.

De virtute eiusdem benedictionis, & de fructibus, quos lucrantur, recitantes Rosarium, & Coronam B. Virginis.

RESpondeo, & dico primò. Virtute huius benedictionis, quà fit concessio indulgentiarum habentibus medalias, Rosaria, vel coronas, &c. eos, qui implent opera præscripta in formula indulgentiarum, satisfacere pro pœnis suorum peccatorum, vel plenariè, si indulgentia, quam lucrantur sit plenaria; vel partialitèr, si indulgentia non sit plenaria, sed partialis; & consequentèr liberari a pœnis Purgatorij, vel in totum, vel ex parte, vt tradunt communitèr DD. in tract. de indulgentijs in communi.

Dico secundò. Recitantes deuotè Rosarium, vel coronam B.V. præter indulgentias prædictas, lucrantur vberrimos fructus spirituales in salutem suarum animarum; videlicèt.

Primò ditantur incrementis virtutum, præsertim Religionis, & cultus Deiparæ Virginis: & sinceræ dilectionis, qua ipsam Virginem nostri amantissimam, vicissim quantum possumus amore prosequimur. Siquidem in prima parte Rosarij, ipsi Virgini Deiparæ gaudenti congaudemus; in secunda parte, dolenti compatimur, & in tertia, gloriosæ congratulamur.

Secundo frequentantes hanc deuotionem Rosarij, & afferentes B. Virgini salutationes ei gratissimas, vere confugiunt sub præsidium eiusdem Dei Genitricis, & vicissim ab ea suscipiuntur sub suo patrocinio, & tutela, & a cunctis periculis liberantur; sicuti constat ex miraculis, & exemplis apud Auctores prælud. 1. allegatos.

Tertiò. Recitantes Rosarium, & offerentes B. Virgini mysticum rosarum sertum; merentur vicissim ab ea coronari prætiosis gratiæ donis in terris, & æterna gloria in Cœlis. Quæ etiam data proportione applicari possunt recitantibus coronam eiusdem B. Virginis in honorem felicissimi cursus sanctissimæ vitæ ipsius Dei Genitricis.

DOCTRINA MORALIS,

Et dubia conscientiæ de Medalijs, Rosarijs, Coronis, &c.

DVBITATIO I.

Vtrum ad lucrandas indulgentias prædictis rebus adnexas; opus sit eas secum deferre.

RESpondeo Affirmatiuè, videlicèt, opus esse, vt lucraturus indulgentiam, eas secum habeat, quandò exequitur opus iniunctum; nec satis esse coronam, vel Rosarium domi seruare, vel alibi repositum habere.

Probatur, quia sic colligitur ex verbis, quibus communitèr exprimuntur indulgentiæ prædictis rebus adnexæ, videlicèt, vt eas lucrari possint gestantes, vel secum habentes medalias, coronas, rosarium &c. Itaque sunt symbolum personale pro eis, qui ea gestant, vt cum Marchantio, & alijs docet Diana *p.10.tract.15.resol.1.*

Satis tamen probabile videtur, quod medalias, in quibus communitèr sunt impressæ imagines Christi, & Sanctorum; posse etiam quemlibet lucrari earum indulgentias, orando ante ipsas; & sic exequendo opus iniunctum coràm ipsis, e.g. in cubiculo, vbi eas expositas, seù appensas habet. Ratio est quià, quandò conceduntur indulgentiæ pro imaginibus, tenor, & formula concessionis sic sonat, vt orantes coram eis lucrentur talem, vel talem indulgentiam; nec opus est eas super se habere: cum ergò medaliæ, in quibus impressæ sunt imagines Sanctorum, veram habeant rationem imaginis; idem asserendum est de illis, ac de imaginibus.

Aduertendum tamen, quandò conceduntur indulgentiæ huiusmodi, priuatis personis lucrandæ, coràm imaginibus, quas Pontifici præsentant, eas non posse exponi in loco publico, vt possint etiam alij indulgentias obtinere; quia id solet expresse prohiberi in formula earundem indulgentiarum, secus est, quandò a Pontifice conceditur indulgentia in fauorem alicuius Ecclesiæ, vel Altaris alicuius templi publici; tunc enim omnes confluentes lucrantur indulgentiam, ità Diana vbi supr. *resol. 2. citata.*

DVBITATIO II.

De subrogatione alterius medaliæ in locum deperditæ.

SOlent Pontifices, quandò concedunt istiusmodi indulgentias eis, qui habuerint aliquam ex medalijs, vel coronis benedictis, &c. solent inquam dare etiam illis facultatem, vt si perdiderint medaliam illam principalem immediatè a Pontifice benedictam, possint pro vna vice alteram subrogare in locum deperditæ. Quæritur modo, an si facta subrogatione inueniatur prima illa medalia deperdita; an inquam indulgentia remaneat affixa huic priori, quæ fuerat amissa, vel potiùs posteriori, quæ fuerat subrogata?

Respondeo. Probabiliùs esse indulgentiam manere affixam secundæ medaliæ in locum prioris subrogatæ: quia facta subrogatione, & impleta conditione a Pontifice exigita, cessauit indulgentia prioris medaliæ. Tutiùs tamen erit vtramque retinere; cum non sit omninò certum, cui potiùs sit affixa indulgentia, ita cum Cardinali de Lugo docet Diana *p.6.tract.3.resolut.33.* vbi etiam notat posse fieri subrogationem per actum merè internum. Quod si S.Pontifex non concesserit eam facultatem, non est locus subrogationi.

DVBITATIO III.

Qualitèr applicari, & adnecti debeant medalijs, &c. indulgentiæ illæ, quæ à Pontifice conceduntur in abstracto.

QVandòque petens indulgentias a Pontifice, non defert secum medalias, vel coronas, quibus sunt affigendæ, seù applicandæ, sed supplicat, vt dignetur Pontifex concedere indulgentias pro tot medalijs, e.g. quingentis, vel mille, ab ipsomet petente, postea determinatè applicandis medalijs, quibus voluerit, in quo casu nonnullæ occurrunt difficultates hic breuitèr examinandæ; posito, quod S.Pontifex annuat.

Prima difficultas est, an applicatio indulgentiarum, seu intentionum, vt vocant, debeat necessariò fieri, & affigi talibus medalijs, in particulari ab eo, cui immediatè facta est concessio a Pontifice, vel possit hic transferre in alium indulgentias in abstracto, vt hic secundus eas applicet medalijs, quibus voluerit.

Respondeo. Nonnullos sentire applicationem prædictam non posse validè fieri, nisi ab eo, cui immediatè facta est concessio a Pontifice; & nonnisi proprijs medalijs, quarum ipse est dominus; consequentèr non posse ab eo transferri in alium indulgentias in abstracto; Fundamentum est, quià sic fertur declaratum fuisse a quodam Pontifice. Et

quidèm si vera est talis declaratio, necessariò ità tenendum est; saltèm de illis indulgentijs, quas idem Pontifex concessit.

Cæterùm seclusa tali declaratione, aut voluntate Pontificis concedentis indulgentias in abstracto; Dicendum est eas posse sic in alium transferri. Ratio est, quià is, cui facta est immediatè ea concessio, censetur a Pontifice delegatus ad id muneris, applicandi indulgentias medalijs, quibus voluerit; delegatus autèm a supremo principe, potest alteri idem munus subdelegare, ex cap. finali de officio iudicis delegati. Cœterùm hic secundus non poterit vlterius subdelegare applicationem prædictam ex regula generali, quià delegatus communitèr non potest subdelegare. Ità cum Pasqualigo tenet Diana *part. 10. tract. 16. resol. 2.* quamuis alij apud eundem Dianam oppositum sentiant.

Secunda difficultas. An applicans indulgentias, sic in abstracto, concessas, debeat habere præsentes medalias, coronas, &c. quibus ea applicat.

Respondeo affirmatiuè; quatè applicatio facta medalijs absentibus est inualida. Ratio est, quià facultas concedendi indulgentias strictè interpretati debet; vt docent communitèr DD. *in tract. de indulgentijs*; ergò a fortiori hæc facultas applicandi talibus medalijs determinatè adeo strictè interpretari debet; vt nonnisi medalijs præsentibus, quas applicans coràm se habet, possit fieri applicatio; sicuti ex declaratione Vrbani VIII. notauit Lezana *qq. RR. verbo indulgentia num. 19.*

Tertia difficultas. An indulgentia semel applicata huic medaliæ, possit deindè ab ea amoueri, & transferri in aliam. Et an vnict eidem medaliæ, vel coronæ, &c. possint applicari plures, & variæ indulgentiæ diuersarum benedictionum.

Respondeo ad primum dubium negatiuè, vt ex communi notat Diana *p. 10. tract. 16. resol. 9.*

Ad secundum dubium respondeo, posse vni medaliæ applicari plures indulgentias diuersarum benedictionum; quià nulla apparet repugnantia, vt cum Quintana docet idem Diana *res. 9. citata.*

Quarta difficultas. An applicatio prædictarum benedictionum possit fieri mortuo Pontifice, qui illas concessit in abstracto.

Respondeo affirmatiuè; quià est gratia facta, quæ non expirat mortuo concedente, & docet cum alijs Diana *p. 10. tract. 16. resol. 2.* quod intelligitur nisi successor reuocauerit.

Quinta difficultas. An indulgentiæ prædictæ possint applicari medalijs, quibus exprimuntur imagines alicuius Beati nondum canonizati.

Respondeo affirmatiuè: Si Beatus fuerit declaratus a Sede Apostolica, quia imago talis Beati potest collocari in Altari, quod maius priuilegium est; hoc autèm intelligendum, nisi Pontifex concedens indulgentias oppositum declarauerit: ità aliqui DD. apud Dianam vbi suprà resol. 8.

DVBITATIO IV.

An possit quis lucrari indulgentiam cum medalia non sua, sed mutuo accepta ab alio.

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quià indulgentia est absolutè, & per se affixa medaliæ; vt quicumque eam habens, seù gestans exequitur opus iniunctum, lucretur indulgentiam, sed mutuò accipiens medaliam, verè eam tenet, vel gestat, dum exequitur opus iniunctum; ergò, &c. Ità cum alijs Diana *p. 10. tract. 16. resol. 50.*

DVBITATIO V.

An fracta medalia benedicta; vel dissoluta corona, perdantur indulgentiæ illis affixæ.

Respondeo, & dico primò. Si medàlia ità frangatur, vt moralitèr mutet formam, tunc deperditur illius benedictio, & indulgentiæ; quæ præsupponunt veram medaliam; hæc autèm non consistit sine tali forma artificiali, vt constat ex dictis *tit. 1. sect. 6. dub. 1.*

Colligitur, si medalia frangatur per medium, deperdi benedictionem, & consequentèr indulgentias, secus si frangatur superior anulus, seù fibula, in qua est foramen. Similitèr, si crux, quæ dicitur Carauaccæ frangatur quoad hastam superiorem transuersam, (debet enim habere duplicem hastam superiorem) tunc amittitur indulgentia, seu benedictio illi affixa; quià non est formalitèr crux Carauaccæ.

Dico secundò. Quoad coronam, vel Rosarium B. V. non deperdi eius benedictionem ex eo solùm, quod fracto filo, segregentur globuli, quia substantia consistit in globulis, ita alijs citatis Diana *p. 10. tract. 16. resol. 9.* Addo etiam si pauci globuli deperdantur, modo maior pars illorum, qui fuerant benedicti, perseueret, posse alios substitui loco illorum, qui perierunt, & adhuc durare benedictionem cum indulgentijs; quià moralitèr est idem Rosarium, siquidèm maior pars trahit ad se minorem; & docet idem Diana *p. 11. tract. 8. res. 10.*

DVBI-

DVBITATIO VI.

An habens diuersas medalias variarum benedictionum, possit eodem opere plures indulgentias lucrare.

EG. Si quis habeat medaliam benedictionis dictæ S. Caroli itèm aliam quinque Sanctorum, & tertiam cum indulgentijs extraordinarijs; quarum singulis concessum sit, vt comunicans tali die lucretur tot annos indulgentiæ, & liberet vnam animam à Purgatorio. Quæritur. An hic tali die communicans lucretur omnes indulgentias, & liberet, tres animas è Purgatorio.

Variant DD. in hoc dubio, & aliqui opinantur vnam tantùm indulgentiam acquiri posse, virtute vnius tantum ex medalijs prædictis, vel similibus, quam designat, qui plures habet, vel virtute omnium, si nullam in particulari designet. Ità Suarez *de indulgentijs tom. 4. in 3. p. disp. 52. sect. 8.* Bonacina *tom. 1. disp. 6. q. 1. punct. 5.*

Alij distinguunt, atque asserunt posse acquiri plures indulgentias, quandò opus non potest repeti eodem die, vt communio; secus si possit repeti, vt e.g. recitatio Rosarij, tunc enim ad lucrandas plures indulgentias, opus erit plurès repetere opus iniunctum.

Respondeo. Nihilominùs esse satis probabile, posse absolutè eodem opere, acquiri plures indulgentias, & plures animas liberari à Purgatorio, vt in exemplo suprà posito. Ratio est, quià vnum priuilegium non aufertur alio. Deinde non est maior ratio, cur indulgentia vnius medaliæ potiùs obtineri possit, quam alterius, ergò vel omnium; quod nos asserimus; vel nullius, quod videtur absurdum, ità alijs citatis Diana *p. 10. tract. 16. resol. 14.*

Colligitur primò, quandò eodem tempore possunt impleri plura opera iniuncta ad lucrandas plures indulgentias; eum, qui simul, & eodem tempore prædicta opera exequimur, verè lucrari plures indulgentias, e.g. si concessa sit indulgentia centum annorum audienti Missam; itèm aliorum centum recitanti Rosarium; in hoc casu recitans Rosarium eo tempore, quo Missam audit, simul lucratur vtramque indulgentiam, quià verè exequitur vtrumque opus exigitum in eum finem, ità Diana, & Bonacina loc. cit. cum alijs; quos citant.

Colligitur secundò. Sacerdotem celebrantem in Altari priuilegiato cum medalia habente indulgentiam, qua communicans possit liberare vnam animam è Purgatorio, eum, liberare duas animas eadem communione; alteram ex vi priuilegij altaris, alteram ex vi medaliæ benedictæ, Diana vbi supra.

DVBITATIO VII.

An ad lucrandas indulgentias medalijs, & Coronis affixas, requiritur intentio expressa eas lucrandi.

Respondeo breuitèr, non requiri necessariò intentionem formalem, & explicitam; sed sufficere virtualem & tacitam; quā præsumitur quilibet habere, dum operatur: videlicèt lucrandi quicquid potest in suum fauorem, & animæ salutem, ità alijs citatis Diana *p. 4. tract. 4. resolut. 24. & p. 5. tract. 12. resol. 6.*

Colligitur, quamuis habens medaliam ignoret tali, vel tali opere, e.g. recitatione coronæ, vel auditione Missæ ex vi medaliæ se posse lucrari indulgentias; nihilominùs eas lucrari, dum verè exequitur opera iniuncta; quia ignorantia illa particularis non tollit intentionem generalem lucrandi quicquid potest in sui fauorem, Diana vbi sup.

DVBITATIO VIII.

De Rosario in particulari.

An obligationi Rosarij absolutè impositæ satisfiat recitatione tertiæ partis eiusdem.

EG. An si concessa sit indulgentia recitanti Rosarium eam lucretur, qui solùm recitat tertiam partem, itèm si confessarius imponat recitationem Rosarij, vel ex voto sit recitandum &c.

Respondeo, & dico primo. Si à Pontifice, vel confessario aut à vouente fiat expressa mentio integri Rosarij; tunc certum est non satisfieri tali obligationi, si solùm recitetur tertia pars Rosarij, quià integrum Rosarium, quod expresse fuit impositum, constat necessariò tribus partibus collectiuè, seu quindecim denarijs salutationum, applicatis quindecim mysterijs, ad quæ recolenda institutum fuit Rosarium, ità DD. infrà citandi.

Dico secundò. Si non fiat expressa mentio integri Rosarij, sed imponitur absolutè Rosarium absque illo addito, integrum; satisfit obligationi, recitatione cuiuslibet tertiæ partis.

Probatur, tum quia tertia pars ex communi vsu loquendi appellatur absolutè recitare Rosarium. Tum quia obligationes, & onera interpretari debent in partem benigniorem, ita Nauarr. *in miscell. de oratione miscell. 19.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 3. cap. 9.* & alij communitèr.

DVBITATIO IX.

An recitantes Rosarium teneantur meditari eius mysteria, vt lucrentur indulgentias, vel satisfaciant obligationi voti, &c.

Respondeo negatiuè; Ratio est, quia attentio ad mysteria non est de substantia orationis vocalis, quæ sola præcipitur, dum imponitur recitandum Rosarium, sed sufficit attentio ad verba salutationum, quæ ore proferuntur; atque hoc sufficit, vt quis lucretur indulgentias, concessas recitantibus Rosarium, vel impleat obligationem voti, vel pœnitentiæ recitandi Rosarium. Consulendum tamen est; vt ad maiorem fructum, recitantes Rosarium, simul etiam contemplentur mysteria singulis denarijs salutationum assignatis; vel vt post singulos denarios paululùm sistant in contemplatione cuiuslibet mysterij, Suarez, & Nauarr.dub.præcedenti citati.

DVBITATIO X.

An indulgentiæ, concessæ recitantibus Rosarium, obtineantur à recitantibus illud ex obligatione voti, vel pœnitentiæ.

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia in Rubrica, seu formula indulgentiarum non exprimitur, vt opus iniunctum debeat esse ex super erogatione, ergò exequens opus iniunctum, ad quod aliàs tenebatur, lucratur indulgentiã. Deinde ex eo, quod recitatur Rosarium ex obligatione voti, &c. non est opus minùs bonum, vel minùs Deo gratum; ergò non est cur ità illud recitans sit peioris conditionis, & excludi debeat à fauore consequendi indulgentias, ità cum alijs Suarez *lib. 3. citato cap. 9.*

DVBITATIO XI.

An Rosarium etiam ex obligatione dicendum possit recitari cum interruptione, & alternatim.

Respondeo, & dico primò, potest licitè recitari cum interruptione, seu interposito nobili temporis interuallo inter singulos salutationum denarios. Ratio est, quia ad integritatem Rosarij, vel tertiæ partis eiusdem sufficit, si integrè recitentur omnes salutationes, ex quibus constat; neque continuatio, quid addit necessariò; pertinens ad eius substantiam.

Confirmatur quia singuli denarij salutationum se habent respectu Rosarij sicut singulæ horæ canonicæ, respectu diuini officij, quod ex illis integratur, sed singulæ horæ officij canonici, possunt dici separatim ad inuicem; ergò, &c. ita Suar. vbi supra.

Colligitur, si quis teneatur dicere totum, seu integrum Rosarium, semel, vel bis in hebdomada; eum satisfacere, dicendo vel tertiam partem singulis diebus, vel duas tertias partes vna die, & die sequenti reliquam tertiam partem, prout ei libuerit, DD. cit.

Dico secundò. Potest etiam Rosarium recitari alternatim, vt patet à pari de officio diuino; & constat ex vsu fidelium, quem omnes commendant, DD. cit.

SECTIO XVII.

De Benedictione Parentum supèr suos filios.

PRÆLVDIVM I.

De origine, & causis benedictionis paternæ super filios.

Respondeo, & dico primò. Aliqui arbitrantur primum auctorem huius benedictionis fuisse Patriarcham Noe, qui prouocatus ignominia, quã à filio suo Cham fuerat, affectus, & è contrà allectus reuerentiã, quam sibi exhibuerant filij morigeri Sem, & Iaphet; in illum maledictionem strinxit; hos benedictione prosecutus est, sicuti legi potest, *Genes. 9.* atque hinc, seu ex tali facto Noe afferunt originem ducere vniuersalem consuetudinem, qua parentes filijs sibi obsequentibus benedicunt, & inobedientibus maledicunt, ita sentit Ioannes Ferdinandus in suo thesauro, & cum eo Gretserus *de benedict. lib. 1. cap. 3.* moti ex eo, quia in sacris literis, non extat de hac re exemplum vetustius.

Cæterum non videtur verisimile hanc facultatem benedicendi filios, quæ ex vi generationis iure naturali competit parentibus, ante tempora Noe non fuisse ab vllo exercitam, & otiosam tot sæculis extitisse. Quare dicendum videtur, hunc morem benedicendi filios cum ipso mundi exordio incepisse, & ab Adam ad posteros demandatum; neque enim omnia à patribus antiquis gesta in sacris literis narrantur. Porro post Noe tempora non desunt in veteri testamento paternæ benedictionis exempla super filios, & nepotes. Nam Isaac sub finem vitæ benedixit filio suo Iacob, *Genes. 17.*

& Iacob

& Iacob similitèr morti vicinus, singulis filijs peculiarem benedictionem impertitus est, *Genes.* 49. qui etiam nepotibus, videlicet filijs Ioseph mysterijs plenam contulit benedictionem, *Genes.* 48. & sic deinceps apud posteros, & apud omnes nationes inualuit consuetudo, vt parentes, præsertim morti vicini, filijs benedicant.

Dico secundò. Materia, seu subiectum huius benedictionis sunt filij, qui sicut primo à Deo, & post Deum à parentibus per generationem acquiruut esse, & vitam, ità primò à Deo, deindè à parentibus cætera bona expectant; & sic eorum benedictione indigent. Causa formalis sunt verba, & signa, quibus ipsa benedictio exprimitur. Et quidèm in lege euangelica à Christianis parentibus, communitèr adhibetur signum crucis; quia per crucem omnia bona Christus nobis promeruit, & ideò crux est instrumentum omnium benedictionum, vt supra dicebamus hoc *t.* 3. *sect.* 14. quod etiã in veteri testamento, mysticè præfignauit Iacob dum suos nepotes benedixit, complicatis brachijs per modum crucis super ipsos *Genes.* 48. quo ritu præsignificauit benedictionem in Christo futuram per crucis mysterium, vt notauit Tertullianus *lib. de baptismo cap.* 8. Verba autem non sunt determinata sub aliqua certa formula, sed ad libitum conferentis proferri possunt, quod si quis velit imitari Patriarcas, & Sanctos; facilè ex locis citatis sacræ scripturæ colligere poterit verborum formam, qua illi vsi fuerunt suis filijs benedicendo. Minister verò huius benedictionis est tàm pater, quam mater eorum, qui benedici debent; magis tamen æstimatur benedictio patris, qui est principalis, & nobiliùs principium generationis. Tandem causa finalis est incolumitas, & profectus filiorum per dona, & gratias, quas parentes a Deo illis precantur.

PRÆLVDIVM II.

De mysterijs, & documentis paternæ benedictionis.

PRimò. Parentes dum suis filijs benedicunt, quos secundum carnem genuerunt; Deum imitantur supremum omnium patrem, & creatorem, qui statim à creatione omnibus suis creaturis benedixit, dicens, *crescite, & multiplicamini, &c. Genes.* 1. & 2. Agnoscant ergò parentes dignitatem suam; & diuini facti consortes muneris, discant nolle apud filios de generi conuersatione vilescere. Discant, & filij se post Deum teneri parentibus honorem, & obedientiam deferre. Siquidem parentes sunt veluti secundarij quidam dij, respectu filiorum, tanquam secundaria principia esse, & vitæ, & educationis, seu bonæ institutionis; vnde representant filijs quodammodo ipsum Deum, qui est primarius, & summus omnium parens. Hic factum est, vt post præcepta primæ tabulæ, quæ ad cultum Dei pertinent; primum præceptum secundæ tabulę sit de honore parentibus exhibendo, Vide D. Thomam 2. 2. *q.* 101. vbi de pietate erga parentes, & Lessium *lib.* 2. *de iust. cap.* 46. *dub.* 6. *num.* 8.

Secundò debent præcipuè parentes suis filijs benedicere, & monita salutis illis dare, cum sunt morti proximi, & ex hac vita, in aliam migrarunt exemplo Christi Domini, qui discessurus ex hoc mundo ad Patrem, benedixit discipulis suis, *Luca* 24. eleuatis inquit manibus benedixit eis, & ferebatur in Cœlum. Tunc enim dicunt vltimum vale filijs suis, & dum ipsa deficiunt, filiorum curam Deo committunt, qui est pater orphanorum. Eodem etiam Christi exemplo moti, non solum parentes carnales, sed etiam parentes spirituales, qui alijs secundum Deum sunt auctores vitæ spiritualis, videlicet insigniores Episcopi, & Religionum institutores, & Patriarchæ, sub extremam horam ante discessum ex hac vita, soliti sunt benedictionem impertiri suis filijs spiritualibus, sicut fecerunt Sancti Benedictus, Dominicus, Franciscus, Laurentius Iustinianus, aliique innumeri, quorum exempla leguntur in historijs ecclesiasticis; & vitis eorundem.

Tertiò, hac consuetudine benedicendi proprios filios à viris Sanctissimis introducta, & spiritus Dei plenis, monentur parentes carnales, se minus esse idoneos, qui prouidere possint eisdem filijs, bonis, quibus indigent in salutem corporum, & animarum; atque adeò opus esse recursu ad Deum, & à Deo precari bonum, & felicem exitum filiorum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit; siquidem benedicere nihil est aliud, quam bona à Deo precari illis; quibus benedicimus, vt suo loco explicauimus.

PRÆLVDIVM III.

De virtute, & effectibus paternæ benedictionis.

REspondeo. Benedictionem paternam magni esse momenti, & efficaciæ; sicuti constat testimonio Spiritus Sancti, Eccles. 3. vbi dicitur benedictio patris, firmat domum filiorum: & manifestant etiam exempla superius adducta ex sacris literis, Nam benedictio, quam contulit Noe Sem, & Iaphet filijs suis; & similitèr aliæ, quas dederunt sequentes Patriarchæ, videlicèt Isaac, & Iacob, & reliqui pariter suis filijs, non iere in cassum: sed singulæ suos effectus sortitæ sunt, quod à fortiori asserendum in lege gratiæ, in qua viget abundantia benedictionis Euangelij Christi, ad *Rom.* 15. certè cum in lege euangelica matrimonium, quod olim erat contractus merè naturalis, & prophanus, eleuatus fuerit a Christo ad sublimitatem Sacramenti; & ideò inter Christianos nuptiæ sint benedictæ; rectè sequitur à Christianis parentibus in benedictione coniunctis, multo melius, & efficacius communicari benedictionem suæ proli, quam ab alijs benedictione carentibus.

Effectus autem, quos operatur paterna benedictio

dio super filios, sunt ipsa bona, quæ parentes à Deo illis præcantur in actu benedictionis, in salutem corporum, & animarum, fauente Deo votis parentum, vt sint in honore apud filios; vndè, & ipse Deus benedicit filijs, qui honorant parentes, ex Apostolo *ad Ephes.6. honora patrem tuum, vt bene sit tibi.*

DOCTRINA MORALIS,

Et dubia conscientiæ de eadem benedictione, & de patria potestate, cui est adnexa auctoritas benedicendi filios.

DVBITATIO I.

Quid sit patria potestas, & quousque extendatur.

PRæmittendum est, vt certum, & lumine naturali notum parentes secundùm carnem præcipuam habere potestatem, & auctoritatem super suos filios, quibus post Deum, sunt essendi, & gubernationis principium; quarè sicut Deus primo loco, & in genere causæ primæ supremam, & absolutam habet potestatem in omnes creaturas, quibus est primum, & excellentissimum omnium rerum principium, tum essendi, tum gubernationis; & ideo omnes creaturas habet sibi subiectas; ità proportionalitèr in suo ordine, videlicèt secundario, seù in genere causarum secundarum, parentes post Deum maximam habent auctoritatem super filios, quibus sunt principium essendi, &c. & hac ratione habent filios sibi subiectos, & obsequij debitores, vt docet D. Thomas 2.2. q. 101. ar. 1. & ibi expositores communitèr, hoc posito.

Respondeo, & dico primò. Patria potestas est ius patris in suos filios, & in eorum bona, ità DD. communitèr, quos affert, & sequitur Sanchez *opusc. lib. 1. cap. 1. dub. 11.* vide etiam Cardinalem de Lugo de *iustitia, & iure tom 1. disp. 5. sect. 1.* Dicitur primò, ius, ideſt facultas legitima exercendi munus aliquod, seù functionem, dicitur secundò, patris in suos filios loco differentiæ; qua patria potestas ab alijs distinguitur propriè dicit habitudinem patris ad filios, quos sibi subiectos habet; hæc autèm facultas iure naturali competit parentibus erga filios, quatenùs sunt principium generationis, qua filijs communicant esse, & vitam. & hac ratione constituuntur eorum superiores, & rectores vt suprà dicebamus cum D. Thoma; quod autèm additur, & in eorum bona iure ciuili inductum est, vt videlicèt pater possit, vel non possit disponere de peculijs filiorum: vndè hoc mutari, & abrogari potest; secus est de potestate parentum super personas filiorum; quæ est de iure naturali; Cardinalis de Lugo vbi suprà.

Dico secundò. Ratione patriæ potestatis competit parentibus ius educandi, & bene instituendi filios, regendi eos, & gubernandi; & consequentèr corrigendi eorum defectus, & vitia moderata punitione verborum, custodiæ, &c. Itèm applicandi eos ad studia, vel artes, iuxta conditionem status singulorum, & similia exercendi, vt fusiùs tradunt citati DD. & alij communitèr in quartum decalogi præceptum, ex dictis.

Colligitur primò. Auctoritatem, seù facultatem parentum benedicendi suos filios benedictione laica, esse adnexam patriæ potestati; sicut facultas benedicendi fideles, benedictione ecclesiastica, est adnexa potestati ordinis sacerdotalis, quia sicut parentes carnales filijs communicant vitam temporalem, seù naturalem, ità Sacerdotes administratione Sacramentorum, & verbi Dei prædicatione, sunt credentibus auctores vitæ spiritualis, & in Christo Iesu nos generant ex *Apost. 1. cor. 4.*

Colligitur secundò. Homines magis obligari ergà parentes, quàm erga patriam, & principem per se loquendo, & cæteris paribus, quià maius, & magis intimum est beneficium ortus, seù vitæ, & educationis, quod accipiunt à parentibus, & ex quo nascitur obligatio ergà illos, quam beneficiũ politicæ gubernationis, & ex quo nascitur obligatio erga principem; & quamuis erga patriam obligemur etiam ratione natalium, seù ortus; quià tamen parentes magis, & proximius influunt in ortum nostrum, quam patria, ideò præferuntur parentes, ità D.Thom: loc sup. cit. *& q. 102. ar. 3.* & ibi expositores, vide Lessium *lib. 2. cap. 46. dub. 2. nu. 14.* Dixi autèm per se loquendo: & cæteris paribus, quia si consideretur princeps, vt continet commune bonum, & similitèr patria, vt est quoddam totum, cuius quilibet ciuis est pars: hac ratione præferri debet parentibus, tum Princeps, tum Patria, e.g si ex morte Principis commune bonum periclitetur, tunc in extrema necessitate, potius succurrendum Principi, vel Patriæ, quam parentibus, Lessius *sup. num. 15.*

Supersunt nonullæ difficultates circà patriam potestatem, quarum præcipuas hic breuitèr examinabimus.

Pri-

Prima Difficultas.

An pater in graui necessitate constitutus, possit vendere filium.

RESpondeo affirmatiuè propter famis necessitatem, cui alitèr consulere non potest. Atq; ità 2. *Esdræ* 5. populus fame oppressus, inquit *filij nostri,& filiæ nostræ multæ sunt accipiamus pro pretio eorum frumentum,& viuamus* &c.

Probatur, tum iure naturali; tum ciuili: primò iure naturali, quià filius est veluti pars, & fructus patris, trahens ab ipso esse vitæ,ergò pater ius habet ex illo percipiendi ea emolumenta, quæ ipse filius de se, si sui iuris esset, percipere posset; sed ipse filius si esset sui iuris posset se vendere, nè fame pereat; ergò, &c.

Secundò probatur iure ciuili, *ex l.2.C. de patribus, qui filios distraxerunt*, qua id patribus conceditur, sed sub certis conditionibus, primò, vt id non fiat, nisi victus causa, & in summa egestate. Cœterùm plures Doctores asserunt id licitum esse ob quamuis grauem necessitatem, quià hæc facultas competit iure naturali ob rationem suprà explicatam,quæ militat in quouis casu grauis necessitatis. Secundò, vt soli patri id liceat, tamen iure naturæ etiam licitum est matri. Tertiò, vt solum possit vendi filius, nondum emancipatus, in quo omnes conueniunt, qui enim sui iuris effectus est,non subest ampliùs patriæ potestati.Quartò, vt filius ità venditus possit recuperare libertatem soluto pretio,&c.ac si nunquam fuisset seruus. Adde,ità vendi posse filium, vt non exponatur manifesto periculo salus animæ; vt si filius paruulus venderetur inter infideles, vide plura apud Sanchez *opusc.lib.1. cap.2. dub.13.* & apud Dianam *p.7.tract.7.dub.* 8.

Secunda Difficultas.

An pater possit Religioni offerre suos filios, & eos cogere, vt intrà monasterium reclusi maneant.

RESpondeo, & dico primò. Pater potest cogere filios, & filias impuberes intrare monasterium,vt ibi educentur.

Probatur; quia sicut potest eos cogere ire ad scholam, vel inuitos applicare ad aliquod artificium, ità paritèr potest eos offerre Religioni, & cogere, vt maneant in monasterio; atque illi tenentur obedire, quià in illa ætate non tam suæ, quam patris voluntate regendi sunt.

Confirmatur ex *cap. addidistis* 20. *q.2.* vbi deciditur parentes habere hoc ius offerendi filios impuberes Religioni sine eorum consensu,itaSuarez, Portel, & alij DD.communiter apud Dianam *p.2. tract.15.resol.56.*& *p.4.tract.4.resolut.42.*

Dico secundò. Non potest sic cogere filios, & filias puberes, nedùm ad statum religiosum, sed nec etiam ad manendum in monasterio cum habitu seculari, e. g. vsque ad occasionem nubendi; quarè communitèr DD.id damnant peccati mortalis, quia in his, quæ ad statum animæ pertinent filij post puberratem sunt sui iuris, & ideò non possunt compelli ad tam arctam custodiam, & rigidam clausuram, nisi in casu vrgentis periculi, & ad breue tempus, ità DD. citati apud Dianam suprà.

Quod si pater non cogat filias intrare in monasterium in ordine ad habitus regularis susceptionem, & professionem, sed solùm ob custodiam, probabile est eum non incurrere in excommunicationem latam in Trid. *sess.* 22. *cap.*18. contrà cogentes mulieres intrare monasterium, &c. quià Concilium loquitur de ingressu in ordine ad susceptionem habitus, vide Dianam *p. 4. tract.4. resol.*42.

Tertia Difficultas.

An pater possit filium cogere ad matrimonium: vel eum impedire,ne tale matrimonium contrahat.

RESpondeo, & dico primò, non potest pater metu graui,seù cadente in constantem virum cogere filios ad matrimonium, vel ad tales nuptias, sed grauitèr peccaret id faciens. Ratio est, quià in matrimonio est seruitus quædam perpetua: & ideò cum homo liberæ conditionis sit, nequit à patre ad seruitutem compelli, ità DD. communitèr cumD.Thoma in 4.*dist.*29.*q. vnica ar.* 4. vide Sanch. *de mat.lib.4.disp.22. num.4.* Dixi, non posse, metu graui incusso; quia si matrimonium esset expediens;posset pater ad illud inducere filium, & aliquo modo cogere increpatione paterna qua non lædatur libertas, Sanchez vbi sup. *num.*5.

Dicetis pater necessitate pressus potest vendere filium, vt suprà dicebamus, & sic illum libertate priuare,& in seruitutem redigere,vt sibi consular; ergò si matrimonium filij esset necessarium ad liberandum patrem à simili angustia, vel necessitate; posset pater filium ad matrimonium cogere, non obstante quod sit quædam seruitus.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quià seruituris, ad quam redigitur filius per venditionem, non exigit mutuum amorem, nec est perpetua; eum possit filius venditus redimi, quæ secus se habent in matrimonio.

Colligitur, quamuis aliqui asserant peccare mortalitèr filium contrahentem matrimonium contrà voluntatem, & consensum patris, quandò pater æquè dignam ei ducendam proponit, ac illam, quam filius spontè sua elegerat; oppositum tamen est probabilius; videlicèt filium teneri qui-

dem patrem consulere, si absque incommodo fieri potest; non tamen teneri consilium sequi, si ducat dignam, quia ad contractum matrimonij requiritur omnimoda libertas contrahentium, ita Sanchez, Trullench, & alij, quos affert, & sequitur Diana *p.6.tract.7.resol.21.*

Dico secundò. Peccant parentes absque iusta causa impedientes matrimonium filiorum: quia circa status electionem filij sui iuris sunt. Quod si adsit iusta causa; quia e.g. matrimonium est indignum, non peccat impedientes medijs suauibus absque vi, & metu, quia per hoc non impeditur filius, quin aliud matrimonium dignum ineat, ita ex communi sententia, Sanchez *de matrimonio lib. 4.disput.22.num.7.*

Quarta Difficultas.

An pater licitè possit filium eunuchum facere, vt euadat præstantior musicus, & nobilius sustentetur.

Respondeo, & dico primò absque filij consensu non potest, sed grauitèr peccaret. Probatur, quia si non potest impedire matrimonium filij, vt suprà dicebamus, quia circa electionem status, filius est sui iuris: multò minùs potest eum castrare, & inhabilem reddere matrimonio, ita DD.communitèr, quorum aliquos infra citabimus.

Dico secundò. Consentiente filio. Aliqui sustinent id licitè fieri posse; quia excellentia vocis, in musico ordinatur ad commune bonum, & decorem Ecclesiarum; sicuti ergò licitum est amputare membrum, in bonum totius corporis; ita etiam licet in finem altiorem boni communis, ita Salon.in 2.2. tom.1.q. 65. art.1. controuer.2. Pasqualigus in *decis.moralibus dec.498.*.cum alijs,quos citant.

Cœterùm communis, & longè probabilior sententia damnat peccati mortalis; tum eos, qui seipsos castrant tum parentes, qui hoc filijs mandant, vel consulunt, tum alios cooperantes, quia est intrinsecè malum. Ratio est, quia homo non est dominus membrorum sui corporis, sed custos; neque potest quis sibi membrum abscindere, nisi quandò id est absolutè necessarium ad salutem, & conseruationem totius corporis, vt cum D.Thoma 2. 2. *q. 65. art.* 1. docent communiter DD. sed cantus, & excellentia vocis, non est necessaria ad prædictum finem propriæ conseruationis, neque boni communis; quamuis deseruiat ad ornatum Ecclesiarum, &c.ergò,&c.ita Tannerus, Layman, Bonacina, Lezana, & alij, quos affert, & sequitur Diana *p.6.tract.8.resol.36.*

Quinta Difficultas.

An pater possit cogere filium ad habitandum secum, & ei prohibere, nè à paterna domo discedat.

Respondeo. Si filius pubes è domo paterna discedere, & aliò proficisci velit, vt artem aliquam addiscat; vel quoduis honestum vitæ genus amplectatur; non potest pater illum prohibere. Ratio est, quia alioquin homo liber seruilis conditionis efficeretur, si a patre in domo paterna veluti carcere quodam perpetuo detineri posset. Dixi filius pubes:quia impuberi propter ætatis, & iudicij imbecillitatem ea licentia non conceditur. Dixi, vt artem addiscat &c. idest si iustam habeat discedendi causam; alioquin posset vtique a patre prohiberi, cuius correctioni subest, & sic potest pater filium ab alio detentum, vel fugitiuum ad se reducere, ita cum Sanchez, & alijs docet Layman *lib.3.tract.4.cap.8.num.6.& 14.*

Limitanda est tamen tradita doctrina, nisi pater egenus sit, & sibi alendo non sufficiens; tunc enim filius lege naturali pietatis operam suam ipsi præstare tenetur; & cum illo in hunc finem habitare, DD.citati, vide plura apud Sanchez *de matrim.lib.6.disp.39.num.5.*

Sexta Difficultas.

An pater irritare possit vota filiorum.

Respondeo,& dico primò. Vota impuberum, siuè personalia, siuè realia possunt omninò simplicitèr, & directè irritari à Patre, quæcunque illa sint. Ratio est, quia in tenera illa, & imbecilli ætate ob iudicij imperfectionem, debent homines regi potius voluntate patris, & in eius defectum, tutoris, quam propria, ita DD. communitèr cum D. Thoma 2. 2. *q.* 88. *ar.* 9. vide Sanchez *sum.lib.4.cap.35.*Quod etiam in defectum patris, & tutoris, ad matrem extendunt, item amplia, vt etiam post adeptam puberratem, possint irritari à patre vota ab impubere edita, si filius pubes factus,ea nō confirmauit, Sanch. sum.*cap.30.n.*14.

Dico secundò. Vota filij familias puberis, si sint realia, possint irritari à patre, si edita sint de bonis,quorum administratio non pertinet ad filium, sed ad patrem, secus verò si emissa fuerint de bonis castrensibus, &c. quorum administratio pertinet ad ipsum filium.

Quoad vota personalia puberum,ea solùm possunt irritari à patre, quæ patriæ potestati præiudicium afferunt idest; quæ liberam, & expeditam familiæ gubernationem impediunt, vel filium abstrahunt ab obedientia patris; non verò alia, vt cum D. Thoma vbi supra, docent communitèr DD.Sanchez *lib.4.cap.35.* vbi alios citant.

Sep-

Septima Difficultas.

An pater, vel mater licitè possit plus vni filio relinquere, quàm alijs, & inaequalitatem successionis inter liberos constituere.

Respondeo Affirmatiuè, dummodò nemo priuetur sua legitima portione. Ratio est, quia pater ex suis bonis non tenetur relinquere filijs, nisi legitimam; quoad reliqua verò remanet liber, & absolutus dominus: ergò de illis bonis, quae supersunt, detractis legitimis, potest disponere ad libitum, nec vlli facit iniuriam, si non diuidat aequalitèr.

Quod si ad illam inaequalem distributionem moueatur ex inordinato amore erga aliquem, & absque iusta causa, peccat, quidem, sed ad summum venialitèr, cum id non sit neque contrà iustitiam, neque contrà debitum charitatis (supponimus enim neminem esse constitutum in extrema, vel valdè graui necessitate) sed solùm videtur quaedam impropria acceptio personarum. Iusta autèm, & rationabili causa interueniente, liber est pater, vel mater ab omni culpa; e. g. quià is, cui minus relinquitur habet bona propria; vel nutritus fuit in studijs; & quià doctor est, potest lucrari; alij è contra magis egent, & non sunt idonei ad lucrandum; vel si plus relinquatur illi, qui maiori diligentia bona conseruat, &c. Ita Emanuel Sà, Beia, Megala, Philarcus, & alij, quos affert, & sequitur Diana *par.1.tract.8.resol.83*.

Qualitèr autem possit pater in vita, vel in morte disponere de peculio filiorum, latè tractant Sanchez in opu. lib.1.cap.2.per totum, Cardinalis de Lugo *de iustitia, & iure tom.1.disp.5.sect.1.* Layman *lib.3.tract.4.cap.8.* & alij communiter de iustitia, & iure. Apud quos etiam, legi potest, qualiter filij eximantur à patria potestate, & sui iuris efficiantur; quae ad vitandam prolixitatem hic omittimus.

DVBITATIO II.

An parentes teneantur quandoque ex praecepto benedicere suis filijs.

Respondeo, & dico primò. Si sumatur benedictio materialiter, quatenùs exprimi solet verbis, & signis externis; sic non cadit sub aliqua obligatione; sed solùm ex beneplacito, & in signum beneuolentiae confertur a parentibus proprijs filijs.

Probatur, quià non constat de praecepto. & ex nullo iure satis colligitur rigorosa obligatio talis benedictionis.

Dico secundò. Si consideretur haec benedictio formaliter in ordine ad finem, ad quem dirigi solet, videlicet vt bene sit filijs quoad animam, & corpus; in hoc sensu tenentur parentes benedicere suis filijs, idest procurare, & à Deo precari bona, quae sunt illis necessaria, in salutem corporis, & animae; hoc est alimenta quoad corpus, & bonam institutionem quoad animam, quià ex virtute pietatis iure naturali tenentur eorum curam habere, vt fusè probant Doctores in quartum decalogi praeceptum. Hinc cum benedicere nihil sit aliud, quam à Deo precari bona illis, quibus benedicimus; tunc benedictio erit necessaria in ordine ad filios, quandò oratio censetur medium necessarium ad consecutionem bonorum, quibus filij necessariò indigent, & quae parentes tenentur ex praecepto illis procurare; & consequenter ea à Deo precari, quan ò aliud medium non suppetit, sicuti de obligatione orandi in communi, & Deum deprecandi, docent communitèr DD. cum D. Thoma 22.q.83. ar.3. Non quod teneantur parentes in eo casu vti formula benedictionis signis externis expressa, super filios, sed satis erit recursus ad Deum actu merè interno; quo suam insufficientiam profitentes; à Deo supremo omnium parente prouideri petant suis filijs de rebus necessarijs.

DVBITATIO III.

An parentes possint quandoque licitè maledicere suis filijs.

Respondeo, & dico primò. Maledictio formalis est intrinsicè mala, & peccatum mortale ex genere suo, & subindè nunquam, & ne mini est licitum, proximum maledicere hac maledictione, nedùm proprios filios.

Probatur, quià maledicere formaliter, est imprecari alteri malum sub ratione mali, seù ex odio deliberato personae, quo quis verè cupit, vt malum aliquod proximo eueniat; vt illi male sit, quod manifestè aduersatur legi charitatis, & consequentèr est intrinsicè malùm. Hinc si malum; quod quis alteri sic imprecatur sit graue; melediectio erit peccatum mortale in indiuiduo; si verò malum sit leue; peccatum erit veniale ratione paruitatis materiae, ità docent communitèt DD. cum D Thoma 2.2. q.76. ar.1.

An autem parentes, qui formaliter maledicunt filijs, teneantur in confessione hanc circumstantiam explicare, videlicèt se proprijs filijs maledixisse? Dicendum est teneri, quià maledictio in hoc casu continet specialem malitiam contra virtutem pietatis, ità D. Thomas loc. cit. & ibi expositores vide Layman *lib.2. tract. 3. cap.* 8.

Quamuis autèm maledictio parentum contra filios, peccaminosa sit; valdè tamen est timenda ab illis, qui ad iram prouocant suos genitores, & sunt maledictionis occasio, vt colligi potest ex ijs, quae narrar D. August. *de Ciuit. Dei lib. 22. cap.* 8. & ex alijs exemplis, quae refert Gretserus *de benedict. & maledict.*

Dicò

Dicò secundò. Si parentes maledicant filijs materialitèr, seù oretenus, non ex animo, vt malum aliquod illis eueniat, sed ex ira quadam, & impatientia; solùm venialitèr peccant; quia tunc maledictio non opponitur charitati, cuius obligatio grauis est; sed mansuetudini, vel patientiæ, quæ virtutes leuiùs obligant; ità Nauar. Molina, & alij, quos affert, & sequitur Layman loc. cit.

Dico tertiò. Possunt interdùm parentes licitè maledicere suis filijs sceleratis, & impijs, non ex odio personæ, sed ex odio abominationis, quod fertur contra eorum vitia, videlicèt imprecando illis malum aliquod temporale, vt sic resipiscant, vel minus peccent; itèm ad terrorem, & correctionem: quià tunc imprecantur malum sub ratione boni, quatenùs est medicina in salutem; quod etiam contrà omnes peccatores licitè fieri potest, vt cum D.Thoma loc.sup.cit. docent communitèr DD. vide Layman *sup.num.7.*

Colligitur pari ratione, posse etiam parentes priuare ad tempus filios contumaces suo conuictu, & consortio, eijciendo illos è domo, vt sic resipiscant; dummodò indè non immineat illis aliquod maius malum, sicuti Ecclesia per excommunicationem priuat contumaces communione fidelium.

DVBITATIO IV.

Quanam filijs curanda sint ergà parentes, vt copiosam benedictionem mereantur.

Respondeo cum D.Thoma 2.2.q.101.*art.* 3. vbi his verbis explicat debitum pietatis officium ergà parentes. *Dicendum, inquit, quod parentibus aliquid debetur dupliciter. Vno modo per se. Alio modo per accidens. Per se quidem debetur eis id, quod decet patrem, in quantum pater est, qui cum sit superior, quasi principium filij existens; debetur ei à filijs reuerentia, & honor. Per accidens autèm aliquod debetur patri, quod decet eum accipere secundùm aliquid, quod ei accidit (puta si sit infirmus, quod visitetur, & eius curationi intendatur; & si sit pauper, quod sustentetur, & sic de alijs huiusmodi, quæ omnia sub debito obsequio continentur: & ideò Tullius dicit, quod pietas exhibet, & officium, & cultum; vt officium referatur ad obsequium; cultus verò ad reuerentiam, siuè honorem;* hactenus D.Thomas. Hæc autèm confirmari possunt, quià cum parentes sint auctores vitæ, & educationis suis filijs; hi tenentur vicissim iure naturali cuiusdam gratitudinis parentum vitam, & statum, si in periculo versentur quantum in nobis est conseruare, alioquin indignus est vita, qui vitæ suæ auctorem negligit; sicut è contrario, qui parentes honorat, & eis fert opem, longam vitam meretur, & copiosam benedictionem, vt ex supradictis constat; imò iuxtà Aristotelem, debitum ergà parentes tale est, vt illi ad æqualitatem satisfieri non possit, videlicèt in eodem ordine, seù obsequijs naturalibus, de qua re videri potest Lessius *lib.2. de iustit.cap.46.dub.1.*

Atque hæc dicta sufficiant de sacris benedictionibus, ad laudem Omnipotentis Dei, Sanctissimæ Genitricis Filij Dei, & B.Caietani meæ Religionis Fundatoris. Et omnia in hoc tractatu contenta humilitèr submitto correctioni S.M.Ecclesiæ.

FINIS.

INDEX
OMNIVM RERVM NOTABILIVM
Quæ in hoc Tractatu continentur.

A

V Agnos

C

Et

Et

L

M

N

Et

Q

R

FINIS.

AD LECTOREM.

Benigne Lector ne mireris, si plurimis erroribus scateat volumen istud. Memento quæso inter alia impossibilia Typographiæ numerari errores, neque Argi oculos ad eos auertendos sufficere posse; potissimum, si Auctor absit, dum sub prælo opus desudat, & magna Typographorum detur incuria, vt in præsenti accidit. Idcirco Alter pro Authore religiosa charitate te rogat, humanissime Lector, vt excuses, atque corrigas maiores, præcipue alterantes sensum, cæteros alios leuiores, grammaticales, interpunctiones, & ortographiam indulgeas; certum habe, in nullo penitus errare, diuinitatis esse potius, quam mortalitatis: & ita verificabitur illud dictum; quicquid ex charitate agitur quantuncumque paruum sit, & despectum, totum efficitur fructuosum, & Deo gratum.